R. P.
BERNARDI PEZII

THESAURUS ANECDOTORUM NOVISSIMUS.




VT LVCEANT.
VT PROSINT
NE PEREANT.



THESAURUS ANECDOTORUM NOVISSIMUS:

Seu

Veterum Monumentorum, præcipuè Ecclesiasticorum, ex Germanicis potissimùm Bibliothecis adornata Collectio recentissima.

TOMUS I.

Pars I.

Beati Notkeri Balbuli San-Gallensis Ord. S. Ben. qui anno DCCCCXII. obiit, Notatio de Illustribus Viris, seu Liber de Interpretibus Divinarum Scripturarum. *a col.* 1.

Ejusdem Liber Sequentiarum, quæ ad Missas dici solebant. *a col.* 17.

Angelomi Monachi & Diaconi Luxoviensis Ord. S. Ben. qui anno Christi DCCCXXXV. floruit, Commentarius in Genesim. *a Col.* 45.

Candidi Presbyteri, B. Alcuini Discipuli, Expositio Passionis Domini Nostri JEsu Christi *a col.* 241.

Ejusdem Epistola ad D. Num. Christus corporeis oculis DEum videre potuerit? *a col.* 309.

Anonymi, fortè *Cœnobitæ Lunalacensis* Ord. S. Bened. Glossarium Latino-Theodiscum in Biblia Sacra. *a col.* 317.

Miscellanea Theodisca ex diversis MSS. Cod. collecta & in duas partes tributa. *a col.* 373.

Ven. Engelberti Abbatis Admontensis Ord. S. Ben. qui sub Rudolpho Habspurgico, I. Imp. claruit, Epistola de Studiis & Scriptis suis. *a col.* 429.

Ejusdem Liber de causis longævitatis hominum ante diluvium. *a col.* 439.

Ejusdem Tractatus seu Liber amplus de Gratiis & Virtutibus Beatæ Mariæ Virg. *a col.* 505.

Pars II.

Sancti Paschasii Radberti, Corbeiensis in Francia Abbatis Ord. S. Ben. de Fide, Spe, & Charitate Lib. III. *a col* 5.

Gerberti, postea *Sylvestri II.* Pont. Max. Ord. S. Ben. Libellus de corpore & sanguine Domini. *a col.* 133.

Ejusdem Libellus ad Ottonem III. Imp. de Rationali & ratione uti *a col.* 149.

Gerhohi Præpositi Reichersporgensis Ord. Can. Reg. S. August. qui seculo XII. celebris fuit, Liber de Gloria & Honore Filii Hominis. *a col* 165.

Ejusdem Liber adversus duas Hæreses sui temporis *a col.* 283.

Ejusdem Epistola de sensu verborum S. Hilarii & Athanasii de æqualitate & inæqualitate Christi cum DEO. *a col.* 317.

Walteri veteris Theologi Epistola de modo prædicandi Divina de Christo. *a col.* 329.

Adami Præmonstratensis Candidæ Casæ in Scotia Abbatis & Episcopi Soliloquiorum de instructione animæ Libb. II. 337.

Beati Richalmi Abbatis Speciosæ Vallis in Franconia Ord. Cister. Revelationes de insidiis & versutiis Dæmonum. 375.

Alani Magni Ord. Cist. Libri V. de arte Catholicæ Fidei ex rationibus naturalibus demonstratæ. 475.

Henrici de Hassia Liber adversus Telesphori Eremitæ vaticinia de ultimis temporibus. 507.

Johannis, fortè *Gersenis*, Abbatis Liber aureus de Professione Monachorum. 567.

Pars III.

Codex Diplomaticus Ratisbonensis. 1.

Codex Traditionum Sanct-Emmerammensium. 81.

Anamodi Subdiaconi Traditionum Emmerammensium, seculo IX. factarum Libri II. 195.

Agii Monachi Ord. S. Ben. de Vita S. Hathumodæ, primæ Abbatissæ Gandershemensis Liber. 289.

Ejusdem Dialogus metricus de obitu S. Hathumodæ. 309.

Anonymi Zwetlensis Ord. Cist. Historia Romanorum Pontificum à S. Petro usq; ad Cœlestinum III. 329.

Gerhohi Præp. Reichersp. O. C. R. S. Aug. Liber de Vita BB. Abbatum Formbacensium Berengeri & Wirntonis. 399.

Angeli Rumpleri Abbatis Formbacensis O. S. B. Historia Monasterii sui. 425.

Johannis Wirzburg. descriptio Terræ Sanctæ. 385.

Alberti Oberaltahensis O. S B. Liber de vita S. Alberti Oberaltahensis. 535.

Jodoci Mezleri San-Gallensis de Viris Illustribus Monasterii sui Libri II. 557.

Johannis Egonis Prioris Augiensis O. S. Ben. de Viris Illustribus Monasterii sui Tractatus. 629.

Omnia nunc primùm cum Præfationibus (quarum primæ insertum etiam est Iter Literarium Bajoaricum) *Observationibus præviis & Indicibus necessariis publici juris facta.*

A. R. P. BERNARDO PEZIO, Benedictino & Bibliothecario Mellicensi, *operam & studium conferentibus aliis pluribus tum sui, tum aliorum Ordinum & Monasteriorum eruditis Viris, quorum nomina suis quæque opusculis præfixa sunt.*

Cum Consensu Superiorum.

Augustæ Vindelicorum & Græcii.
Sumptibus Philippi, Martini, & Joannis Veith Fratrum. Anno 1721.

IN

DIVI LUSTO

GERMANANNON

BOICIACO

PRINCIMO

QUORIIS

PACAR.

ET RE FNIBUS

PC

VETUM.

DICQ.



DISSERTATIO ISAGOGICA
IN
PRIMUM TOMUM
THESAURI NOVISSIMI
ANECDOTORUM.



E Auctoribus, usu atque præstantia Collectionum, in quibus veterum Scriptorum, præcipuè Ecclesiasticorum, melioris farinæ libri typis hactenus non excusi, è manu scriptis Codicibus primùm publici juris fiunt, operosiùs hoc loco disserere supervacaneum fuerit. Præterquam enim, quòd apud omnes solidè doctos & eruditos viros in confesso sit, nihil isthoc editionum genere ad illustrandas omnigenas tum disciplinarum & doctrinarum, tum temporum & gestarum rerum rationes accommodatius esse, nuperrimè Clarissimus & eruditissimus è Gallicana S. Mauri Congregatione Monachus Benedictinus P. Edmundus Martene in Præfatione ad suum *Thesaurum Novum Anecdotorum*, quinque prægrandibus majoris formæ voluminibus Lutetiæ Parisiorum evulgatum, hoc argumentum ita pertractavit, ut plura in eam rem velle afferre non sit nisi hominis, qui nec operâ nec otio rectè uti noverit. Hunc igitur ut consulant, suademus, qui instituti nostri ortum & progressum, commendationem & usum, reliquamque universam rationem penitiùs nosse percupiunt, præsertim cùm nihil ferè de *Thesauro* suo *Novo*, aliisque id genus Collectionibus vir doctus edixerit, quod de *Thesauro* nostro *Novissimo*, ùt equidem aliis rerum minimè ignaris visum fuit, nobisque sperare fas est, edici non possit.

Atque hæc ipsa fiducia in causa est quòd eadem nostri operis atque illius inscriptio sit, excepto uno, quòd, cùm ille Thesaurum suum Anecdotorum *Novum* adpellârit, nos nostrum, utpote tempore posteriorem, *Novissimum* inscripserimus. Cæterum eadem mente atque consilio utraque Collectio suscepta est, nimirum ut de Catholica Ecclesia, ejusque veterum Magistrorum doctrina memoriaque benè mereremur. Unius ferè ejusdemque generis in utroque Syntagmate Opuscula occurrunt, ea scilicet, quæ vel Divinorum librorum explanationem, vel certa quædam controversa doctrinæ capita, vel eventa temporum, vel singularia quæppiam illustrium hominum dicta facinorave spectent & amplificent.

Duo tamen sunt, quorum instituta comparatione nonnullum inter Thesaurum Anecdotorum *Novum* & *Novissimum* discrimen intercedere omnes deprehendent, occasio scilicet susceptæ utriusque Collectionis, &, quod rem propiùs spectat, ordo ac dispositio, qua vetera monumenta utrobique collocata sunt. Utriusque nunc erudito Lectori reddenda ratio est, id quod in prima hujus Dissertationis parte ita exsequi studebimus, ut narratio nostra nec incommoda nec injucunda cuiquam, qui quidem vacuus ad lectionem accesserit, videri potuerit. In altera verò Dissertationis parte ad edita in hoc Volumine monumenta vetera pro more præfabimur, ut illicò cunctis pateat, unde singula deprompta sint, quid viris eruditis de iis hactenus visum fuerit, cui usui esse possint, quid novi afferant, qua ætate, & à quibus Auctoribus condita, & ad quorum codicum fidem exacta sint. In quibus sicubi à magnorum virorum sententia discesserimus, neminem Lectorum adeò no-

bis iniquum futurum speramus, ut id obtrectationi atque invidiæ potiùs, quàm studio veritatis, quæ harum litterarum amussis est, attribuat. Sed jam ad rem accedamus.

PARS PRIMA.

Universi Operis ratio redditur, id est: quæ hanc Collectionem adornandi occasio extiterit, quæ litteraria itinera suscepta, quorum opera & studio res creverit, quo ordine quæque monumenta disposita sint, quis delectus habitus &c.

I. Cùm complusculis annis in adornanda perscribendaque *Bibliotheca Benedictina* versaremur, quotidie clariùs perspeximus, rem neutiquam feliciter cessuram ni si susceptis ad disjuncta etiam longiùs Monasteria itineribus lustratisque eorundem bi bliothecis & manu scriptis codicibus, qui amicis in hac arena non sat versatis maxim um negotium facessebant, licèt in his ea latere nunquam dubitaremus, quæ nobis maximè in votis, unicéque necessaria essent. Tentavimus rem primò in Vindobonensium Monasteriorum, propiusque Mellicio adsitorum Collegiorum bibliothecis non sine amplis litterariarum notitiarum accessionibus: quod ipse Lector ex observationibus nostris prævis abunde intelliget, in quibus manu exaratos Inclytorum Monasteriorum *Beatæ Mariæ Virginis vulgò ad Scotos, Sanctæ Dorotheæ,* ac *Tirnsteinensis* codices passim laudavimus & exscripsimus.

II. Tum germano meo fratri R. P. Hieronymo, mea cohortatione ad colligendos veteres Rerum Austriacarum Scriptores converso, auctor fui, ut in perlustrandis Austriæ, quæ benè multæ restabant, bibliothecis se mihi socium adjungeret, sine dubio reperturus meo exemplo quàm plurima, quæ à suo opere abesse nulla ratione possent, & necquiquam aliunde expectarentur. Addixit is operam & iter perlubenter, dum bona modò venia Reverendissimi Domini Abbatis, è cujus nutu omnia nostra pendebant, hodieque pendent, accederet. Qua pro sua ergo nos benignitate prolixè data anno Domini M DCC XV. vertente Vere ad Austriam primùm superiorem adscendimus, DEO necessarios tanto labori vires & sumptus suppeditante.

III. Itaque lustrationem bibliothecarum in Monasterio *Seittenstadiensi,* quod tum Reverendissimus Abbas Benedictus vitæ sanctimonia & doctrina clarus regebat, auspicati, eandem mox in *Garstensi* propè Stiram, *Glunicensi, Florianensi, Cremisanensi, Lambacensi,* & *Monte Pomario* continuavimus, cœnobio *Hilariensi,* & *Waldhusiana* trans Danubium Canonia commodiori tempori servatis & demum à fratre, & R. P. Benedicto Boneto, sodali nostro solertissimo sub elapsi anni autumnum excussis.

IV. Proximo dein anno instructiora veteris litteraturæ reliquiis Austriæ inferioris Monasteria perscrutari decrevimus: idque consilium nostrum iisdem sumptibus æstate ferè media cum bono DEO exsecuti sumus, cujus erga nos clementia non minùs manifestè se hoc, quàm præcedente anno exeruit. Etsi enim à Reverendissimis locorum Præsulibus maxima cum humanitate ac benevolentia passim suscepti fuerimus, evenit tamen plus simplici vice, ut in præsentissima etiam vitæ discrimina inciderimus. Vix è portu Mellicensi solvimus Celeberrimam Canoniam Claustroneoburgensem (hanc enim primùm adire constituimus) secundo Danubio profecturi, cùm parum abfuit, quin coorta prope Tulnam, veterum Tulinam, atrocissima tempestate vehementiorem Codicum sitim lethææ undæ æternùm extinguerent. Ut jam hic de viarum erroribus, saltuum inviis, & horrendis rupibus, unde salvis cervicibus evasisse nos humanissimi cœnobitæ Mariæcellenses meritò stupuêre, nihil commemoremus. Quæ tamen omnia, cùm amplioribus quotidie incrementis studia & commentariola nostra cumularentur, à perquirendis pluribus veteribus monumentis, ubi demum cunque terrarum delitescentibus nos adeo non absteruerunt, ut acutissimos etiam stimulos ad investigandas Bavariæ quoque ac Sueviæ bibliothecas admoverint.

V. Porro Monasteria, quorum bibliothecas ea perfectione scrutati sumus, hæc sunt: *Claustroneoburgense* Ord. Can. Reg. S. Aug. in quo mille amplius Codices MSS. curæ A. R. D. Evgenii Pürckelbaueri præstantis amici nostri concrediti adservantur. *Carthusia Murba-*

Murbacensis, ubi perpauca observatu digna occurrerunt, Codicibus MSS. maximam partem, ut equidem putamus, Turcica clade amissis. *Sanctæ Crucis* Ord. Cist. cujus insignis est etiam hodie post repetitas Turcarum depopulationes librorum manu exaratorum bibliotheca. *Mariæcellensis* Ord. S. Ben. in quo centum præter propter Codices scriptos recensuimus. *Campililiense* nobilissimum Ord. Cist. cœnobium, cujus Reverendissimus Dominus Abbas Chrysostomus, omnium, quidquid uspiam est, studiosorum hominum fautor amplissimus incredibili nos benevolentia vel potiùs amore complexus fuit. Ejus bibliotheca quà libris e prelo emissis, quà manu duntaxat scriptis, inter multa inedita Fratris Christiani opuscula deprehendimus, perornata est. Ejusdem Monasterii cœnobita fuit Frater Chunradus Pincerna, cujus *Sermones de Tempore* conspeximus in Codice membraneo à quadringentis annis exarato in Canonia *S. Hippolyti* Ord. S. Aug. ubi cæteroquin & pauci & exigui momenti Codices ex iis restant, quibus olim clarissimam hanc Canoniam majorum studia locupletârunt. *Gottwicense* Ord. S. Ben. quod plerosque veteres à duodecimo seculo Codices retinet in membrana descriptos, codicibus chartaceis atque adeo recentioris ævi non paucis dissipatis. *Zwetlense*, illustre ad Campium amnem Ord. Cist. Asceterium, in quo majorne Reverendissimi Domini Abbatis Melchioris, Præsulis Religiosissimi erga nos humanitas, an præstantia MSS. Codicum extiterit, nondum certum habemus. Hi numero ferè quadringenti sunt, plerique optimæ notæ, & qui anecdota sanè quàm multa contineant, in quibus adnotandis & describendis maximo nobis adjumento fuêre Clarissimi Patres Bertrandus Gsenger Bibliothecarius, domesticæ historiæ scientissimus, & Lambertus Grettler amicus noster integerrimus. *Altenburgense* Ordinis nostri, cujus Codices MSS. dum sæviente Suecica procella Cremisiam ceu ad tutiorem portum deveherentur, in via intercepti hostibus prædæ cesserunt, paucis relictis, ùt nobis A. R. P. Albertus Turner, rerum nostrarum studiosissimus retulit. *Perneggense*, ubi se nihil in rem nostram obtulit. Atque hæc sunt Inferioris Austriæ Monasteria, ad quæ studiorum nostrorum causâ tunc iter confecimus.

VI. Interea domum reduces, cùm vires maxima laborum contentione detritas autumni ac hyemis quiete non nihil recuperâssemus, de itinere Bajoarico Suevicoque seriò cogitavimus: demumque rebus necessariis comparatis die tertia Maji Anno MDCC XVII. id reapse aggressi sumus, Mellicio Lambacum singulari Reverendissimi Domini Abbatis nostri liberalitate vehiculari cursu provecti, deinceps usuri amplissima Reverendissimorum Superioris Austriæ Præsulum munificentia, qua opellas quasdam suis honoribus à nobis quondam dicatas remunerati sunt. Lambaco antequam discederemus, novam Reverendissimi ejus loci Antistitis Maximiliani, studiorum nostrorum cupientissimi bibliothecam optimis omnium generum libris ditatam velut ἐν παρόδῳ vidimus. Codices MSS. ad quadringentos hodie superant, inter quos *veteres Fructuariensis Monasterii Consuetudines*, *Otlohi* sæculo undecimo Monachi Emmerammensis *de Misericordia ac justitia Divina cum libertate hominis & prædestinatione concordia* Dialogus, cujusdam *H. de Salisburgensis Ecclesiæ* sub Friderico I. Imp. *calamitatibus libellus*, & vetus *Chronicon Lambacense* notatu digniora sunt. Sed cùm jam biennio abhinc adjuvante A. R. P. Ildephonso Brandtnero, perdiligenti ac erudito loci Bibliothecario, quæ in rem nostram erant, adnotâssemus, altero mox die trajectò lacu Camerino & Lunæ ad Monasterium *Lunælacense* seu *Monseense* contendimus.

VII. Duplex hujus antiquissimi nostri Ordinis cœnobii bibliotheca est: vetus & nova: In hac libri typis vulgati, in illa plerique Codices manu exarati adservantur. Ex illis præter omnem expectationem in oculos nostros incidit editio Latina *Historiæ Desponsationis Friderici III. Imp. cum Leonora Lusitana* auctore Nicolao Lanckmanno, *impensis Jacobi Wacker de Salzburga Anno Domini 1503. IV. Id. Decemb.* in 8. maj. *Augustæ Vind.* procurata, quod opus à viris etiam eruditis pro inedito hactenus venditabatur. Ex Codicibus partim nono, & decimo, partim undecimo, duodecimo, & sequentibus seculis studiosè collectis multa singularia in nostra adversaria intulimus. Seculo duodecimo hic floruit Liutoldus Monachus, qui egregium *Passionale* comportavit & alia plura sua manu pereleganter descripsit. Ad illius calcem hi versus extant:

Stru-

Scrutator rerum veniens in fine dierum
Advocat atque fugat, quos diligit atque recusat,
Nequam damnando, justis pia premia dando.
Hoc formidavit, Christum precibusque piavit
Liutoldus modicus. Sis, qui legis hec, memor hujus
Ad regem Christum, ne durè judicet istum,
Et non damnetur, sed justis associetur
In regno Christi, quò prestetur locus isti,
Signifero cœli quia scripsit opus Michaêli
Hoc, quo Sanctorum recitantur scripta piorum,
Passio diversis que noscitur acta figuris:
Hocque Patrum vita libro patet intitulata,
Qui persolverunt priùs in se, quod docuerunt,
Castè vivendum, Christum castisque colendum.
Hoc quoque virginei scriptus patet ordo trophei,
Qui quasdam castas, quasdam tormentaque passas
Demonstrat vitam jam possedisse supernam.
Liutoldi memores fiunt hec sua scripta legentes,
Intercessores Sanctos mereatur ut omnes,
Ut peccatorum solvantur vincla suorum.

Ejusdem Liutoldi opus est insigne *Plenarium*, cui sequentes versus præfixit:

Rerum jactura brevis est, breviter peritura,
Non permansura: sic sunt mortalia jura.
Est nil sub Sole stabili durabile mole.
Ut patet expressè, quod vivit, desinet esse:
Nec repetet vitam nisi solus homo, quia dignus
Inter res vivas tenet hoc memorabile pignus.
Vita futura bonis in porticibus Salomonis:
Vita futura malis in prostibulis Babylonis.
Ergo futurorum sitiens augmenta bonorum
Liutoldus Monachus, qui multa labore patravit,
Scripsit & istud opus, pro posse suo decoravit
Signifero cœli delegans mente fideli.

VIII. Liutoldum præter plures alios sub Benedicto Eckel, veteris bibliothecæ auctore, ac Simone, sanctissimis ante trecentos circiter annos Lunælacensibus Abbatibus æmulatus fuit Jacobus de Wratislavia, de quo in Codice Cremifanensi hæc memorantur: *De hujus fratris labore multiplex fuit narratio. Quidam dicebant eum tot transcripsisse volumina, quæ sex equi electi vix sufficerent trahere: & alii fortiorem currum posse ferre negabant. Tertii eundem pergamenum pro sexcentis libris depinxisse affirmabant scribendo, & hoc Abbatem ejusdem Monasterii dixisse. Testantur hi illius exactam diligentiam matris omnium vitiorum otii inimicam.* Obiit Jacobus anno 1480. XIII. Kal. Junii, cujus diligentissimi viri vigiliæ propemodum omnes perierunt, uti & alii Codices Lunælacenses non pauci, quemadmodum ex A. R. P. Hermanni Sarsteiner, Prioris dignissimi nostrique amantissimi sermonibus intelleximus. Ac utinam reliquiæ saltem sanctiùs deinceps habeantur! Certè id se daturum operam idem Vir præstantissimus & domesticarum antiquitatum studiosissimus promisit. Eandem curam omnibus Monasteriis tantò vehementiùs inculcare studuimus, quantò cum graviori Ecclesiæ ac Reipublicæ detrimento ejusmodi monumentorum jactura conjuncta est. Sed de his alibi.

IX. Integro octiduo inter Lunælacenses Codices exacto, die decima Junii, re Divina priùs ad B. Conradi Lunælacensis Abbatis & Martyris memoriam facta, cùm Amplissimum Dominum Abbatem Amandum, gravi senio, & incredibili morum suavitate

vitate summè reverendum, supremùm salutâssemus, ad vetustissimam *Divi Petri Abbatiam Salisburgum* profecti sumus, non admodum quidem alacres & lubentes, propterea quòd celeberrimus vir Joannes Mabillonius pertenuem conspiciendorum hîc manu descriptorum Codicum spem in itinere suo Germanico, quod anno MDCLXXXIII in has oras susceptum, postea in tomi quarti Analectorum propylæo edidit, reliquisset. Verùm eruditissimo viro in bibliotheca Petrensi haudquaquam omnia ostensa, imò, quod amicorum relatu didicimus, ipsius Celsissimi Principis & Archiepiscopi mandato, dataque opera, veterum monumentorum pleraque ejus oculis subducta fuisse, mox altera ab adventu nostro dies aperuit, qua a Reverendissimo & Pientissimo Domino Abbate Placido, fautore nostro maximo in bibliothecam inducti tantam tum veterrimorum tum recentiorum manu exaratorum voluminum multitudinem offendimus, ut undecim ipsi dies, quibus Salisburgi egimus, ad eam expugnandam nobis ægrè suffecerint.

X. Longum esset, singillatim vel de præstantioribus Codicibus hîc verba facere. Paucula sis accipe. *Necrologium* a sexcentis annis optimæ notæ membraneum in folio, signatum littera *S. 75.* ex quo mirum est, quantum lucis res Austriacæ atque Bavaricæ accipiant. Austriaca inde collegit frater, cujus universim commentaria dici non potest, quantum hîc loci cumulata fuerint. Et verò in nullo Bajoariæ Monasterio tantam monumentorum res Austriacas illustrantium messem congregavimus quàm in Petrensi, cujus religiosissimi cœnobitæ etiam cæterà Domui Austriacæ singulari quodam pacto dediti ac devoti sunt, quot hebdomadibus pro perenni Ejus incolumitate cœlestem hostiam immolantes.

XI. Sed pro illo longè prævertendum est alterum *Necrologium* in majoris formæ membrana sub Arnone primo Archiepiscopo Salisburgensi scribi cæptum, & à coævis usque ad seculum Christi duodecimum perductum. In ejus prima pagina comparet hic titulus: *Ordo Patriarcharum seu Prophetarum Testamenti veteris: Ordo Apostolorum, Martyrum & Confessorum.* Altera pagina sic inscripta est: *Ordo Episcoporum vel Abbatum VIVORUM: Arn Archiepiscopus, Rachto vocatus Episcopus, Hildibertus Diaconus, Bertricus Abbas, Ammiloni Abbas - - - Adalbram Archiepiscopus &c.* Tum in ejusdem paginæ altera columna subjicitur *Ordo vivorum Monachorum.* Post Ordinem Monachorum in tertia pagina collocatur *Congregatio S. Amandi* hoc initio: *Item und supra: Congregatio S. Amandi. Arnus Episcopus, Siccharius Episcopus, Willibari Episcopus* &c. Quinta pagina præfert hanc inscriptionem: *Ordo Episcoporum vel Abbatum defunctorum.*

	Hrodperhtus Episcopus & Abbas.
	Anzologus Abbas.
	Vitalis Episcopus & Abbas.
	Savolus Abbas.
	Izzio Abbas.
Cundperht	*Flobrigis Episcopus & Abbas.*
Episcopus.	*Johannis Episcopus & Abbas.*
	Virgilius Episcopus.
	Albinus Abbas.
	Hrghaldus Episcopus.
	Arn Archiepiscopus.
	Habfrid Episcopus &c.

Quæ nomina non unorum Ecclesiæ Salzburgensis Episcoporum vel Abbatum sunt, sed aliorum etiam, qui pio fœdere prioribus conjuncti fuerant. Deinde in eodem Necrologio post quædam conspicitur *Ordo Regum Defunctorum cum Coniugibus & liberis.*

Charlus.
Pippinus.
Charlmannus.
Desiderius &c.
Suanhilt.
Perhtrada. *Hilti-*

Hiltigart.
Hrodrud.
Hrodbilt &c.

Hunc Ordinem excipit *Ordo Ducum defunctorum cum conjugibus & liberis.*

Theote.
Theotperht.
Crimolt.
Theodolt.
Tassilo.
Otilo.
Fœminæ. *Folchaid.*
Allenhart.
Pilidruth.
Waltrat.
* *Luitpirc.*
Rattrud.
Hiltitrid.

* *Ita cod. alias.* Liutpirc.

Postremus est promiscuus *Ordo Episcoporum vel Abbatum* diversorum locorum hoc modo:

Haimrammus Ep.
Gurbinianus Ep.
Agnellus Ep.
Vivolus Ep.
Aerardus Ep.
Ermperhtus Ep.
Beatus Ep.
Liudinus Ep.
Sedolius Ep.
Gawipaldus Ep.
Sidonius Ep.
Joseph Ep.
Anthelmus Ep. &c.

Inter Abbates recensentur *Ernust* & *Oportunus*, ex quibus *Oportunus* Monasterio Lunælacensi præfuit seculo Christi octavo. Sed hæc in specimen insignis hujus Operis sufficiant, quod integrum in sequentibus tomis proferemus, si quidem Codicis copia nobis obtigerit.

XII. In eadem Petrensium nostrorum bibliotheca habentur *Augustini Epistola LXXXIX.* octavo, aut cùm recentissimè, nono seculo exaratæ. *Ambrosius in omnes Epistolas Pauli* manu seculi noni, ut de aliis Patrum operibus, seculo nono, decimo, & undecimo passim in membranas translatis, unde variantes scripturæ decerpi possent, taceamus. Nec spernenda sequentia: *Matthæi de Cracovia Sermo de emendatione morum Cleri & populi, quem fecit & prædicavit in Synodo Archiepiscopali Pragensi in festo S. Lucæ Evang. anno 1384.* Hujus Matthæi, quem alii nomine *Cracoviæ* delusi malè Polonum faciunt, cùm natione Germanus, genere Pomeranus fuerit, extat in bibliotheca Mellicensi & B. Mariæ V. Scotorum Vindobonæ etiam alius egregius liber *de squalore Curiæ Romanæ*, qualis nempe Matthæi ætate fuit. *Liber Domini Eckperti, qui intitulatur Stimulus charitatis. JEsum Nazarenum* &c. Prostat is editus inter Opera S. Bernardi, cui uti & S. Anselmo ab aliis perperam tribuitur. *Alphabetum* seu *Alphabetarium Divini amoris.* Incipit: *ad honorem omnipotentis DEi aliquos modos & vias* &c. In prima Codicis pagina hæc legas: *Iste tractatus est compositus per quendam nostri Ordinis* (S. Benedicti) *Monachum, Magistrum in Artibus, dictum Martinum de Cybs, professum Monasterii S. Mariæ Virg. aliàs Scotorum Wienna anno Domini 1435.* Opusculum tamen hoc sub nomine Thomæ de Kempis editum fuit *Meming per Albertum Kunne de Duder-*

Doderstat anno Domini 1489. in 4o. ad quod ita præfatur editor: *Tractatus hic prætitulatur Alphabetum Divini amoris, quem bonorum assertione virorum edidit auctor Divinissimus de Imitatione Christi vocatus Dominus Thomas de Kempis, Præpositus & Prælatus Can. Reg. in Koczen. Quod quidem Deificum Alphabetum digito DEI procul dubio casualiter dictatum vir ille admirabilis & Seraphicus toto vitæ suæ tempore ob singularis humilitatis insigne conatu multo abscondit & occultavit, ac primùm post vitæ suæ felicem exitum sub capitali lectuli sui in lucem repertum prodire finiit* &c. Sed nec Martino de Cybs seu Zips ex Monacho Abbati demum Scotensi, nec Thomæ Kempensi, sed Nicolao Kemph de Argentina Carthusiano Gemnicensi in Austria eam scriptionem decernendam esse contendit eruditus ejusdem Carthusiæ Bibliothecarius P. Leopoldus Wydemannus, qui se Nicolai sui avtographum possidere asserit. Quæ viri docti sententia ex Codice Weihenstephenensi & Mellicensi egregiè confirmatur. Ille controverso Opusculo hunc titulum præfixum ostentat: *Incipit libellus, qui intitulatur Alphabetarium Divini amoris, & est à Carthusiensibus editus* &c. In Codice verò Mellicensi manu nostri Johannis de Spiz exarato isthæc clausula ad libelli calcem adscripta est: *explicit Tractatulus sive Alphabetarium Divini amoris editus per quendam de Ordine Carthusiensi.*

XIII. Extat hìc etiam Magistri Præpositini *Liber Officiorum de Divino Officio & diurno.* Incipit: *ecce nunc tempus acceptabile & dies salutis dicitur tempus gratiæ* &c. manu seculi XIII. circiter. In prima Codicis pagina notantur *nomina, qui tractàrunt de officiis Divinis: Isidorus, Rabanus, Amalarius, Alquinus didascolus Karoli, Hanricus solitarius, Rolericus, Hugo de S. Victore, Johannes Beleth, Præpositinus* &c. Ex quibus Hanricus sine dubio Honorius Augustodunensis, Rolericus verò nobis prorsus incognitus est. *Liebardi Monachi Horreum Formicæ*, seu collectio præcipuarum rerum & sententiarum, quæ apud veteres Theologos reperiuntur. Incipit Præfatio:

Libri	*Bonorum*	*Discernentium*
Istius	*Atque*	*Vniversitati*
Exordio	*Recta*	*Supplico.*
Mei	*Lectionis*	*Apparebit*
Operis	*Exercitio*	*Planè*
Novitatem	*Gratioso*	*Plurimi*
Amplecti	*Intellectus*	*Esse*
Certam	*Tribuetur*	*Laboris*
Hominibus	*Et*	*Librorum*
Vtilitatem	*Tali*	*Auctoritatibus*
Subministrantem	*Exactione*	*Novas*
Igitur	*Utilitas*	*Distinctiones*
Sine	*Mutuabitur*	*Velle*
Tædio	*Hoc*	*Munire*
Vel	*Opusculum*	*Expositorum*
Murmuratione	*Relegentem*	*Siquidem*
Lector	*Raro*	*Sollertia*
Intentus	*Effugient*	*Expostulat*
Benè	*Verborum*	*Competenti*
Recondat	*Mysteria*	*Exquisitione*
Verba	*Fructum*	*Notare*
Memoriæ	*Operis*	*Sensum*
Contemplationis	*Requirenti*	*Verborum*
Otio	*Multiplex*	*Idoneis*
Laborioso	*Intelligentia*	*Testimoniis.*
	Citò	
	Exhibebitur	

)(b Hujus

Hujus schematis acrostichis hunc sensum reddit: *Liebardus Monachus istum librum collegit, & eum Horreum Formicæ appellandum esse censuit.* Qua ætate Liebardus vixerit, non satis liquet. Manus Petrensis Codicis seculum XIII. refert. Ejusdem fit mentio in Catalogo Librorum bibliothecæ Monasterii Prunfeningensis anno MCCCXLVII. congesto. Sed hujusmodi rerum disquisitio, uti & accuratior Petrensium Codicum recensio alibi commodiùs instituetur.

XIV. De Archiepiscopali bibliotheca quæppiam addamus, ad quam visendam nos nihil minùs expectantes, jussu Celsissimi & Reverendissimi Principis & Archiepiscopi, Prænobilis ac Excellens Dominus Lospühlerus pater, Ejusdem Archiater invitavit. Bibliothecæ structura non inelegans est, nec præstantiores quidam libri editi in ea desiderantur. Verùm Codices pro dignitate loci pauciores & recentiores sunt. *Statii, Macrobii & Plauti opera* manûs elegantiâ omnium oculos tenent, etsi cæteroquin ipsi Codices ducentorum annorum ætatem vix superent. Eadem manu perscriptas *Ovidii Metamorphoses, tres Decades Livii* & quasdam *Ciceronis Orationes* demirati sumus. Vastissimus est Sacrorum Bibliorum Codex in maximæ formæ membrana, venustissimis litteris & elegantibus picturis illustratus *per Johannem Freybeckh de Königsbrügk sub annum Domini MCCCCXXVIII.* Ejusdem propemodum ætatis est *Ordo, quomodo Concilium vel Provincialis Synodus celebretur.* Incipit: *Prima die hora conveniente Dominus Archiepiscopus Episcopalibus vestibus indutus cum ministris procedat* &c. in Cod. membr. 4. Non nihil antiquius est *Benedictionale*, in cujus primo folio cernitur effigies Engelmari Chiemensis Episcopi, populum benedicentis, qui secundùm Bucellini calculum anno 1399. Ecclesiæ suæ regimen auspicatus est. Alius est Codex membranaceus in folio scriptus *à Johanne de Neidperg* (Idem Bucellinus male Neüperg) Episcopo Secoviensi, ex quo non nulla historiam Austriacam spectantia libavimus. Ad annum 1387. hæc consignat Johannes: *Anno Domini 1387. in depositione S. Virgilii captus est Pilgrimus oriundus de Puechaim Archiepiscopus Salzburgensis nequiter & turpissimè à Fridrico Duce de Babaria, & traditus à Stephano fratre eidem Friderico, non obstante bono * conducti, litteris, bonis promissionibus & instrumentis firmato: nec non comederunt & biberunt secum pridie & eodem die. Factum est in claustro, qua * nuncupatur Rotenbaslach.* Hæc de Codicibus bibliothecæ Archiepiscopalis, in qua singularem Cl. V. Domini Schlachtneri ejusdem bibliothecæ propræfecti, qui tunc Salisburgensem historiam patrio idiomate accuratè scribebat, humanitatem experti sumus. Ad cœnobium Petrense revertamur.

* Ita Cod.

* Sic Cod.

XV. In ejus Sacrario non nulla oculis percepimus à nostro instituto neutiquam aliena. Præter enim splendidissimum sacrum apparatum, qui præcipuo quodam munditiæ studio hìc à cœnobitis nostris curatur, inspeximus etiam membraneum *Psalterii* Codicem in forma ferè minima minutissimis litteris perscriptum, quem S. Ruperti primi Episcopi Salzburgensis & Abbatis Petrensis fuisse tradunt. Amplum itidem calicem cum tubulo ad hauriendum inde sanguinem Domini: omnia ex argento. Signum seu statuam S. P. Benedicti eleganter atque distinctè vel è ligno fabrefactam vel lapide fusam à B Tiemone ex cœnobita Nideraltahensi Archiepiscopo Salisburgensi, cujus præterea opus est simulachrum Matris Domini, filiolum sinu gestantis eodem artificio elaboratum, quod in Ecclesiæ presbyterio collocatum spectavimus. Cæterùm de Archiepiscopalis Palatii magnificentia, & Hortorum, Universitatis Benedictinæ, nunc etiam elegantissima Basilica decoratæ, reliquorumque in urbe Salisburgensi templorum splendore post alios quidquam commemorare supersedemus, in opere præsertim litterario, in quo non quid uspiam novæ elegantiæ, sed quid veteris memoriæ adhuc extet, persequi proposuimus.

XVI. Antequam Salisburgo discederemus, Parthenonem Nunbergensem Ordinis nostri accedere visum fuit. Ibi sacris operati in A. R. P. Wolfgangum, Cœnobitam Seonensem, qui nostram amicitiam dudum exoptaverat, incidimus. Is vir juvenis quidem, sed ad erudita studia natus tum de dicti Parthenonis, cui sacra ministrabat, tum de sui Monasterii antiquitatibus nos candidè docuit, questusque est, Virgines illas, cæterà religiosissimas, in proferendis veterum suorum monumentorum reliquiis morosiores esse, suum autem Seonense Monasterium vel injuriâ temporum vel majorum

incu-

incuriâ nihil penitus veterum librorum MSS. retinere. Tum ad conclave deductis amplissimum *de Viris Illustribus Ord. S. Bened.* ab se undequaque corrasum Commentarium ostendit, in quo non pauca nobis adhuc incomperta inesse deprehendimus, quæ se Wolfgangus nobiscum communicaturum liberalissimè spopondit, visus præterea nihil ardentiùs cupere, quàm ut ampliori otio, uberiorique bonorum librorum apparatu potiretur, quibus utrisque venustioris ingenii vir, si quis alius, dignissimus est.

XVII. Ejusmodi ingenio pollentes juvenes in Monasteriis perquam multos reperimus, qui cùm ad summa quæque studia, maximè ad animosiorem Historiæ Ecclesiasticæ cultum, qui in Germania Catholica cum tanto Ecclesiæ ac Reipublicæ detrimento jam diu nullus est, aptissimi essent, à nobis impense collaudati, & ad rem strenuè agendam incitati de nullo acerbiùs quàm de bonorum librorum penuria & temporis angustiis conquesti sunt. Utrique sanè infestissimo solidioribus litteris incommodo medeantur religiosorum Collegiorum Præfecti necesse est, si quidem adversariorum in nos declamationes cessare velint.

XVIII. Salisburgo die vigesima prima Junii paulo ante meridiem digressi, insequentem noctem *Traunkirchii*, Bajoariæ oppido, à Guttensteinio Cæsareanarum ad Oenum copiarum Duce nuper vastato, transegimus. Inde *Seonense* Ordinis nostri Cœnobium, veteribus *Sewn* quinque circiter horis distat: ubi re id in bibliotheca experti sumus, quod P. Wolfgangus ante prædicârat. Namque die vigesima secunda ejusdem mensis, dum omnes bibliothecæ forulos pervaderemus, non nisi unum unicum, eumque principio mutilum chartaceum Codicem deteximus, quo Chronicon quoddam Bajoariæ lingua vernacula scriptum continebatur. Perductum id est usque ad annum 1469. quo his verbis desinit: **vnd do man zalt noch Christi gepurt vierzehen hundert und an zway sechzig Jahr vor Sand Martrintag / gewon Herzog Ludwig von Payrn dem Reich ab die Stat Schwebischwertt / und darnach ein dem neunsechzigisten Jar muest Er Sy dem Reich widergeben. Darzu betwang In Margraff Albrecht von Brandenburg mit des Chaisers vnd ander vil Fürsten und Herren hilff: vnd ein dem sellen Jar pren Rosenhaim der Mark aller aus an Sant Jacobs abent.** Ad annum circiter 1220. hæc de Leopoldo Duce Austriæ refert Chronographus: **Nu was zu der zeit eln Herzog ln Osterreich / der hiess Leupold. Der uam zu lm 200. Mark Goldes / vnd rait damlt zu dem Chaiser / vnd wolt einen alten hass damit versüenen. Vnd da der Chaiser das gelt sach / da sprach Er wol spetleich: daz ist zwar schnodes guet: Jr der von Osterreich welt Jr mir dez Goldes mer geben? Da sprach Herzog Leupolt: zwar Herr Chaiser han ich einen sodlichen Lon umb mein gab verdient / so will Euch meines Goldes fürpaz nimer bringen** &c. Universim hoc Chronicon non admodum magni momenti est. Inter recentiores libros extant etiam quinque volumina in fol. Werlini Cœnobitæ Seonensis, Musices peritissimi, *de Rhythmorum varietate, typis, exemplis, & modulationibus*, quod vastum opus magna cura & studio conscriptum est anno 1646. In eodem Asceterio parentum nostrorum memoria plus doctrina præstantes viri floruêre, Sigismundus Abbas, ad Cæsareæ Vindobonensis bibliothecæ Præfecturam evocatus, Bernardus Ruedorffer, & Romanus Müller, qui corpus S. Rogatiani M. Roma Seonam attulit, tumulatus in templi choro hoc epitaphio:

Abbas Romanus in Seon mortuus 19. Julii 1671, ætatis 72. ante altare Rogatiani, quod ipse Roma attulit.

XIX. De Tabulario seu Archivo cùm sermo de industria inter cœnandum illatus esset, nec Reverendissimus Dominus Abbas Columbanus, Præsul optimus, nec alius quisquam nos sat capere velle videbatur. Itaque ea cogitatione missa sequenti die *Wasserburgum*, nobile ad Oenum oppidum, indeque *Atilam*, Ordini nostri Cœnobium censu quidem tenue, sed Religiosissimo Domino Abbate Cajetano, & Cœnobitarum charitate prædives delati sumus. Locus hic sacer D. Michaëli Archangelo est, cujus basilicam laudatus Præsul, ex Weihenstephenensi Monasterio Atilam accitus, irrequietis laboribus eo perduxit, ut elegantioribus Bajoariæ templis accenseri posiit. Supra cujus fornice cùm nescio quis hoc elogium majusculis elementis efformandum curâsset:

Cajetanus Abbas hanc domum ædificavit, re comperta vehementissimè commotus modestissimus Abbas, eo deleto, hæc verba substitui jussit: *Providentia DEI ædificavit sibi hanc domum.*

XX. Bibliotheca Atilensis admodum angusta nec ullis vetustioribus instructa est. Ipsum *Necrologium*, quod codice membraneo in 4. comprehenditur, non nisi à seculo decimo quinto collectum est, ùt ex hac clausula manifestum fit: *iste liber editus est à Reverendo in Christo Patre & Domino, Domino Martino Abbate in Attl, & finitum per devotum ac religiosum fratrem Sigismundum Vorchl* ab dem Varbach/ *professum bujus Monasterii sub anno 1495. quorum animæ in Christo quiescant feliciter perpetua.* Eodem seculo concinnatus est *Codex Traditionum*, seu Diplomatum, Donationum, Concambiorum, Privilegiorum Monasterii Atilensis, quem benignissimus Præsul in Archivo nobis evolvendum præbuit, eo nomine magni faciendum, quòd non summaria quædam & epitomas veterum ejusmodi instrumentorum, ùt in pluribus aliorum Monasteriorum Codicibus Traditionum usuvenit, sed integras & ad avtographorum fidem exactas propinet. In hoc Monasterio anno Domini 1696. III. Id. Nov. vita functus est P. Romanus Schell, homo adeò tenacis memoriæ, ut, quidquid uspiam toto vitæ tempore legendo didicisset, id omne designatis librorum paginis, si posceretur, redderet. Reliquit is *Apiorum*, ùt vocat, seu selectarum ex omnium generum & artium libris rerum ac sententiarum volumina Quinque in folio, elegantibus emblematibus & picturis collustrata, quorum tamen non nisi quatuor cum voluptate præsentes spectavimus. Ad pedem montis, cui *Atila* insistit, constructum est templum *Christo exuli* sacrum, vulgò in dem Eiend/ ingenti peregrinantium concursu celebratum, cui pervetus Christi è cruce suspensi statua lignea, secundo Oeno, incertum unde, ad hoc littus delata initium præbuit. Eò die vigesima Junii Duce Reverendissimo Domino Abbate, qui hunc locum mirificè ornavit, descendimus. Inde post dictum sacrum & reditum ad Monasterium, tertio ab adventu nostro die ad Cœnobium *Rotense*, horæ intervallo *Atila* dissitum, perreximus, sacris munusculis & libellis, inter quos unus de Origine ac Miraculis Christi Domini *in exilio* auctore A. R. P. Priore Atilensi, Benedicto erat, probè onusti.

XXI. Monasterium *Rotense* Ord. S. Ben. aliàs dictum *SS. Marini & Aniani*, Regium soliusque Imperii olim fuit: nunc reliquorum Bajoariæ Monasteriorum fortunam sequitur. Ejus loci cœnobitarum, præsertim A. R. P. Prioris Ildephonsi Groß erga nos humanitas nequaquam vulgaris extitit, ita benè volente Reverendissimo Domino Abbate Æmiliano, Præsule undequaque doctissimo, sub quo studia pietatis & litterarum in Monasterio Rotensi egregiè florent. Triduum hîc excutiendæ bibliothecæ dedimus, quo A. R. P. Wolfgangus Supprior & Bibliothecarius, vir totus ex modestia & religione factus, ad nostra studia semper præsto erat. Seculo decimo quinto Codices veteres perquam numerosos in hoc Monasterio extitisse satis demonstrat syllabus librorum circa annum 1490. in membrana conscriptus. Hodie pauciores multò numerantur, ex quibus lectiores sunt: *Hieronymi de Werde Monachi Lunalacensis Tractatus de universis dubiis, quæ in Regula S. P. Benedicti possunt occurrere.* Incipit: *rogatus à fratre mihi charissimo* &c. Obiit auctor anno 1475. cujus propè innumera in diversis bibliothecis opuscula reperiuntur, interque ea *Tractatus de duratione & annis Mundi ab Adamo usque ad Christum*, scriptus adversus Ven. Johannem de Weilheim Priorem Mellicensem. *Johannis de Campidona Monachi Mariacellensis* in Austria circa annum 1450. *Tractatus de Confessione generali.* Incipit: *utrum confiteri generaliter* &c. Anonymi Vita S. Rochi in Codice chartaceo fol. In fine operis: Dy Historj ist von Walsch auf teutsch gemacht in der Löblichen Statt zu Wienn in Osterreich nach Christi Geburd M°. CCCC° vnd LXXXII Jar. Anonymi *Ephemerides* Historiæ ab anno 1482. ad 1485. quæ quia res Austriacas admodum illustrabant, à fratre integre descriptæ sunt. Finiunt his verbis: *1485. Dominus Imperator levavit thesaurum suum Nurnberg de Salzburg. Albertus Dux Austriæ, frater Cæsaris Friderici Wienna, quam tunc possederat, veneno, ùt dicitur, interiit, in Nova Civitate sepultus 1463.* Quæ ultima verba, nescimus, quo casu in hunc locum conjecta sint.

XXII. Observationem commererentur & hæc: *Laurentii Ep. Ferrariensis Pauli II. in Germaniam Legati Constitutiones adversus Hussitas* in Cod. chart. 4. Anonymi Rotensis, ùt videtur Abbatis, lucubratio de *Vita SS. Marini & Aniani* in Codice membraneo circa 1250. exara-

exarato, quæ incipit: *cùm fides Christiana post incarnationem Domini nostri JEsu Christi magnalia latè per Orbem* &c. Subjunctus est itidem Anonymi *Sermo* de iisdem Monasterii Rotensis Patronis, quorum dies festus die decima quinta Novembris agitur. Utramq; scriptionem à Cl. P. Wolfgango ad nos transmissam in sequentibus voluminibus habebis. Editio enim horum monumentorum à Johanne à Via SS. Theologiæ Doctore anno 1579. Monachii typis Adami Berg in 4. procurata, cùm vehementer à laudato Codice discrepet, exiguo aut nulli usui eruditis viris esse poterit. Mille fere annorum est Codex in 8. qui Apulei Librum *Perihermenias* exhibet & *Ciceronem de Amicitia*. Prioris operis hæc inscriptio & ratio est: *Incipiunt Periermenia Apulei: studium Sapientia, quam Philosophiam vocamus, plerisque videtur* &c. In fine: *Periermenia Apulei explicant, in quibus continentur categorici Syllogismi.* Denique præclarè de Monasterio Rotensi meritus est sub finem proximi seculi P. Daniel Molitor, Helvetus Bernensis, Asceta Rotensis, cujus vastum in folio volumen rerum Rotensium contuiti sumus. Inscriptio Operis usque ad annum 1688. pertexti est; *Rota seu Chronicon Rotensis Monasterii, fundati, ædificati, dotati ac dicati honori & meritis Apostolicis Sanctorum Hibernorum Sydernm Marini & Aniani, Pedemontii Bavarici Apostolorum, à seculo Mari-Aniano primo, hoc est: anno Christi DCL. quo Orbi nostro illuxêre, usque ad tempora nostra, qua non tantùm nostra, sed etiam summorum ac Bavaria Pontificum, Serenissimorum Bavariæ Ducum Rotæ per sua secula breviter volvuntur & evolvuntur* &c. Huic Operi conjungendum est aliud ejusdem argumenti, à Cl. P. Wolfgango, semel atque iterum memorato compositum hoc titulo: *Menda in Rota Aurifirensi emendanda*, id est: castigationes & emendationes Chronici Rotensis à P. Daniele posteris relicti.

XXIII. Præter MSS. Codices bibliothecam Rotensem non paucæ veteres editiones exornant, à nobis etiam accuratè recognitæ. In Archivo superest *Codex Traditionum Rotensium*, sed ævo, si rectè meminimus, recentiori conscriptus, in quo enucleando cùm bonæ horæ absumendæ non viderentur, relicta *Rota* ad Canoniam *Beybartingensem* Ord. S. Aug. quinque circiter horarum iter contulimus. Monasterium hoc peramœno loco situm, nuper admodum à Reverendissimo Domino Præposito Ignatio, quo nihil demissius nihilque religiosius in Bavaria vidimus, eleganter & commodè instauratum est. Bibliotheca pro loco sat instructa, & accuratè atque concinnè ordinata. Codices MSS. ad viginti volumina, chartacea, argumenti Homiletici, & levis momenti. Elegantissimè omnium pictus est quidam in 4 membraneus, Johannis Tucheri Iter in Palæstinam, à Simlero memoratum, complexus, ad cujus calcem hæc de se librarius addidit: **volendet vnd geschriben ist dises püchlin dem Durchleuchtigen Hochgebornen Fürsten vnd Herren/ Herren Sigmunden Pfalzgraue bei Rein/ Herzog in Obern vnd Nidern Beyren von mir Paulsen Sewer Profess vnd Korbruder zu Vndensdorff/ Mertin Sewers Bruder/ etwo seiner Fürstlichen Gnaden Kammerer vnd getrewer Diener nach Christi vnsers lieben Herren geburdt tausendt/ vierhundert vnd in dem newen und achzigisten Jare meinen Gnädigen Herren.** Rogatus à nobis A. R. D. Decanus, vir insignis & doctus, quo centum & octo volumina, quæ quendam hujus loci Canonicum sua unius manu ab anno 1418. exarâsse Ant. Guilielmus Ertl in Atlante Bavarico scribit, devenissent, respondit, diligentissimi hujus librarii nullam penitus memoriam aut vestigium apud suos extare.

XXIV. Multò adhuc minus, imò omnino nihil veterum codicum à nobis visum in Canonia *Weyarnensi* ejusdem Ordinis, quò die Apostolorum Principibus consecrata pervenimus à Reverendissimo Domino Præposito ea cum humanitate accepti & biduo habiti, qua majori vix possemus. Tanta apud Clarissimos Weyarnenses memoria cujusdam non adeo magni beneficii erat, quod à nostro Reverendissimo Domino Abbate quondam in indigos collatum fuerat. Bibliothecæ aditum urgentibus nullus patuit, fortasse propterea, quòd novissimo incendio aut conflagrârint libri, aut ob novam eamque peregregiam Canoniæ structuram in ejusmodi tantisper locum translati sint, in quo non sine gravissimo incommodo evolvi possent. Sub cœnam suavissimus sermo nobis fuit cum R. P. Kleinio è Societate JEsu viro præstante, qui cum socio R. P. Vngelehrt Monachio Weyrnam pridie pro more advenerat. Eorum alter ipso festo die pœnitentibus aures præbebat: alter concionem ad populum habebat: quæ munia hoc die duo ex Monacensi Collegio Patres quot annis hic obeunt, cùm ipsi Clarissimi Domini

mini Canonici Ecclesiam beatæ Mariæ Auxiliatricis Weyrnæ propinquam ac frequentissimo pœnitentium confluxu celebrem suo Marte, multaque cum laude administrent. Reverendus P. Kleinius, intellecta itineris nostri causa, cùm alia multa nobiscum amicè contulit, tum etiam copiam adeundæ bibliothecæ Collegii Soc. JEsu, quod Monachii regio splendore conditum extat, spopondit. Quæ viri optimi voluntas tantò nos jucundiùs affecit, quantò frequentior constantiorque in Bajoaria fama erat, plurium amicorum sermonibus ad nos delata, permultos è diversis Monasteriis manu exaratos libros ad Monacensis & Landspergensis Collegii bibliothecas dudum adsportatos fuisse. Itaque habitis multis gratiis adventum nostrum condiximus. Nec minùs intrepidè fidem nostram postea liberâssemus, nisi ea, quæ Monachii res nostras minùs secundas reddebant, aliam cogitationem nolentibus injecissent. Cæterùm rationene nitatur nec ne pervulgatus ille de Codicibus è Monasteriis ad Collegia Patrum Soc. JEsu translatis rumor, nemo quidem certiùs ipsis Reverendis Patribus noverit. Nobis Bajoariæ Bibliothecas non paucas perreptantibus nunquam veri visum simile fuit, manu descriptos Codices ex iis Monasteriis, quæ veteribus adhuc Ordinibus mancipata perstant, ad Patrum Societatis JEsu domicilia commigrâsse, tametsi non potuerit non evenire, quin illorum Monasteriorum, quæ quocunque demum modo Patribus cesserunt ut *Biburgense, Eberspergense, Castellense* &c. Codices in eorundem potestatem devenerint. Quæ hìc à nobis nulla obtrectatione invidiæ sed studio veritatis commemorata sunt, simulque ut Viro egregio memorem ob promptam erga nostra studia voluntatem animum præstaremus. Porro RR. Patribus Societatis aditam dudum eam hæreditatem nostram adeo non invidemus, ut potiùs quam amplissimam esse discupiamus, modò ad id animum inducant, ut delectu habito meliora saltem majorum nostrorum monumenta, eaque præcipuè, quæ veteri sacrorum Ordinum historiæ lucem concilient, aut ipsi exemplo Magni Gretseri è squalore liberent, aut cum liberare volentibus benevolè communicare ne graventur. Sed de his hactenus. Ad *Tegernseense* Ordinis nostri Cœnobium, quò die trigesima Junii perlati sumus, animo veluti redeamus.

XXV. *Tegurinum*, veteribus *Tegrinse*, amplissimum, olim Regium, & nunc totius Bajoariæ vulgò princeps Monasterium à prima origine Monasticæ disciplinæ ac eruditionis fama claruit, aluitque viros maximis etiam Principibus & Pontificibus eo nomine charissimos. Quò minus mirum est, si tanta hic veteris Litteraturæ supellex, antiquorumque decorum vestigia hodieque passim conspicua sint. Nos nihil majorem in admirationem abripuit, quàm Reverendissimi Domini Abbatis Petri, verè Præsularibus dotibus eximiè cumulati erga nos benignitas, gratificandi studium, ac in perferendis, quas concursationibus nostris causabamus, non levibus molestiis facilitas lenitasque, quæ luculentæ in tanto Præsule virtutes cum incredibili modestia & demissione animi conjunctæ nimium quantum nostris laboribus mehercle non mediocribus & stimuli & adjumenti attulerunt. Iidem A. RR. PP. Pauli Schallhamer, insignis Theologi & SS. Canonum consultissimi. Prioris tunc dignissimi, Benonis Vnertl Bibliothecarii, & Cajetani Schellkopf, aliorumque erga nos nostrosque conatus animi erant. De A. R. P. Alphonso Hueber verò quid dicamus? Ejus industriæ, solertiæ, ac inveterato nostri amori propè omnia Tegernseensia debemus. Eum nec Oeconomicarum rationum curæ, nec res Divinæ, de quibus ei ad populum sæpicule dicendum erat, nec aliud denique quidquam à nobis avellere poterant. Melioris commatis Codices, quos apprimè noverat, ipse primus indicabat, ex omnibus forulis undique succinctus eruebat, rogantibus nobis exscribebat conferebatque, sicque universim agebat, ut veterani amici partes non solùm cumulatissimè impleret, sed etiam longissimè superaret. Ita erga nos animato Tegurino, invocata Divina ope, confectoque ad S. Quirini Regis & Martyris aram sacrificio veterum librorum lustrum die secunda Julii accepimus, eique institimus usque ad duodecimam, quanto cum fructu nostro Reique literariæ commodo, tempus patefaciet. Porro Codices Tegernseenses non uno loco conclusi erant, bibliothecâ scilicet, quam præter illustre Typographium, totius Bavariæ magnificentissimam Reverendissimus Dominus Abbas apparabat, recipiendis libris nondum sat apta: sed illorum pars altera in munita ad Septentrionem turri, altera eaque melior, quæque Reverendissimo Quirino Millonio Abbati eruditissimo, Petri antecessori in deliciis fuerat,

rat in conclavi Abbatialibus ædibus proximo, quod *Templum* dicunt, custodiebatur. Nos ex utriusque loci angulis omnibus ultra mille Codices contentione paullò nimia protraximus, ex quibus quosdam deguſtabimus.

XXVI. *Fratris Hermanni Gigantis Ordinis Minorum Chronicon Mundi* perductum usque ad annum Domini 1349. Inc. *Maria Virginis indignus ego Sacrista vel æditus Ord. FF. Min. scire desideramus, quibus temporibus quilibet* &c. Finis: *& refundens Guntbero contra eum* (Carolum IV.) *electo expensas, quas fecerat pro regno obtinendo, & modò regnum quietè possidet DEO dante.* Tum in uno Codice (nam plura ejusdem operis exempla hic extant) subjungitur insignis *Appendix* ab anno 1349. hoc initio: *hucusque Hermannus suos Flores temporum conscripsit: ea verò, quæ sequuntur, pro complemento annotata sunt. Post Carolum ergo Quartum regnat Wenczeslaus filius ejus pro eo. Hic depositus fuit* &c. Finis Appendicis; *quot autem prædictus Pius II. annis sessurus sit, DEus scit. Modò sedit annis quinque anno Domini 1463.* Idem Hermanni Opus reperitur & inter codices Monasterii Mellicensis, quorum duo ferè millia possidet. *Historia fundationis Monasterii Campidonensis* hac inscriptione ac initio: *Historia Gotfridi de Marsilia Karoli Magni, & de fundatione Monasterii in Campidona.* Inc. *in sancta individuaque Trinitatis nomine amen. Ut non omnes temporum longinquitates & humanarum mentium debilitates* &c. Finit: *feliciter scripta sub castro Hylemont in Ludovici Pii Imperatoris Cancellaria anno Domini octingentesimo XXXII.* Tandem ad calcem opusculi, quod tredecim majoris formæ foliis constat, hæc decimi sexti seculi librarius notat: *Gotfridus de civitate Marsilia Cancellarius Pii Ludovici Imperatoris* &c. *Exemplar fuit scriptum Campidonæ pro liberaria super cortice vilmio * caduco in multis pâssibus vetustate præ nimia.* Ipse auctor sive verus sive fictitius, in contextu se vocat *Gotfridum Kerren nationis de civitate Marsilia, in Cancellaria Karoli M. minimum scribarum.* Præcedenti historiæ mox attexitur in eodem Codice, maximam historicorum monumentorum vim continente, *Tractatus Rhythmicus de Monasterio Campidonensi & ejus multiplicibus Privilegiis.* Incipit Caput I.

* *Ita Cod.*

Sancta DEI dextra nos protegat intus & extra &c. Sub finem agit auctor de agrestium rebellione adversus Abbatem Campidonensem anno 1491. Dum de numero & successione Abbatum tractat, mentionem injicit *Chronica Abbatum Campidonensium*, affirmatque tum (sub finem seculi XV.) eam extitisse penes quendam *Johannem de Linster, nobilem Benedictinum Campidonensem.*

XXVII. Historia Genealogica *Domnæ Gerdrudis Reginæ Uxoris Chunradi Regis Romanorum fundatoris Monasterii Ebracensis.* Inc. *Anno Domini 975. Imperator Otto II. regnavit annis novem* &c. Fin. *quarta filia ejus* (Chunradi) *præfuit prædiviti Abbatiæ in Patavia.* Amplissimus Catalogus Abbatum Wezzoprunensium, qui fortè à Chronico Wessobrunensi, de quo inferiùs, distinctus non est. Inc. *Ilfungus Abbas, Monachus Altahensis infer. &c. successit anno DCCLVIII.* Definit in Wolfgango Kolb de Villa Peyttingen. Eum excipit Epitaphium Illustris Christi Virginis Wulfhildis Bajoariæ Ducissæ, ac monialis Wessoprunensis Ord. S. Benedicti, cujus hoc exordium est.

In nibil Orbe vago raperis terrena propago:
Vita tibi brevis est, conditio gravis est &c.

Chronicon Austriacum & Bavaricum ab anno 1359. ad 1496. Inc. *Item anno 1359.* ist das Angelt in Oesterreich auferſtanden. *1365. in die S. Jacobi mortuus est Rudolfus Dux Austriæ, qui fundavit Universitatem Wiennensem, & ibidem ædificavit ad S. Stephanum Chorum & turrim &c.* quæ integra apud fratrem leges. *Carmen Herimanni*, sine dubio Hermanni Contracti Monachi nostri Augiensis, de *Musica.* Inc.

Ter tria junctorum sunt intervalla sonorum,
Nam nunc unisonus exæquat vocula ptongos &c. in Codice membraneo fol. manu seculi XII. *Nicolai de Dinkelspubel* Epistolaris *Tractatus contra omnes hæreticos errores M. Johannis Huss de Praga.* Inc. *eloquenti viro Domino N. venerabili verbi DEI seminatori in Praga hæc epistola detur fratri suo in Christo dilecto pro salutatione in Christo JEsu Domino nostro dilectione fraterna in charitate non ficta. Ante omnia præporrecta* &c. Hanc epistolam V. C. Hermannus von der Hardt ἀνωνύμως in suo Concilio Constantiensi edidit. In Codice tamen Lunælacensi 300. annorum hæc Epistola dicitur *Tractatus Hermanni contra Hæreticos de fide Christiana*, inscribiturque *eloquenti viro Domino Ambrosio Verbi DEI seminatori*

tori in Praga &c. Jacobi de Erfordia Quæstio: *utrum una Missa efficacior alia ad placandam Divinam justitiam* &c. Inc. *In celebratione Missæ plura occurrunt consideranda* &c. Ad calcem opusculi: *editor hujus opusculi est P. Jacobus. Extitit S Theologiæ Professor Ord. Carthus. in Monasterio S. Salvatoris Carth. Ordinis in Erfordia circa annum Incarnationis Domini 1458. auctorisante illa & alia sua scripta seu edita sanctissimo Patre nostro pro tunc Papa Nicolao Quinto.* Fratris Adæ Romani Epistola ampla *de Sacramento Eucharistia.* Inc. *Christi Jesu fidelibus universis tam præsentibus quàm futuris, ad quorum manus scriptum hoc pervenerit* &c. Opusculum suo epilogo mulctatum est in Cod. chart. sec. XV. Ruperti Episcopi Olomucensis *Libellus de his, quæ ad pœnitentiam & Confessionem pertinent.* Inc. *Sacra Scriptura continet decem præcepta* &c. Rufini Episcopi Sorani *libri duo de bono pacis ad Petrum Abbatem Cassinensem,* quos beneficio Cl. P. Bonaventuræ Perghoffer Tegernseensis prelo paratos habemus.

XXVIII. *Conradi Prioris Domus Throni S. Mariæ in Gemnico* volumen precum, Rhythmorum & Hymnorum de SS. Trinitate, S. Maria V. & aliis Sanctis. Incipit primus Rhythmus:

Ave trinus in personis
unus in essentia,
Indivisus tu in donis
cuncta creans entia. &c.

Huic Auctori probabilissimè tribuitur etiam celebris ille Hymnus de S DEI genitrice: *Omni die dic Mariæ* &c. qui vel ideo S. Casimiri Poloniæ Regis esse nequit, quòd adhuc in Carthusia Gemnicensi adservetur Codex S. Casimiro multis annis antiquior, cui controversus Hymnus insertus est. *Johannis Keck Tegernseensis* ante ducentos annos Theologi notabile scriptum *de nomine Tetragrammaton.* Ejusdem doctissimi viri plurima alia opera tum in Tegernseensi, tum in Mellicensi bibliotheca conservantur. *Udalrici de Landau* itidem eadem ætate Tegernseensis quatuor Scripta *contra M. Johannem Pyrckhamer, asserentem, quòd textus Evangeliorum, quæ nunc præ manibus habemus, sit per S. Hieronymum solummodo emendatus, sed quo interprete de Græco in Latinum sit translatus, nescitur.* Bernardi de Wahing circa 1450. Prioris Tegernseensis Tractatus Epistolaris *de forma servanda in excommunicationis sententia ferenda.* Ejusdem *Consolatorium tribulatorum* ad Johannem Ep. Eistadiensem, & *Remediarius Pusillanimium ac scrupulosorum* scriptus *ad quendam Doctorem Decretorum Canonicum Ratisponæ Franciscum Schlick* &c. Eusebii Corradi Mediolanensis Can. Reg. ad Sixtum IV. P. M. & Cardinales *Annotatio in errorem scribentium S. Augustinum fuisse Heremitam,* quam deinde in Bibliotheca S. Udalricana typis editam vidimus *Paduæ per Mag. Matthæum Cerdonis 1484.* in 4. Rahewini (Codex *Rahew* ad H. Papam *Flosculus,* id est: libro duo Rhythmici, quorum unus sententias Theologicas de DEO & SS. Trinitate, alter de Angelis complectitur. Incipit Opus in Cod. membr. quingentorum annorum:

Instas, urges precibus Pater venerande,
Admones, nunc acuis, nunc hortando blandè &c.

Magistri Simonis *Tractatus de Sacramentis* manu seculi circiter XIII. Inc. *Ascendens Christus in altum, & Patri eos, qui crediderant, commendans, inter cætera* &c. Haud scimus, an non iste sit Magister Simon, qui in Eberhardi II. Archiep. Salisb. diplomate, Monasterio Admontensi anno MCCIII. dato cum pluribus testem agit. Vide ipsum Diploma in Codice Diplomatico Admontensi, Tom III. nostri Thesauri Parte III.

XXIX. Fulgentii Episcopi Astigitani *Mythologiæ libri* in Codice nongentorum annorum, cujus etiam ætatis ibidem sunt *Capitularia Caroli M. Regis Francorum. Juvenci* liber quartus Historiæ Evangelicæ, *Macrobii* Saturnalia, *Ciceronis Invectivæ in Catilinam, Salustii Jugurthina & Catilinaria* à septingentis annis. *Bernonis* Augiensis Abbatis insignis liber *de Musica* ad Piligrinum Archiepiscopum Moguntinum. Inc. *Domino Deoque dilecto Archipræsuli Piligrino, vero hujus Mundi advena & peregrino Bern, licèt parvus meritis, servus tamen DEI genitricis Virginis, municipatum in arce Divinæ contemplationis. Præclara Christianæ fidei forma in te splendens* &c. manu seculi duodecimi. *Cassiodori Commentarius in Psalmos* in membrana, characteribus & picturis ad omnium invidiam decorata. *Symmachi* Viri Consularis *Epistolæ & Relationes de Republica ad Imperatores* ab octingentis annis

nis. Liber miraculorum *Gregorii Turonensis*, ejusdemque opus *de Gloria Confessorum* manu sec. XII. *Hunc librum Werinherus Diaconus & Monachus patravit.* In ejusdem seculi alio Codice in 4. *explicit liber Pastoralis cura, quem scripsit Bernhardus Subdiaconorum ultimus.* Ad calcem Codicis membranei 8. maj. in quo primo loco collocatur vulgata sub nomine S. Hieronymi epistola de Ordinibus Ecclesiasticis, extat hoc distichon manu sæculi IX.

Hunc librum rogito fratres quoscunque legentes,
Baldoni ut dicant, det requiem Dominus.

Collationes Cassiani, ad quarum finem; *hunc libellum DEO & S. Quirino ad servicium Gozpertus Abba.* [comparavit] Eædem collationes habentur in alio Cod. in 4. a Sigipoldo Monacho Tegernsf. qui Reformationi Monasterii Burani præsens interfuit, exaratæ. In fine:

Noscat quisquis bonus, scripsi quod Sigipoldus.
Hanc partem plenè Christus perreddat in Æthre.

Insignis est Codex in 4. manu seculi noni scriptus, cui *Celii Firmiani Placidi Lactantii* (ita Cod.) *Expositio in Thebaidem Statii* consignata est. Burchardi Ep. Wormatiensis *Decretum* manu B. Ellingeri Abbatis Tegernseensis exquisitè in folio descriptum. *Lectionarium* cum *Homiliario* octingentorum annorum. Sexto hujus Codicis in 4. maj. fol. hi versus leguntur:

Christo Divinam Pabo scripserat hanc Omeliam,
Dentur ut in regno sibi pramia digna superna.
Sint hoc poscentes in ea quicunque legentes.

Theogeri Episcopi Metensis *Liber de Musica.* Inc. *Pythagoras Philosophus apud Græcos primus Musica artis repertor fuisse legitur* &c. In fine ita de se librarius canit:

Suscipe fautorum Dux atque Pater Monachorum
*Nomine sub trino precor à Monacho * peregrino.*
Qualescunque novas hujus modulaminis odas.
Primus Adam stravit, alter sed justificavit.
Primus dejecit, alter moriendo refecit.
Inter quos medius, neque subprimus neque primus
Tu conversaris, qui sanctus Adam vocitaris.
Primus Adam fueras: quod ab ejus labe trahebas.
Nunc non es, sed eris alter, cùm perficieris:
Cùm mors cessabit, quam morte sua superavit
Cui nomen Christus. Is in ævum sit benedictus.
Eptaphonos, Strophicus, punctus, porrectus, oriscus,
Virgula, Cephalicus, clinis, quilisma, podacus,
Scandicus, & Salicus, climacus, Toirculus, ancus,
Et pressus, minor & major, non pluribus utor
Nevmarum figuis: erras, qui plura refugis.

* f. Peregrino.

Idem Opus Theogeri extat & in Bibliotheca Zwetlensi. *Vita S. Petri Apostoli* versu Elegiaco ab Anonymo perscripta ad quendam Leonem Papam in Cod. membr. 4. manu seculi minimùm X. Incipit Præfatio:

Præsul amande Leo hic valeas per secula multa:
post hac det tibimet regna beata DEus. &c.

Incipit Opus:

Claviger æterna Paradisi & janitor aula,
Cedere cui jussu claustra tremenda solent. &c.

Codicis Theodosiani Libri VIII. in folio à mille propè annis exarati. *Boëtius de Consolatione Philosophia.* In primo Codicis folio:

Hunc ego Froumundus librum ecce Colonia scripsi,
Atque huc devexi, tibi Sancte Quirine decrevi.

In fine Codicis:

X c Hic

Hic sacros calamo scriptor sulcante libellos,
Ut gaudere solet fessus jam nauta labore
Desiderata diu littora nota videns:
Haud aliter scriptor optato fine libelli
exultat viso lassus & ipse quidem.

Ejusdem Boëtii *Liber de Musica.* In fine:

Hunc librum Froumund & scripsi & scribere feci.
Qui legis hac, memorare mei, rogo cum prece frater.

Floruit Hic Froumundus, Monachus Tegernseensis sub finem seculi decimi, cujus Poëmata & Epistolas multò plures, quàm à Mabillonio Tom. IV. Analectorum edita fuerunt, in nostro Codice Diplomatico-Historico-Epistolari proferemus. *Pauli Diaconi Epitome librorum Pompei Festi de significatione Verborum.* In fine; *Abbas indignus Ego Ellinger peccator istam Glossam scripsi, dum essem in Altahensi Monasterio, DEO sanctoque Quirino. Rogo vos omnes in ea legentes, ut oretis pro me.* Exulavit Ellingerus in Monasterio Altahensi circa annum Domini MXLII. *Benedictio Cœna Paschalis* Judæis usitata litteris Hebraicis in Cod. memb. fol. à trecentis annis, cum versione Latina Anonymi ejusdem ætatis. Sed hæc de Codicibus Tegernseensibus in gustum tantummodo reliquorum commemorata sunto. Nam si omnia, quæ ex iis vel in nostras tabulas retulimus, in medium afferre vellemus, justum nobis volumen cudendum esset, id quod integrum servatum sit A. R. P. Romano Krinner, Tegernseensi Historiographo, amico nostro diligentissimo, & ad hæc excolenda studia uni omnium aptissimo.

XXX. Duodecima Julii, qui abitioni nostræ destinatus erat, Reverendissimus Dominus Abbas in sacram solitudinem, ubi piis exercitationibus animum excoleret, se abdidit, inde ad Monasteriorum visitationem, quæ singulis trienniis in Congregatione Benedictino-Bavarica maximo Cœnobiorum commodo instituitur, progressurus, laudando sanè consilio, ut qui Religiosæ vitæ rationes ab aliis exacturus erat, easdem à se ante exigeret, reciperétque priùs Divinum de cœlo lumen, quo cœnobitas sub examen morum & disciplinæ vocandos postea collustraret. Adfuit interea A. R. P. Prior, virilis profectò ac prompti ingenii vir, qui supremùm accumbentes suavi colloquio refecit. Dein cùm Sol iamiam Meridiem spectaret, gratias benevolentissimis favitoribus effusiùs ac amantiùs agentes, conscenso curru *Buram S. Benedicti* perreximus.

XXXI. Ad Monasterium *Benedictoburanum* ex Tegernseensi iter perquam molestum fuit à vehementioribus pluviis, quibus intensi amnes & torrentes omnem latè viam aut corruperant, aut impediverant adeò, ut, *Heilbrunna* appropinquantes per certum è suis hominem Reverendissimus Dominus Abbas Benedictoburanus Magnus, Præsul prudentia, humanitate, ingenii morumque elegantia maximus observari ac moneri jusserit, ne leviori curru, quo utebamur, proximum torrentem trajiceremus, sed siquidem vellemus salvi esse, ad se tantisper ex via diverteremus. Est Heilbrunna locus hora ferè à Monasterio Burano distans sic dictus à thermis, quæ paralysi affectis remedio salutique sunt. Harum thermarum historiam seculo duodecimo scripsit Anonymus quidam Benedictoburanus, quam ex coævo ejusdem Cœnobii Codice Tomo III. part. II. hujus Operis inter vetera monumenta Buram, cujus & thermæ sunt, illustrantia publicavimus. Villam ingressi cùm Reverendissimo Domino Abbati honorem habere cuperemus, rogati sumus parumper expectare, dum in thermulis, quibus Medicorum consilio uti occeperat, lavisset. Verùm is vix adventum nostrum percepit, illico neglecta valetudinis cura, nos cum incredibili benignitate, qua omnia dissuaviari solet, ad se admisit, factaque liberrima lustrandæ suæ bibliothecæ potestate, suo nos curru ad Monasterium provehi jussit, addito viæ duce A. R. P. Josepho, viro insigni & rei familiaris cum commodo tractandæ peritissimo. Quò cùm devenissemus, ab A. RR. PP. Bernardo Groß, Priore, viro suavissimo & eloquentissimo, & Carolo Meichelbeck, Archivi Præfecto & Congregationis Bavaricæ Historiographo, amico dudum nobis conjunctissimo, in ipso Monasterii aditu ea humanitate ac affectus teneritudine ambo excepti sumus, ut ne nunc

quidem

quidem illum diem, illos vultus illosque sermones sine ingenti pudore sub animum revocare possimus. Eandem exquisitam erga nos omnium Benedictoburanorum benevolentiam experti sumus toto eo tempore, quod in hujus splendidissimi & olim itidem Regii, & Imperialis Monasterii bibliotheca transegimus. Nihil penitus antiquitatum hic loci erat, quod nobis ultro non fuisset ostensum tum ita mandate Reverendissimo Domino Abbate, maximo hujusmodi studiorum æstimatore ac acerrimo judice, tum studiosissimè rem curante P. Carolo, viro, quo eruditiorem, ac antiquitatum, præcipuè Bavaricarum scientiorem in Bajoaria non invenimus. Ejus erga nos amorem æmulatus est A. R. P. Gregorius Zödl, Bibliothecæ Præfectus, in re Comica præterea insignis, cujus strenua operâ non modicis accessionibus nostri commentarii adaucti sunt. Cæterùm bibliothecæ Benedictoburanæ Codices MSS. nequaquam proletarii sunt, sed cum totius Bavariæ, ac fortè etiam Germaniæ præstantissimis conferri possunt. Cæteris palmam præripiunt, qui dono Kisylæ Reginæ Franciæ ad *Cochalense* primùm, deinde Buranum Monasterium pervenêre. Multa etiam præclara Archivum Buranum continet, immortalibus Præfecti sui laboribus scitissimè ordinatum. Inter alia legimus etiam diploma Rudolphi I. Imp. quo Ortolfum Abbatem Buranum cum successoribus sacri Romani Imperii Principem creat. Sed hoc integrum invenies Tom. III. parte III. hujus Collectionis inter *Monumenta vetera Benedictoburana*, inter quæ itidem amplam præstantiorum hujus loci Codicum recensionem reperies nostris notis illustratam.

XXXII. Porro dum longiorem in Monasterio Tegernseensi moram traheremus, in vasto quodam exenterando volumine frater perpetuus erat, unde præter alia multa scitu longè utilissima etiam elogium venerabilis Christi Virginis & Sanctimonialis Wessobrunnensis, Diemudis nomine, operumque ab ipsa speciosissimis litteris descriptorum elenchum ad verbum exscripsit. Cumque in hoc amoebæarum B. Herlucæ ac Diemudis Epistolarum, quæ in Monasterio *Bernriedensi* adserventur, mentio fieret, earum recuperandarum desiderio incensi ambo ex Cœnobio Benedictoburano decima nona Julii ad *Bernriedense* iter instauravimus, nequicquam renitentibus amicis Buranis, qui ad monasterium *Ettalense*, ubi Reverendissimus D Abbas Placidus illustre nuper Nobilium adolescentulorum Gymnasium condidit, nos iter flectere malebant. Sed cupidine legendi laudatas epistolas jam toti capti eramus, præterquam quòd speraremus non nulla nos vestigia Pauli Bernriedensis Canonici, qui res à S. Gregorio VII. præclarè gestas litteris commendavit, deprehensuros. At enim utriusque nos spes delusit. Bibliotheca, ùt hujus loci omnia, si RR. DD. Canonicorum humanitatem & amorem in nos maximum excipias, tenuissima, nullus Codex, nulla membrana, nulla Diemudis memoria. Tum rogantibus, & de Reliquiis B. Herlucæ percontantibus à Reverendissimo Domino Præposito Johanne id responsi datum, sanctissimæ DEI ancillæ lipsana cum Fundatorum ossibus ad epistolare principis aræ cornu in Ecclesia tumulatis ita confusa esse, ut non facilè discerni queant. Idem Optimus Præsul brevem suæ Canoniæ historiam nobis ostendit, sed non nisi à centum fere annis consarcinatam.

XXXIII. Bernriedensem Juventutem Philosophicis disciplinis tunc informabat Cl. D. Robertus, Monasterii *Reittenbuchensis* Canonicus, vir egregius, qui ad suam nos Canoniam humaniter liberalitérque devocabat. Sed nobis ea via longior ineptiorque visa est, quàm res nostræ ferrent, tametsi pretium operæ fortean non exiguum fuisset. Edocti namque postea fuimus in hujus Canoniæ bibliotheca Codicem *librorum de Imitatione Christi* delitescere, qui seculo decimo quarto, atque adeo ante Thomam Kempensem certo certius exaratus sit. In eadem Canonia sub initium seculi duodecimi etiam doctrinæ laude inclaruit Manegoldus Decanus, qui, ùt testis est Gerhohus ex Canonico itidem Reittenbuchensi medio eodem seculo Præpositus Reicherspergensis, insignem Librum pro Gregorio VII. reliquit, fortassis non diversum ab illo, quem vir doctissimus Antonius Muratorius in Anecdotis Ambrosianis sub cujusdam Manegoldi nomine repertum è tenebris evocavit.

XXXIV. Ex Canonia Bernriedensi relicto vastissimo lacu *Vermiensi*, ad cujus littus constructa est, *Pollingam* iter fuit die vigesima prima Julii. De hujus Canoniæ

ac Monasterii *Wessofontani* conditione perquam controversa, A. R. D. Philippus Saller, Canonicus Pollinganus, vir eruditus & harum rerum probè gnarus, ex antiquissima, ùt ajebat, membrana Wessofontana, nobis Monachii hos versus consignavit:

Cœnobium Fons Wessonis cognomine dictum
Illustris Princeps Thassilo condiderat,
Erecta in cœlum quem scala instruxerat. Inde
Dux idem insignis repperit ipse cruces
Ternas per cervam mirè terram fodientem.
Cœlitus hinc motus Thassilo cœnobium
Fundavit Pollinganum elapsis tribus annis,
Sedes cui Æthereas det DEus Omnipotens.
Utraque claustra hac Antistes Bonifacius almus
ore dicat proprio, consecrat atque DEO.

Ex quibus versibus ut ætas conditi Monasterii Pollingani vero similiùs colligi possit, non ab re erit, veterrimis litteris exaratum quoddam de fundatione Cœnobii Wessofontani fragmentum ex Codice S. Emmerammi hic referre, quod sic habet:

*Nota hæc Chronica valde obscurè ac perplexè in Codice expressa est. Sed aliter legi non potest quàm vel DCCLII. vel DCCLIII.

Anno Christi DCCLII. * *Thassilo filius Odilonis & Hiltrude, sororis Pippini Patris Magni Charoli Dux Bajoariæ jam in Marchia ducatus, tunc regni Bajoariæ in saltu, qua Rotinolt dicitur, inter Aprar rivum & Lieum venationi operam dabat juxta fluvium, qui Rotam influens, ex cujus nomine Thessilespach nuncupatur. Ubi dum sopori in tentorio jacens per noctem se dedisset, vidit in somnis juxta fontem - - - è terra scatentem se astare, & exinde ad meridianum scalam ad cœlum porrectam, & Angelos ascendentes & descendentes per illam. Ejus venatorum alter Turingerus, alter VVezzo dicebantur: quorum Wezzo fontem, qui fons Wessonis dicitur, à se inventum ostendit in modum † ebullientem de terra - - - Monasterium erexit, sancto Bonifacio constituit: ubi primus Abbas Ilsungus, Altabensis Monachus, qui post XLI. annos II. Id. Maj. obiit, & in Meridionali plaga sepultus est.* Hæc ibi. Si igitur Canonia Pollingana *elapsis tribus annis*, ùt canit vetus Poëta, post conditum Monasterium Wessofontanum à Thassilone fundata est, ex fragmento Emmerammensi consequitur, hanc fundationem factam non esse ante annum Domini DCCLV. quo anno Thassilo tredecim annos natus erat, si quidem hanc lucem adspexit anno DCCXLII. ùt testatur Chronographus Matzeensis nondum editus. Sed hæc nostra non facimus. Ad bibliothecam hujus Canoniæ potiùs nos convertamus. In ea libri manu descripti circiter ducenti sunt, chartacei plerique ac recentioris ætatis, unde nihil in rem nostram haurire poteramus præter Ladislai Regis Bohemiæ ac Austriæ Ducis. & Leonoræ Friderici III. Augustæ Conjugis Epitaphia. Primum frater suo loco dabit: posterius hic sistimus cum præfatiuncula Nicolai Ruff de Gunczburg, quem ipsum epitaphium fortè auctorem habet.

Epitaphium Serenissima Principissa & Domina, Domina Leonora, Romanorum Imperatoris, Illustrissimi Principis & Domini, Domini Alfonsi Portugallis Regis filia, cujus ego Nicolaus Ruff de Gunczburg, aliàs dictus Waguer, Plebanus in Naw & in Ulma Capellanus commensalis fui Anno Domini 1466. mihi valde gratiosa, cujus anima requiescat in pace. Eodem anno in thermis eram in Baden infra Wiennam & Novam Civitatem. Eodem anno Sua Serenitas dispescuit mihi altare unum in Rutlingen. & plura. Erat enim exemplar & speculum honesta & bona vita coram hominibus, nunc DEO Omnipotenti grata, cujus dignus non erat Mundus.

Portugalis Princeps, & filia Regis.
Imperii consors Romani Cæsaris digna,
Mortua jam Mundo claudor Leonora sepulchro.
Gens mea me lugeat & Cæsaris urbes,
Curia condoleat, doleat Portúsque Naonis.
His desiderium præsertim triste reliqui. Amen.
Cecidit heu pulchra Imperatrix Leonora
Ex stirpe Regia utroque parente nata,
Ut posset vivere regnaréque beatè!

In

In margine ad postremos versus hæc idem Nicolaus adscripsit : Portnatw was meiner Gnedigisten Frau Morgengab &c. *& valde dilexerunt eam.* Ita Codex.

XXXV. Multò antiquius, eoque nomine præstantius Pollinganum monumentum est *Rotulus* seu *Rotula* membranacea diffuso volumine à Reverendissimo Domino Præposito Alberto nobis explicata, in qua Ducum & Nobilium Diplomata & donationum chartæ manu potissimum seculi duodecimi descripta sunt. Ab ejus tergo cùm V. C. Schraderus, Serenissimo Britanniarum Regi Georgio à Secretis & Epistolis Welforum seu Gwelforum nomen ejusdem ætatis stylo distinctè pictum deprehendisset, mox adscito scenographo id, ùt erat, in chartam traduxit, & Reverendissimum D. Præpositum argenteo majoris moduli numismate memoriæ causâ remuneratus est. Eadem grati animi vestigia in Monasterio Tegernseensi & Benedictoburano reliquit, quò vir eruditus Welficam stirpem, ex qua Serenissima Domus Brunswicensis oriunda est, illustraturus se contulit. Quocirca haud paulo amplior nostra fortuna fuit, qui, cùm duodecim Gwelfonis, vulgò Senioris, epistolas è bibliotheca Tegernseensi erutas cum V. C Georgio Eccardo, eidem Serenissimo Regi à Consiliis & bibliotheca communicâssemus, à Sapientissimo & Munificentissimo Principe aureo magni pretii memnosyno honorati sumus, id quod non ideo hoc loco celebramus, ut nostra merita, quæ nulla erant, invidentibus occinamus, sed ut tantam Potentissimi Principis in nullius nominis Monachum liberalitatem seræ posteritati commendemus.

XXXVI. Porro cùm nihil præter extraordinariam Reverendissimi Domini Præpositi, ejusdemque A. RR. DD. Canonicorum, præsertim R. D. Eusebii bibliothecarii, viri maximæ spei, humanitatem nos Pollingæ moraretur, habito singulis honore die vigesima tertia Julii manè inde profecti, sub Meridiem in splendidissimæ structuræ Monasterio *Wessofontano* Ord. S. B. advenimus, cum Religiosissimis & politissimis Sodalibus nostris in regulari cœnaculo pransi. Mensâ sublata in bibliothecam cum A. R. P. Mauro Luz, Novarum emendatiorumque Biblicarum Concordantiarum Auctore nos abdidimus. Commodùm etiam a Cl. P. Priore Thientone ad nos ex Parochia Vilgerzhofensi evocatus aderat A. R. P. Thomas Aquinas Erhart, pluribus libris editis celebris, pluriumque annorum amicitia nobis conjunctissimus. His præeuntibus non paucos Codices calamo exaratos in bibliotheca reperimus, inter quos quantivis pretii quidam fuisset in folio chartaceus, diversa historiæ Austriacæ monumenta ostentans, nisi continentibus lituris & lacunis adeo fœdus extitisset, ut vix quidquam certi extundere potuerit studiosissimus frater. Luculentus etiam sine dubio fuerit ille membraneus, qui vetus Chronicon Wessobrunnense complectitur. Sed eum Reverendissimus Dominus Abbas Thassilo, Præsul prudentissimus & alter loci fundator, jam multo tempore lustratis omnibus Monasterii angulis nequiquam perquirit, etsi plures Cœnobitæ suis eum oculis conspexisse se adfirment. Insignis est præterea Codex noni seculi in 4. ad cujus calcem isthæc notantur: *DCCCXV. Indictione VIII. in isto anno XVI. Kal. Maj Pascha, & in eodem anno defunctus gloriosissimus Carnolus Rex, & constitutus fuit filius ejus Hluduuigus rex in regnum suum.* Eidem Codici inest libellus Evdoxii Diaconi de locis sanctis *ubi Dominus pedibus ambulavit.* Usui non modico in Historia litteraria fuerit Anonymi Wessofontani *Collectaneus de Viris Illustribus*, quem in primo folio se cœpisse ait *die S. Magni anno 1513.* In eo scriptores ordine Alphabetico recensentur usque ad lit. G. nec constat, an auctor suum opus usque ad umbilicum perduxerit. Laudem præterea non vulgarem merentur *Polybistor Solini* à septingentis annis, & *Hieronymus de Viris illustribus* in duodecimi seculi membrana manu Ludeuuici Monachi Wessofontani. In fine:

Librum, quem c{ernis} frater scripsit Loudeu{icus}
Sedibus ext{ernis} patriæ ceu fidus am{icus}
Cujus sudores DEus & per cuncta labores
Tu pie perpendas, & præmia pia rependas.

Orosius ad Augustinum in Cod. membr. 4. maj. Ad calcem:

Hic Codex modici labor est manuum Loudeuuici,
Qui transcripsit } eum { quod tu lector bone n } oscas,
Mellifluumque D } eum { dare mercedem sibi p } oscas,
Sic faci } ens Chri } ste p } er te sit gaud } ia vi } te.
Scriptor hab } ens i } ste p } er secula nesc } ia me } te.

Josephi Libri VII de bello Judaico In majoris formæ folio. In fine:

Librum Judaici belli manibus Lodeuuici
Scriptum sancte Petre summo tuearis ab Æthre.
Hic labor & sit ei spes perpetuæ requiei. Amen.

Hieronymus super Danielem &c. In primo folio: *hic liber pertinet ad sanctum Petrum Wezzinsbrune.* In postremo folio:

Ex hoc dum lec } tor { bone fructum codice carp } is
Qui fuerit scrip } tor { interdum quæso memor s } is
Pauper & exiguus huic nomen erat Ludeuuicus
Sedibus externis hic librum, quem modò cernis,
Dum scripsit, frig } uit, { & quod cum lumine Sol } is,
Scribere non pot } uit, { perfecit lumine noct } is.
Sis DEus istorum merces condigna laborum.

Hucusque insignes Codices eleganti Ludovici Monachi manu sexcentis abhinc annis exarati.

XXXVII. Enimvero Ludovicum & manus elegantia & descriptorum librorum multitudine longè superavit illustris & nullo ævo satis deprædicanda Christi Virgo & Wessofontana Sanctimonialis Diemudis, de qua cùm à nemine pro ancillæ DEI de re litteraria merito hactenus actum sit, nos ea in hunc locum conferemus, quæ de illa in bibliotheca Wessofontana & Tegernseensi comperimus. Itaque de ea supra memorati Collectanei de Viris Illustribus auctor anonymus hæc habet: *Diemudis Sanctimonialis Virgo olim hujus nostri Monasterii Wessobrunn devotissima. Fuit enim Monasterium nostrum olim duplex vel in duo divisum, Monachorum scilicet & Monialium. Locus Monachorum fuit, ubi nunc est: Monialium verò eo loco, ubi nunc est Ecclesia Parochialis. Fuit hæc virgo arte scribendi peritissima. Licèt enim nullum inveniatur composuisse opus, scripsit tamen manu propria multa volumina charactere optimo & legibili tam ad Divinum cultum, quàm ad bibliothecam publicam Monasterii pertinentia, quæ quodam indice à se scripto in quodam Plenario notantur. Nam in eodem indice notantur sequentes libri ad Divinum cultum pertinentes:*

Liber Missalis cum Graduali & Sequentiis.
Liber alius Missalis cum Graduali & Sequentiis, qui datus est Episcopo Treverensi.
Liber Missalis alius cum Epistolis, Evangeliis, Graduali & Sequentiis.
Liber Missalis alius cum Epistolis & Evangeliis per totum annum, & Graduali & Sequentiis & Baptisterio integro.
Item Liber Missalis cum Epistolis & Evangeliis.
Liber Officialis.
Liber alius Officialis cum Baptisterio, qui datus est Episcopo Augustensi.
Liber cum Evangeliis & Lectionibus.
Liber cum Evangeliis.
Liber cum Epistolis

Prædicta volumina scripsit, ut dictum est, ad ornatum & utilitatem Divini cultus. Sequentibus verò bibliothecam ornavit, de quibus tantùm ea adhuc in nostra bibliotheca habentur, * f. hoc § *quæ hic * § signata sunt. Nam reliqua aut incendio Monasterii, quod, ut fertur, bis conflagravit,*

vit, aut negligentia & ignavia sequentium Monachorum perierunt, & amissa sunt. Notantur enim in præfato indice libri sequentes ad bibliothecam pertinentes:

*Bibliotheca * in II. voluminibus, qua data est pro prædio in Pisinberch.* * *Id est: sacra Biblia.*
Bibliotheca in III. voluminibus.
Moralia S. Gregorii in VI. volum. de quibus primum & tertium perierunt.
Gregorius ad Regaredum.
Gregorius super Ezechielem & quædam alia I. volum.
Sermones & Homiliæ antiquorum Doctorum III. volum.
Origenes super vetus Testamentum.
Origenes super Cantica Canticorum.
Augustinus super Psalterium III. volum.
Augustinus super Evangelium Johannis & primam Epistolam ejusdem II. volum. Primum non habetur.
Epistolæ Augustini numero LXXV.
Tractatus Augustini de Verbis Domini, de Sermone Domini in Monte, de Opere Monachorum, & Agone Christiano, de adorando DEO, de professione viduitatis, de bono conjugali, de Virginitate.
Epistola Sancti Hieronymi numero CLXIV.
Tripartita Historia Cassiodori.
Ecclesiastica Historia Eusebii.
L. Sermones S. Augustini. Vita S. Silvestri. Hieronymus contra Vigilantium. Idem de Consolatione mortuorum, Vita S. Blasii. Vita S. Johannis Elemosinarii.
Paschasius de Corpore & Sanguine Domini. Conflictus Lanfranci contra Berengarium. Passio S. Dionysii. Vita S. Adriani Papæ &c.
Hieronymus de Hebraicis Quæstionibus & multa alia Hieronymi & aliorum auctorum Opuscula.
Libri Confessionum S. Augustini.
Canones.
Glossa per A. B. C. composita.

Hæc sunt volumina à præfata ancilla DEI Diemude propria manu exarata in laudem DEI & SS. Apostolorum Petri & Pauli Patronorum hujus Monasterii. Quo autem tempore floruerit, nusquam invenire potui, cùm in omnibus voluminibus ex humilitate, ùt piè creditur, tam nomen proprium, quàm tempus, quo ea finierit, ponere neglexit. Sed quod latuisse mirum est Cœnobitam hunc Wessobrunensem anonymum, egregiè supplet Auctor diffusioris Catalogi Abbatum Wessobrunensium in Cod. Tegernseensi, ubi post epitaphium Wulfhildis, suprà delibatum comparet recensio librorum, quos *scripsit & S. Petro tradidit Diemuot ancilla DEI. Diemudis virgo,* inquit concinnator Catalogi, *DEO devota ac Monacha Regulam S. Benedicti in Monasterio S. Petri Wessesprunensi professa, ad commendatissima vita sua memoriam laudabilem, ipsa ancilla DEI devotissima infra scriptos libros manu sua propria fideliter ac ornatissimè scripsit, ac accuratissimè emendatos S. Petro obtulit, devotéque tradidit.* Tum texitur syllabus librorum à Diemude scriptorum, qualis ex Anonymo Wessobrunensi datus est, additis *Matutinali in II. voluminibus, Lectionario I. Augustino contra diffinitiones I. volum. Enchiridio, Hieronymo de laudibus Virginitatis, Chrysostomo de lapsu &c. I. volum. Plenario I. & Libro Prophetarum.* Post quæ omnia pergit auctor Catalogi Abbatum Wessobrunens. *Sciendum est cunctis Christi fidelibus, in sacris Religionibus constitutis, quòd tempore Gregorii Papæ VII. qui cœpit anno salutis MLXXIII. claruit inter cæteras sacras Virgines Dyemuet Virgo & Monialis S. Petri in Wessinsprun, qua fuit exaratrix prædictorum librorum. Obiit autem hæc venerabilis DEI famula III. Kal. Aprilis, de suis non immeritò laboribus commendanda, tandem hìc in loco suæ professionis, ibidemque sepulta in Capella B. V. Mariæ annexa Capitulo, & nominatur vulgariter* das Alt-Münster. *Extant adhuc epistolæ suaves valde in Monasterio Beronica, quod vulgariter nunc dicitur Perenried, per ipsam ad Herlucam Virginem sanctam missæ, & iterum*

ipsius Herlucavice versa transmissa, quibus se mutuò recrearunt exhortationibus charitativis, in Domino exhortando se confortantes. Fuit etiam eo tempore juxta Liei fluminis ripam in loco, qui nominatur Eptaticus, nunc vulgariter Eppach, Monasterium quoddam sacrarum Virginum, distans tantùm unum milliare à Cœnobio Wessinsprunensi, in quo in hac mortali vita claruit XXXVI. annis B. Herluca Virgo & Monialis &c.

XXXVIII. Quæ hic prolixiùs de Venerabili Diemude, inclyta Wessofontana Libraria & Calligrapha retulimus, in meliorem partem æquus eruditusque Lector accipiet. Ejus veneranda ossa sub lapideo nunc monumento in media Ecclesiæ Wessofontanæ navi ad occasum Solis condita sunt, erecta super id effigie Virginis dexteram stylo armantis. Quam cùm attentiùs contueremur, simulque elegantissimos Diemudis codices, quos paulo ante in bibliotheca plerosque adhuc superstites inspectavimus, ad animum referremus, vix lachrymas ambo continuimus, ut quos ne unius quidem Virginis labores hactenus æquâsse vehementer puduerit. Qui animorum nostrorum æstus multò acriùs efferbuit, dum nostri temporis Monialium labores cum Diemudis, aliarumque priscarum nostri Ordinis Virginum monumentis componeremus. Nempe pretiosæ nugæ nobis visæ sunt illarum occupationes ad harum opera, ex quibus non ligna & saxa, vestes & metalla ad paululum temporis acciperent splendorem, sed litteraria sequentium seculorum Respublica universaque Ecclesia egregiè proficerent. Verùm omissis hujusmodi declamationibus, quæ non solùm ætatis nostræ Monialibus, sed quibusdam etiam religiosis viris invisæ sunt, ad Monasterium *Andecense*, aliàs *Montem Sanctum* velut ex diverticulo veniamus.

XXXIX. Eò delati sumus vigesima sexta die Julii sub vesperum, cùm à meridie ex Monasterio Wessofontano excessissemus. Hujus loci cœnobitæ moribus & doctrina eximii non minori nos amore complexi sunt, quàm desiderio dudum expectaverant. Ad clavum sedet Reverendissimus Maurus, quo illustri Præsule nihil humanius, nihilque in nostra studia propensius esse potuit. Nec is hodieque in nos alius est, profusioribus etiam sumptibus veteres Codices, ad nostros usus accommodatos, ex morosiorum hominum manibus extorquere solitus. Ejusdem opera & patrocinio nobis etiam Electoralis bibliotheca Monachii paulo post patuit. Sed de hac infra. Nunc de Andecensi bibliotheca disserendum, in qua perpaucos, nec tanti momenti codices esse doluimus. Omnes ferè à trecentis annis conscripti sunt, quos inter *Tractatus de pœnis infernalibus*, qui incipit: *animadverte itaque intimè eum illis districtissimam reddendam rationem* &c. ex recentioris anonymi conjectura Bernhardo de Wahing Priori Tegernseensi tribuitur. In Sacrario tamen, quo nullum illustrius & locupletius in Bajoaria est, Codex membraneus in folio annorum octingentorum adservatur, librum, si rectè meminimus, Missalem complectens, qui ob vetustas notas & chartas, in foliorum marginibus descriptas, ex quibus tempus allatarum ad Monasterium Andecense præcipuarum Reliquiarum cognoscatur, maximo in pretio habendus est. Porro in illis eruendis & exscribendis (nam ætas quædam propemodum deleverat) magnopere sudavimus cum A. R. P. Benedicto Friepcis, nunc Suppriore, cui dici non potest, quantum conatus nostri litterarii debeant. Idem eruditissimus vir jam diu *Historiam veterum Comitum Andecensium*, antiquis chartis & monumentis probè instructam molitur, in qua etiam S. Othonem Episcopum Babenbergensem stirpi Andecensi vindicatum ibit adversus Patres Bollandianos, qui pervulgatam eam hactenus opinionem nuper admodum exploserunt. Jam verò Codicum MSS. in Andecensi bibliotheca penuriam facilè resarcit optimorum & lectissimorum typis impressorum librorum multitudo, quæ curante Mabillonio sub Eruditissimo Domino Abbate Mauro I. Græce ac Hebraicè docto, ad hunc facerrimum locum allata est. Profectò nos nullam in Bajoaria bibliothecam lustravimus, in qua tanta Historicorum veterum & comparatu difficiliorum vis extitisset. Quam dum majoribus quotidie accessionibus hodiernus Reverendissimus Dominus Abbas auget, & rem se dignissimam agit, & doctis suis filiis materiem & adminicula congregat, singulare quiddam in hoc studiorum genere aliquando præstandi.

XL. Nunc tempus monet, ut ea quoque indicemus, quæ in Serenissimi & Potentissimi Electoris bibliotheca Monachii, quò die trigesima prima Julii accessimus,

mus, notatu digniora nobis visa sunt. Ea in loco sat amplo, licèt fortè non nihil incommodo constructa est. Librorum plutei perpetua quadam serie ac ordine perquam concinno ab ortu ad occasum excurrunt, vacuo in media area spatio, justisque inter pluteos ad inambulandum intervallis. Nec hi parietibus adhærent, sed suo, librorumque, quos sinu fovent, pondere in medio solo fixi consistunt, altitudine justam hominis staturam haud superantes: contra quàm in aliis Germaniæ bibliothecis passim fieri videmus, in quibus librorum loculamenta & foruli eò attolluntur, ut ad supremam seriem bibliothecarii pervenire nequeant, nisi ante in vastis scalis & gradibus velut in crucibus & equuleis aliquamdiu hæserint. Duplex hic, ùt in principe bibliotheca, Codicum MSS. genus, Græcorum scilicet & Latinorum. Non in Latinos præcipuè intenti eramus, quos ad septingentos dinumeravimus, recentiori manu magnam partem exaratos. In his vastum *Commentarium Remigii Antissiodorensis Monachi nostri in Matthæum* hoc exordio: *admonendi sumus, ut spirituale opus spirituali intentione aggrediamur* &c. Explicit 1552. Fratris Felicis Fabri de Vlma Ord. Præd. *Evagatorium, seu Itinerarium Terræ Sanctæ in duobus* majoris formæ voluminibus. Ejusdem Felicis Descriptio *Suevia* ac in ea constitutorum Monasteriorum in 4. Hermanni Schedelii amplum *Chronicon Babenbergense*, scriptum anno 1497. in fol. quo usus est Jacobus Gretserus. Fratris Kiliani Leib Prioris Fratrum Regularium in Rebdorff *Chronicon* sui temporis. Incipit: *Laborandum hic minimè mihi videtur* &c. Obiit auctor anno 1553. Cod. chart. fol. Ambrosii Camaldulensis Monachi insigne *volumen Epistolarum*, à Michaële Monacho collectarum manu seculi XVI. in fol. *Archiepiscoporum Moguntinensium & Coloniensium, Episcoporum Herbipolensium, Eistetensium, Babenbergensium, Augustensium & Frisingensium Chronica*, quæ tamen ex nudis ferme catalogis Episcoporum conflata sunt. Cod. chart. in 4. trecentorum annorum. *Chronicon Norinbergensis Civitatis* à prima origine usque ad seculum decimum quintum, cui interfertum est *Chronicon* seu *historia fundationis Monasterii S. Ægydii* Incipit Prologus: *omne studium quantumcunque diligenti conatu elaboratum* &c. Cod. chart. in 4. Ulrici cujusdam *Chronicon* Germanicum Monasterii *in Endorff* in Codice chartaceo 4. à trecentis annis, in quo præterea prolixius *Chronicon Monasterii Reichenbacensis*, uti & breves Cœnobiorum *Emmerrammensis, Nideraltahensis, Tegernseensis, Wessobrunensis, Metensis, Obernmunsterensis, Diessensis, Ebersbergensis, Pruelensis, Scotorum Ratisbonæ, Schyrensis, Castri Habacensis, Dietramcellensis, Pruufeningensis, Reichenbacensis, Waldsaxensis, Oberaltahensis, Casareensis, Prioratus S. Petri extra Ratisbonam, Fuerstenfeldensis, Frauencellensis, Estalensis &c. annales* conspiciuntur. Baptistæ Pajarini seu Pagliarini *Historia Vicentina libri VI* quos ex vulgari Italico quidam Arnaldus Vicentinus in latinum vertisse hic dicitur. Multa virorum illustrium, ùt Caspari Schlickii Friderici III. Imp. Cancellarii, Poggii &c. epistolæ, elogia, epitaphia & id genus alia.

XLI. Ad hæc Mathiæ Spirensis Episcopi *breve scriptum de Imperatoribus & Regibus Romanorum, eorumque conjugibus & liberis in Choro Ecclesiæ Spirensis sepultis* Cod. chart. fol. manu seculi XV. Magistri Albini *libellus de Adventu Antichristi ad Heribertum Archiepiscopum Coloniensem.* Cod. memb. fol. à sexcentis annis. Hic libellus revera est opusculum Alcuini de eodem argumento à Chesnio dudum editus, viderturque cornicula quædam Alcuini plumulis ornata sanctissimo Archiepiscopo illusisse. Luculentum *Chronicon Ecclesiæ Augustensis*, ùt videtur. Inc. *brevem temporum expositionem per generationes & regna &c.* Definit in Henrico V. Cod. membr. fol. sexcentorum annorum. Duo vetera *Chronica* seu *Annales Regum Francorum*, quorum prius *ex Ecclesiæ Wormatiensis tabulis* exscriptum dicitur. *Adalberonis Laudunensis Episcopi ad Fulconem Episcopum Ambianensem de modo rectè argumentandi & prædicandi Dialogus.* Inc. *Domno Fulconi Ambiani Episcopo, Adalbero Laudunensis consequentia antecedentibus digna. Multarum res amicitiarum &c* Cod. membr. 4. manu seculi XIV. Vetustiora majorisque momenti sunt *Epistola S. Cypriani* in Codice membraneo fol. ab octingentis annis: Opus *Dioscoridis de herbarum virtutibus* in Cod. membr. 4. à nongentis annis litteris Langobardicis Latinè descriptum, & *Continuatio Hermanni Contracti* auctore Bernoldo seu Bertholdo, Constantiensi Presbytero manu coæva. Silentio prætermus alia quàm plurima, quæ viros eruditos vidisse non pœnitebit. Etsi enim nemo,

mo, qui veteres hujus Inclytæ bibliothecæ catalogos legerit, dubitare potuerit, non pauca hujusmodi cimeliorum deperiisse: restant tamen adhuc multa egregia, in quibus è squalore vindicandis utilissimam operam studiosi collocaturi sint, quod ut in tanta Serenissimi & Potentissimi erga litteras animi propensione quamprimùm fiat, unà nobiscum omnes boni precantur.

XLII. Quam diu Monachii egimus, Reverendissimus Dominus Abbas Andecensis, Mæcenas noster amplissimus in ædibus suis, quas *ad Cryptam* vulgò nuncupant, hospitium præbuit. Cumque nuntiatum nobis esset, diem adesse, qua ordinario eoque publico curru commodè Frisingam devehi liceret, convasatis rebus & visis per transennam Electoralis Urbis ornamentis eodem perreximus, nullius alterius rei desiderio amplius accensi quàm veterum Ecclesiæ Frisingensis librorum, quos ut evolvere nobis fas esset, scriptis dudum litteris Reverendissimum & Illustrissimum Comitem de Maxlrein, Illustrissimi Capituli Frisingensis Decanum impensè rogaveramus. Itaque mox altera post adventum nostrum die, quæ quarta Julii erat, ad Cathedralem Ecclesiam, à majoribus tantopere celebratam, nos contulimus, Sanctissimæ DEI Genitricis semperque Virginis Mariæ, cui ea sacra est, opem tunc nobis pernecessariam ferventiùs imploraturi. Neque enim adeo facilem, ac spes fuerat, ad veterem Ecclesiæ bibliothecam aditum habuimus, Illustrissimo Domino Decano adventûs & nostrarum precum causas priùs exploratiores & liquidiores habere cupiente. Quas cùm de integro exposuissemus, animi nostri candore delectatus & commotus respondit, se de re ad Illustrissimum Capitulum, sine cujus suffragio nihil in hoc negotio sibi liceret, relaturum. Quod dum fieret, à Clarissimis Patribus & Sodalibus nostris Weihentephenensibus in reditu occupamur, multa humanitate contendentibus, ut ad se divertere, fraternoque amore uti ne gravaremur. Quibus nos tantò promptiùs dedidimus, quantò à cauponarum incommodis ampliùs abhorrebamus, nollebamusque A. R. P. Romano Christmann, Benedictino Garstensi, SS. Canonum in Gymnasio Frisingensi, à Celsissimo S. R. J. Principe ac Frisingensi Episcopo splendide pro nostris fundato, Professori & Curatori graviores esse, cujus effusa erga nos humanitas & nostra studia promovendi contentio quantum nobis profuerit, alio loco in litteras referemus.

XLIII. Aberat eo tempore à Monasterio suo, egregiè, si quod aliud in Germania est, ornato ordinatoque, Reverendissimus Dominus Abbas Weihenstephenensis Ildephonsus, Congregationis Benedictino-Bavaricæ Præses, Præsul exquisitè doctus, visitandis inferioris Bavariæ Monasteriis ex more ac Patrum decreto intentus. Verùm à religiosissimis ejus filiis nullum erga nos humanitatis genus prætermissum est. Porro ad excutiendam hujus loci bibliothecam die quinta Augusti ab A. R. P. Victore ejus propræfecto adjuti nos accinximus, in qua non plurimi quidem, sed bonæ notæ ac plerique vetusti codices supersunt. Ex pluribus sequentes notavimus. *Sacra Biblia* vulgatæ editionis, duobus voluminibus majoris modi conclusa sexcentorum annorum. *Libros Moralium S. Gregorii M.* à septingentis annis in fol. In primo hujus Codicis folio comparet *notitia paramentorum S. Stephani, qua Mazilinus Monachus, tunc temporis aditumus præsentavit in vigilia S. Bartholomæi Apost. quando Meginhardus Abbas hìc constitutus est.* Inter hæc paramenta ultimo loco ponitur *una crystallus, cum qua ignis acquirendus est à Sole in Parasceve.* Ad calcem ejusdem Codicis additur Catalogus librorum, qui ea ætate in Monasterio Weihenstephenensi extabant, non indignus, qui hìc locum sortiatur.

Hæc est Notitia Librorum Ecclesiæ S. Stephani.

Inprimis, qui pertinent ad Divinum servitium:
Unus Missalis cum Gradali & Sequentionario ad Capellam Abbatis.
Duo Missales cum Gradali & Sequentiis & Epistolis & Evangeliis adscriptis.
Item unus Missalis.
IV. Lectionarii.
Unus Officialis.
Unus Epistolaris.

Unum

Unum Evangelium.
Duo Nocturnales absque cantu. Unus ab Adventu Domini usque ad exitum Pentecostes. Abhinc usque ad Adventum Domini.
Item Nocturnalis cum Psalterio & Ymnario & Officiali.
Item dimidius Nocturnalis.
Duo Antiphonaria cum Ymnario. - - -
Duo Psalteria in choro cum Gradali.
Ymnarius unus.
Unus Gradale ad Scholas.
Unum Baptisterium.

Alii libri à fratribus in Capitolio & ad mensam, & ad Collationem legendi.

Collationes Patrum diversorum in uno volumine.
Quatuor partes Moralium.
Unum Passionarium & unum - - Octarium diversorum Sanctorum.
Tres libri Augustini. - - -
Omeliam, quam Abbas Agano incœpit, sed non perfecit.
Vita S Martini & S. Galli, & S. Magni. Item S. Johannis Elemosynarii Episcopi.
Isidorus de summo bono.
Martinus de honestatis cura cum Omeliis.
XL. Omelie.
Sermones - - - S. Maria.
Heimo super Cantica.
Translatio S. Dionysii.
Item alius liber de nominum interpretatione.
Hieronymi vita S. Gereonis, & Passio XI. millia Virginum.
Libellus. - - -
De quatuor partibus Orationis.
Dialectica Aristotelis cum Commento.
Arithmetica. Geometria. Item Geometria cum - - - Musica duæ.
Yginus sup - - - - Mercurii cum commento.
Ovidius & Jugurthinus.
Libellus super abacum.
Fabullarius. - - -
Plinius.
Hereni medicinalis cum Fisic - - -
Eviticius de - -
Arator.
Alcimus.
Duo Persii.
Beda - - -
Chronica Jordanis.
Mappa Mundi.
- - - narium S. Stephani.
Damianus de Simoniacis.
Alexander.
Apollonius.
Dareta.
Maximianus.
- - - cella.
Clavicula - - -
- - - Medicinalia.
- - Vita S. Os.

XLIV. Perplacuerunt etiam *Horatii & Virgilii Opera*, in quorum fronte effigies Altonis seu Alti Abbatis, Codicem S. Stephano consecrantis depicta cernitur.

 Fuit

Fuit is Monasterii Weihenstephenensis moderator ab anno 1183. ad 1197. Idem Alto dicat S. Michaëli & Stephano Loci Patronis *septem partes Moralium S. Gregorii Papæ.* Trecentis annis antiquior est ejusdem *Gregorii cura Pastoralis* in Codice membr. 8. maj. In alio Codice membraneo quadringentorum annorum habetur cujusdam *Wulperti*, haud dubiè nostratis Monachi *libellus metricus de vita claustrali* hoc exordio:

Qui cupis immundi vitare pericula Mundi,
teque sitis Dio tradere servitio:
Cursu non pigro claustro sociabere nigro.
Velle relinque tuum, fer Monachale jugum.
Non est quippe grave portantibus, imo süave.
Nam datur inde quies, perpetuusque dies.
Ergo Monasterium pede festino pete Dium,
& Monachi studium disce tenere pium &c.

Sed hæc nihil sunt ad insignem illum codicem membr. in 4. in quo Monasterii Weihenstephensis *Annales* à primis incunabulis usque ad medium seculum XIV à coævis producti sunt. Huic operi calendarium seculo minimùm decimo scriptum adglutinatum est, in quo ad IV. Id. Decemb. quædam manus seculi duodecimi hæc notavit: *Hitto Frisingensis Episcopus, qui in isto loco primitus initiavit DEI servitium cum uno Preposito & sex prebendariis, qui & S. Alexandrum & S. Justinum de Roma huc attulit.* Distinctum ab illis Annalibus est *Chronicon Weihenstephenense* à Casparo Frasio, erudito hujus loci Abbate compositum, & usque ad proximum seculum perductum, dignissimum sanè, quod annalibus vetustioribus junctum typis exprimatur. Eodem pertinet amplum Elegiacum *carmen de Timone Comite, ac de miraculo Fontis S. Corbiniani,* primi Frisingensis Episcopi, manu seculi XII. exaratum, quod ita in Codice incipit:

- - - *instanti optatus, qua contigit anno,*
- - - *cum Romam sudor agebat iter &c.*

E quorum versuum regione eadem manus isthæc observavit: *versuum istorum initium non negligentia vel ignavia est relictum, sed potiùs vetustate deletum, in Rotula scilicet antiquitus composita, unde hæc sunt transcripta.*

XLV. Ita versabamur, cùm lætissimum nobis nuntium afferretur, in Illustrissimorum Dominorum Canonicorum Frisingensium Concilio, plurimùm agente Illustrissimo Domino Decano decretum esse, ut nobis lustrandæ veteris bibliothecæ suæ potestas fieret. Ergo sine mora Frisingam, dimidia vix leuca à Monasterio Weihenstephenensi disparatam regressi, deducente ac lateri nostro constanter adhærente Domino Syndico, viro præstante ac humanissimo, bibliothecam non sine sacro quodam horrore subimus. Namque tum primùm advertimus, quàm gravis ac justa causa Illustrissimo Capitulo Frisingensi suppetierit, quod petieramus, detrectandi. Neque enim ad bibliothecam ullus, nisi per Archivum, immensâ Diplomatum & chartarum mole, oculis passim exposita, oppletum accessus est, quem hominibus exteris & peregrinis, nisi rebus ante omnibus probè circumspectis, patere nec æquum neque consultum foret. Neque nos tantum animi & audaciæ unquam nobis sumpsissemus, ut ad illud sacrarium admitti peteremus, si ædificiorum & locorum ratio ante comperta fuisset. Sed vicit Illustrissimi Capituli humanitas & bona de Austriaca fide opinio improbitatem & impudentiam nostram, quæ vel ideo fortè minor & venia dignior apparuit, quòd ex universa facie nostra satis constaret, nobis non Ecclesiarum prædia, & jura, sed veteris duntaxat litteraturæ cultum ac perquisitionem studio esse. Cæterùm spes, quam de Frisingensis Ecclesiæ codicibus MSS. dudum foveramus, nos haudquaquam fefellit. Restant quippe hodie, haud dubiè de olim longè pluribus, trecenta ferè manu exarata volumina, quorum quædam ad mille annos proximè accedunt. *Gregorii M. Hieronymi, Isidori &c. Opera* non sine stupore spectavimus. Ibidem vidimus *Ratherii* ex Monacho Laubiensi Episcopi Veronensis diversa nondum edita opuscula,

Pri-

Primi hæc inscriptio est: *Invectiva satis in quodam ac lugubris relatio Ratherii cujusdam ex Laubiense Veronensis, ex Monacho exul, ex exule Præsul infelicissimi Attali ritu facti, infecti, refecti, defecti, iterum, quo solus factor, infector, refector, defector novit omine facti infecti, refecti.* Inc. *ut sacratissimus, antiquissimus, ac veracissimus ævi prioris narrat Chronographus &c.* Alterum Opusculum Ratherii est *de Translatione corporis sancti cujusdam Metronis, cujus depositio celebratur Idibus Maji Mensis octavis* (ita Codex) *exportatio deploratur sextis exeunte Jano Kalendis inaniter quamvis. Factum namque sit nec ne, temporalium nulli cognitum benè fuerit, licèt verisimile tunc temporis, cùm actum est, creditur certè.* Tum sequuntur plurimi ejusdem Ratherii *Sermones.* Codex membraneus in folio est septingentorum annorum. Extant hìc etiam duo *Bernonis Abbatis Augiensis* Ord. S. Bened. opuscula, quorum primum est *de eo, qualiter Adventus Domini hoc anno celebrari debeat, quando Natale Domini secunda feria evenerit.* Alterum agit *de Observatione jejunii quatuor temporum.* Utrumque Ariboni Archiepiscopo Moguntiacensi dicatum est. Cod. membr. fol. à septingentis annis. Nec ullibi majorem veterum Grammaticorum multitudinem, quàm hic reperimus, quod argumento est, humaniorum litterarum studia in Frisingensis Ecclesiæ schola ætatèm floruisse. Horum unus est *Erchanbertus Magister,* cujus *Tractatus super Donatum* ita incipit in Codice octingentorum annorum: *omnes artes liberales Grammaticam merito dignitatis principalitatem tenere nullus ignorat* &c. Notatu digna sunt & hæc: *Orosii Historia* manu seculi circiter octavi in Cod. membr. 4. *Paulini Nolani libri XII. in laudem beatissimi ac sanctissimi Felicis Papæ atque Confessoris Christi,* manu seculi X. *Reginonis Prumiensis Abbatis Chronicon* in septingentorum Annorum Codice. Exemplum hoc definit in anno Domini DCCCCLXVII. *Pauli Diaconi Historia Langobardica* à nono seculo. Codex hic primis foliis mulcatus est. Sed in his nihil nos limpidiore voluptate perfudit, quàm *Sancti* nostri *Gerardi,* ex Monacho S. Georgii Veneriis Episcopi Moresenæ Ecclesiæ ac Martyris, Hungarorum Apostoli *Libri VIII. Expositionum Hymni trium puerorum* hoc titulo & initio: *Deliberatio Gerardi Moresenæ Ecclesiæ Episcopi supra Hymnum trium puerorum ad Isingrimum Liberalem. Erigendum in optimis ex consuetudine contemplationibus & - - - duris incitationibus circa virium robor licèt nodosum. Ad quod conandum &c.* Incipit Liber primus: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c. In hoc primo versiculo prima ponuntur generalissimè, media autem & ultima &c.* Cod. membr. manu sec. circiter XI. in fol. Hoc Opus, omnibus adhuc eruditis viris incognitum in sequentibus tomis certissimè typis mandabimus, si quidem Codicis copia Illustrissimorum Dominorum Frisingensium Canonicorum benignitate nobis obtigerit.

XLVI. Propè nobis exciderat breve *Frisingensium Episcoporum Chronicon,* quod in Codice membraneo in 4. duodecimo seculo exaratum paucis docet, quibus sub unoquoque Episcopo bonis Ecclesia Frisingensis aucta & dotata fuerit. Sed id fortè tanti momenti visum non fuit Reverendissimo & Celsissimo Principi & Episcopo Frisingensi Francisco, penes quem, utpote in his studiis versatissimum & eruditissimum non paucos historici argumenti vetustiores hujus bibliothecæ Codices adservari ex amicis didicimus. Inter hos quidam sit, qui *vitam S. Corbiniani auctore HRotroco* contineat. Quod si verum est, rem nequaquam incommodam Eruditissimo Principi nos facturos speramus, si hujus Hrotroci Epitaphium, ex Codice pervetusto bibliothecæ Tegernseensis à nobis exscriptum hoc loco exhibuerimus. Id autem hujusmodi est:

Epitaphium Hrotrohc * *Sophistæ.*

* *Ita Cod.*

Hic jacet opertus cespitis telluris in aula
Corpore sepultus inclytus arte lector.
Venerabilis Scriptor, famosus litterarum Sophista Hrotrohc.
Hic piè vivens feliciter migravit ad Christum,
Huc venientes fratres, versos quicunque
Legentes hos, vestris rogito precibus
Animam adjuvate suam.

 Ex

Ex quibus versibus licet conjicere, Hrotrocum Tegernseensis Monasterii Cœnobitam extitisse. Sed de Codicibus Frisingensibus & Weihenstephenensibus satis supraque satis: quibus haud gravatè quædam de manu scriptis libris Monasterii *Neocellensis* propè Frisingam Ord. Præmonstr. à nobis septima die Augusti visi, inspersissemus, si quid harum delitiarum in ejus bibliotheca ætas nobis reliquum fecisset. Sed cùm Reverendissimi Domini Abbatis Mathiæ profusa in nos esset humanitas, veterum tamen monumentorum nihil penitus in bibliotheca superaerat. Itaque ad Monasterium Weihenstephenense quadriga revecti, die nona Augusti ad *Schyrense Monasterium* iter quinque circiter horarum confecimus.

XLVII. *Schyram* vix advenimus, cùm illico præsens adfuit Reverendissimus Dominus Benedictus, Præsul doctrina juxta ac vitæ integritate præcellens, qui humanitate, pietate, ac doctissimis sermonibus ipso triduo nos recreavit. Altera dein die sacris perpetratis Sacrarium nobis reclusum est, in quo insignem Dominicæ crucis portionem cum aliis Reliquiis una eademque argentea theca conclusis venerantur, quas Reliquias alteram crucis Dominicæ portionem esse P. Jacobus Gretserus malè arbitratus est, cùm non nisi unam unicam S. Crucis particulam ad Schyrense Monasterium esse delatam fidem faciant ambæ ea de re litteræ, quarum avtographa inspeximus. Hujus Sacrarii illustre præterea ornamentum est Digitus S. Mariæ Magdalenæ, ut de aliis taceamus. A regulari prandio ad evolvenda Conradi Monachi Schyrensis, quem nescimus qua causa *Philosophum* Aventinus cognominat, volumina, in bibliotheca extantia nos contulimus: id quod tantò accuratiùs à nobis fieri potuit, quantò minus temporis cæterorum Codicum, qui fere omnes à trecentis annis conscripti ac vulgares erant, perlustrationi impendendum fuit. Sunt autem hæc Conradi volumina sequentia.

Primum volumen continet *Matrem verborum*, estque membraneum in maxima forma. In ejus fronte perquam elegantes figuræ comparent, easque inter imago B. Mariæ semper Virginis, puerum JEsum sinu gestantis, ad cujus pedes Chonradus scriba provolutus ita erat:

Virgineus natus Scriptoris solve reatus.

Has picturas consequitur Conradi relatio de Codicibus à se exaratis in hunc modum:

In nomine Domini! Anno ab humanitate Filii DEI *MCCXLI. Gregorio Papa IX. sub gratia Domini nostri JEsu Christi & Apostolica auctoritatis universæ Ecclesiæ Catholicæ feliciter præsidente Imperatore Friderico in fascibus agente, cùm sedem Frisingensem Chuonradus* DEO *dignus Episcopus auctore* DEO *illustraret, & hoc Schyrense cœnobium sub regimine & magisterio Reverendi Patris Heinrici, Christi bono odore longè latéque fraglaret, frater Chuonradus, unus ex confratribus hujus loci, ad hujus operis laborem, plenum negotii & sollicitudinum animum induxit, &* DEO *piis votis suggerente effectum ad finem usque perduxit. In hoc sanè opere prædictum fratrem C. qui se sub pii Patris levi jugo pro sui officii debito devotior impendebat, sua omnibus nota & grata sollicitudo commendabat. Denique ut opus non impediretur sed cresceret & compleretur, dum nichil sibi sumptum de publico daretur, ipse, quæ necessaria erant, ita undecumque contulit. Quippe solus laboravit, solus comparavit sine omni emolumento & auxilio, ut nemo gravaretur. Revera enim, ut paucis multa concludam, id egit, ut præter spem opus in brevi finiretur, dum quidem in communis Ordinis labore non ultimus inveniretur. Talis itaque illum tanquam vehemens sollicitudo detinuit: non tamen minus prædicto Scriptori laboris incubuit. Namque perscriptis libris per auctores, qui subternotantur, felicis recordationis Wilhelmo videlicet Priore, Henrico Custode, Arnoldo Scolastico, Heinrico Cellerario, Chuonrado Presbytero, hi hos libros comparaverunt: Collectarium, Lectionarium, Officiale, Breviarium, Psalterium, Graduale, iterum Graduale, Passiones vel Vitas Sanctorum in uno volumine: item Passiones vel Vitas Sanctorum in altero volumine, Missalem Librum, item Missalem librum de sanctis, & librum Missalem defunctorum: item Sermones, quorum initium est:* Hodie scietis. *Librum Matutinalem secundæ partis. Libros Scolasticos: Tullium Officiorum, Lucanum Glossatum, Sermones Oratii. Abbas Chunradus librum Matutinalem magnum & plenum in uno volumine comparavit. Quem librum frater Chuonradus laudabili diligentia & studio omnibus sibi attinentibus ad finem usque perduxit, picturis & La-*

& *Lazario amplissimè decoravit, ut nihil decoris vel diligentiæ deesse videatur. Abbas verò Heinricus Josephum Antiquitatum & Judaicum bellum uno volumine conscribi fecit, quem P. Chunradus sæpe dictus etiam conscripsit non sine magno labore, novit DEus. Hic, inquam, Heinricus * huic præsidente cœnobio, & gratia Divina eum comitante locum prædiis auxit, ab antecessoribus alienata vel impignorata restituit & redemit. Montem & claustrum ædificiis & structuris murorum ampliavit, & laudabiliter decoravit, hospitalitati plenissime insudavit, & instituit. Nam inter varios tumultus & eventus bellorum, quibus Bauuaria temporibus suis subjacebat, sed præcipuè locus iste, tamen hospitalitati operam dabat, ut inter omnes nulli secundus, sed inter primos longè vel propè bonæ opinionis fama divulgaretur. Nam, ut quidam sapiens dixit:* • Ita Cod.

Principibus placuisse viris non ultima laus est,

Id egit, ut non solùm toti Provinciæ, sed & cunctis Principibus favorabilissimè complaceret. Igitur de munere Divinæ benedictionis, & gratia beatissimæ DEI Genitricis Mariæ supra notatis opusculis, à fratre Chuonrado consummatis, subnotatos libros sine auctore comparavit & scripsit, & ad honorem Virginis perpetuæ Mariæ feliciter complevit. I. Collectarium. II. Evangelarium & Lectionarium in uno volumine. III. Item Evangelarium librum, in quo Evangelia de nocte leguntur: cui & addita sunt mysteria Divini Officii & instituta Innocentii Papæ. V. Librum, in quo summæ festivitates & Ordo Sacerdotalis. VI. Librum parvum Defunctorum, in quo & anniversarii dies. VII. Librum benedictionum. VIII. Scholastica Historia. IX. Psalterium Glossatum, & Graduale in uno volumine. X. Librum Regalem Beati Benedicti melioravit. XI. Evangelia in summis festivitatibus legenda auro & argento circumdedit & honestè decoravit. Hæc ipse Conradus de suæ artis monumentis in principio hujus Codicis. Post *Matrem verborum* ibidem sequuntur *Glossa veteris & Novi Testamenti*, ad quas hos versus Conradus adjunxit:

Laus tibi sit Christe, per quem liber explicit iste.
Gloria lausque pia sit nunc per sècla Maria,
Quæ Codicem scriptum conservet nunc & in ævum.

Tum in eodem Codice duo extant instrumenta de S. Cruce, ac aliis Reliquiis Schyrensibus, quorum avtographa in Sacrario conservari supra memoravimus, Privilegia itidem à Pontificibus & Romanis Imperatoribus Monasterio Schyrensi concessa, & quædam Herbarum figuræ, ac de singularum virtute adnotationes.

XLVIII. Secundum volumen membraneum in folio, à Conrado exaratum continet *Historiam Scholasticam Magistri Petri*, in cujus prioribus paginis multæ affabréque pictæ diversarum rerum imagines conspicuæ sunt, quarum elegantior B. Mariam V. cum puerulo JEsu inter duos Angelos mediam regræsentat. Ad ejus pedes supplex advolvitur Conradus cucullo Molochini coloris indutus, subjectis his versibus:

Frater Chounradus peccator auctor & scriptor hujus operis.
Virgo DEI crypta mea noli spernere scripta:
Vilia correxi, tu comple, si qua neglexi.

XLIX. Tertium Conradi membraneum in folio volumen est *Liber Evangeliorum & Lectionum per anni circulum.* Primam hujus Codicis paginam beatissimæ DEI Genitricis cum Filio inter quatuor Evangelistas, per quatuor animalia Ezechielis designatos, imago exornàt, ad cuius pedes hos versus accinit Conradus scriba:

O Mundi grata spes Virgo Maria beata
Subtrahe me pœnis, & sedibus infer amœnis.

L. Quartum pervastum Conradi volumen complectitur *Josephi Libros XX. Antiquitatum, & de Bello Judaico* Lib. VII. sub quorum finem hi versus:

Qui librum scripsit, multùm sudavit & alsit.
Propitietur ei DEus & pia Virgo Maria. Amen.

Denique ad calcem omnium extat ipsius Conradi *Carmen Rhythmicum* CCXXIX. Versuum super illud Psalmi LXXXIV. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi.* Inc.

Post peccatum hominis facta jam ruina,
Dum vitam deciperet mors adulterina,
Peccati cottidie crescente sentina,
Visa est Clementia sic loqui Divina :

Pietas. *O Creator optime bonitas nativa &c.*

LI. Quintum Conradi volumen, omnium vastissimum, præter *librum Matutinalem* per circulum anni legendo percurrendum sequentia exhibet: I. *Epilogum breviter digestum ex Regula Canonicorum & Monachorum.* Inc. *quanquam à Sanctis Patribus satis sit dilucidatum* &c. Finit *ad memoriam nobis semper reducantur.* II. *Catalogum Pontificum Romanorum, Imperatorum, Regum, qui fuerunt ab initio Mundi usque ad ejus tempora.* Inc. *Italus primus Rex* &c. Hoc est Conradi *Chronicon Generale*, quod ab anno MC. integrè descriptum prelo paratum habemus. III. *Catalogum Regum Assyriorum, Hebræorum, Trojanorum, Græcorum, Sicionia, Ægypti, Argivorum, Babilonia, Francorum & Longobardorum.* IV. *Versus, quòd triginta argentei, quibus à Juda venditus est Christus, tempore Nini Assyriorum Regis fabricati fuerint.* Inc.

Denariis triginta DEum vendit Galilæus &c.

V. *Quod lignum S. Crucis natum sit in Paradiso & in Libano transplantatum, & Hierosolymis conservatum.* Inc.

Narrat Athanasius, quoniam Noë Patriarcha &c.

VI. *Versus de Henocc & Helia, quomodo & ubi vivant.* Inc.

Qui legis hæc, quòd vivat Enoc, si discere quæris &c.

VII. *Recensio Ecclesiarum juris Schyrensis,* & *Breviatio*, ùt vocat Conradus, *prædiorum & redituum ejusdem Monasterii.* VIII. *Recensio hominum, qui Monasterio Schyrensi denarium persolvunt.* IX. *Recensio redituum Schyrensis Abbatis, Hospitalis, Custodis Ecclesiæ, ac Præpositi in Montanis.* Quæ omnia Conradus sequentibus verbis & versibus minio pictis concludit:

Tu autem Domine Chuonradi scriptoris miserere Amen.
Hic liber hìc finit, scriptoris & hic labor exit.
Sis nostri memor hìc, melliflua qui legis istic.
Damnat eum jure legis sententia dura,
Cui non est cura requiei vita future.
Sed quoniam steriles offerre vetat mulieres
Lex vetus, & ventrem reprobat malè prole carentem,
Ne vacuus veniam Domini conspectus ad oram,
Offero bis tinctum puro de pectore coccum, *
Ut mens affectu producat, quod nequit actu.
*Ne tamen hoc pereat, quod clausa pecunia * signat,*
Hunc de commisso librum depromo talento.
Merces scriptoris sit pars cœlestis amoris,
Ut timor ardoris desit cum fine laboris. Amen.

* *Glossa ipsius Conradi in marg.* ardorem geminæ dilectionis. * *Ibid.* id est: quælibet scientia.

Primus loci hujus Abbas Erchinboldus, secundus Bruno, tertius Ulricus, quartus Gozzoldus, quintus Marchawardus, sextus Udalricus, septimus Udalricus, octavus Eberhardus, nonus Baldemarus, decimus Hartmannus, undecimus Chunradus. Hujus ope & rogatu ego frater Chunradus, sacerdos, quamvis indignus, istiusmodi librum conscripsi ad honorem DEI, & beatæ DEI Genitricis, & Ecclesiæ hujus, & ad lectorum tam futurorum quàm præsentium perpetuam utilitatem, intuitu quoque Divinæ retributionis. Precor igitur omnes hujus libri lectores, ut amore DEI & summæ charitatis respectu benedicant animæ meæ & parentum meorum Amen.

LII. Atque hæc diffusiùs ideo persecuti sumus, ut viris eruditis de decantatis hujus Conradi codicibus, qui quidem hodie superent, plena perfectaque cognitio esset. De ejusdem Conradi *Chronico Schyrensi* alibi quidpiam singulare notabimus. Hic duntaxat monemus, recentius aliquod ejusmodi scriptum in Schyrensi bibliotheca à nobis fuisse repertum, quod in nova Conradi editione, quæ accurante Georgio Christiano Joannis Argentorati prodiit, mantissæ loco adjici potuisset. Titulus Operis ad prelum

parati

parati est: *P. Brunonis Fehler, Schyrensis Gloriosissima, Serenissima, ac Antiquissima Domus Bojoarica Origo, stirps, & propago cum variis annotationibus juxta seriem temporum ac majorum omnium & singulorum masculina, eademque recta linea descendentium ordinem à duodecim & amplius seculis. Intervenit Fundatio cœnobii nostri Schyrensis Ordinis S. Patriarchæ Benedicti. Agitur dein de SS. Cruce ibidem asservata, ac denique assignatur Ordo successionis Abbatum prædicti Monasterii cum indice universali totius operis.* Sed de recentiorum temporum Scriptoribus, qui litterariis suis monumentis non exiguam Schyræ gloriam pepererunt, in bibliotheca Benedictina, si DEus vitam produxerit, agemus, ubi non prætermittemus luculentum Reverendissimi Domini hodierni Præsulis Opus de Romani Pontificis auctoritate, cujus egregia quædam specimina nobis ostensa sunt.

LIII. Hic etiam, cùm animum à litterariis curis non nihil abducere visum esset, duo nobis evenerunt, quorum alterum periucundum oculis oblectamentum præbuit, alterum etiam nobis honorificum fuit. Namque cum præstantissimis viris RR. PP. Georgio Unertl, Bibliothecæ Præfecto, & Maximiliano Rest, nunc dignissimo Suppriore in Monasterii horto inambulantes intelleximus, fritillas è vicinis sylvulis advantantes adeo cicures & mansuetas esse, ut sibilo allectæ amygdalas è manibus Cœnobitarum sumere non detrectent. Cùmque Clarissimi Patres de rei veritate hæsitare nos animadverterent, ablatis ejus generis nucibus, ut ipsi periculum faceremus, hortati sunt. Moxque stupuimus ejusmodi aviculam quampiam, pulcherrimè pictam, conspecta illecebrâ ex arbustis advolantem tam diu manus nostras circumstrepere, dum gratam escam cederemus: id quod non potuit non nobis illam beatitatem, quæ generis nostri auctoribus, vitiis adhuc & noxa vacuis, familiaris fuit, in mentem reducere. Sub cœnam Monachiô adfuit A. R. P. Josephus Cœnobita Benedictoburanus, ab Illustrissimo Barone de Unertl, qui totius Bavariæ rationes cum summæ prudentiæ laude moderatur, ad nos missus cum mandato, ut Monachium rediremus. Eum, addebat, magnopere dolere, quòd, cùm veterum Codicum gratiâ omnem latè Bavariam percurreremus, ad se, in cujus potestate lectiores Electoralis bibliothecæ codices essent, non invisissemus. Itaque remenso itinere, ut tanti viri favorem ne recusaremus, amicissimus nos Josephus hortabatur. Verùm re collata, initaque virium oppidò jam afflictarum, viæ quoque ac temporis ratione consultius nobis visum fuit, omisso Monacensi reditu Augustam Vindelicorum contendere.

LIV. Quod iter die duodecima Augusti comitante nos A. R. P. Maximiliano aggressi, sub meridiem ad Religiosissimum nostri Ordinis Parthenonem Kyebacensem, quem tum Illustrissima & Reverendissima Domina Abbatissa Helena, Baronissa de Lerchenfeld, fenio jam gravis cum laude administrabat, ac sub vesperum ad Thierhauptanum, itidem Ordinis nostri Monasterium pervenimus. Hic biduo substitimus non tam perquisitione bibliothecæ, in qua nihil ferè singulare nobis temporum injuriæ reliquerunt, quàm extraordinaria Reverendissimi Domini Abbatis Benedicti Cherle, multo litterarum commercio nobis pridem addictissimi, humanitate ac benignitate detenti.

LV. Tandem decima quarta die Augusti Augustam Vindelicorum attigimus, Urbem à suis conditoribus, rebus ad eam gestis, ædificiorum multitudine ac elegantia celeberrimam. Maximam hic experti sumus civium in hospites humanitatem. Ut adeo tantum mirum nemini visum fuerit, quòd à Religiosissimis Sodalibus nostris Sanct-Udalricanis, eorumque Reverendissimo & Perillustri Domino Abbate Wilibaldo, Præsule incredibili prudentia & morum lenitate prædito, toto eo tempore, quo in veterum libros hic incubuimus, adeò blandè ac benignè accepti fuerimus. Clarissimorum Patrum Corbiniani Kam Auctoris *Hierarchiæ Augustanæ* Doctissimi, Antonii Novitiorum & Bibliothecæ Præfecti, & Benonis Philosophiæ Professoris irrequietam de læto nostrarum rerum successu curam & solicitudinem satis deprædicare non possumus. Nec commerita laude fraudandus est A. R. P. Romanus Kistler, qui singulari quadam eruditione ac pietatis sensu sacrarum Reliquiarum, quibus amplissima Basilica Vdalricana ad omnium Germanicarum Ecclesiarum invidiam decorata est, historiam nobis enarravit. Sed de his extat præclarum Opus *Bernardi Hertfelder* Prioris Udalricani, quod in patrium idioma conversum & ab se auctum idem Cl. P. Romanus anno

 MDCCXII,

MDCCXII. in publicum prodire jussit. In bibliotheca, etsi non omnes à Mabillonio memorati Codices ad nos pervenerint, multa tamen adhuc sunt, quæ viros eruditos suo merito teneant. Ejusmodi sunt *Conradi Abbatis Urspergensis Chronicon* in Codice chartaceo fol. manu seculi XV. *Burchardi Zunck Chronicon Augustanum* vernacula lingua scriptum ab initio Urbis usque ad annum 1538. à quo tempore quidam Anonymus appendicem adjecit, qua ejusdem Urbis historia usque ad annum 1632. continuatur. *Vita S. Onuphrii Eremitæ à Johanne Griesber Romà accepta & ab eo limata in tribus libellis.* In fine: *explicit vita S. Onoferi Heremitæ per fratrem Johannem Griesberen de Dillingen Presbyterum & Conventum Monasterii SS. Udalrici & Affræ ejusdem civitatis ipso die Hilariæ Reginæ & sociarum ejus, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXVI.* Jacobi Canter *Frisigenæ oratoris clarissimi de Solicitudine Dialogorum libri duo.* Cod. chart. in 4. à trecentis annis. Inc. *salve O Hippolite dimidium animæ meæ.* &c. Tria diversorum Opusculorum volumina *Viti Bild Acropolitani,* Monachi Udalricani, in quorum uno habetur *Catalogus seu brevis Historia Abbatum Monasterii Fuldenbacensis,* consarcinata anno 1510. In aliis magna vis extat epistolarum, quas vel Vitus ad viros ea ætate claros, vel hi ad illum dederunt, quales Nicolaus Ellenbogius Cœnobita Ottoburanus Græcè ac Hebraicè doctus, Conradus Peuttinger, Johannes Cæsar Augustanus, Georgius Spalatinus, Johannes Denckius, Conradus Adelman ab Adelmansfelden, Oecolampadius, Jonas &c. extitêre. Inter Viti epistolas duæ sunt ad Fridericum Saxoniæ Ducem, quarum altera data est Kalendis Octobris 1518. ubi ait se Duci mittere Horologia vitro inscribenda. Tragica est Epistola doctissimi Ellenbogii de rebus Ecclesiæ tum perturbatissimis, quam integram, utut longiusculam, hic referre libet.

Salutem in puero JESu.

Dilectissime Pater.

Fuit hic ad 17. diem Decembris Mathias Brotbeythel, homo Mathematicus & ingenio valens, vir planè simplex & rectus, & qui pluris faciat scientiam quàm divitias. In multis mihi exposuit, quàm sit humaniter à te susceptus, quantaque liberalitate & hilaritate id, quod ex te scire volebat, ei communicaveris, sub oculosque posueris. Non me fefellit mea de te opinio. Pro quo enim litteras tibi destinavi commendatitias, tu eum comiter suscepisti, & absque invidia, quæ postulavit, docuisti. Ea propter gratias, quas possum, tibi & habeo & ago, non solùm quia homo ille Mathematicarum disciplinarum solertissimus indagator voto suo potitus est, verùm quia & ego per eum eadem edoctus sum pleniter. Cæterùm certiorem me fecit de tua valetudine. Quàm velim, ut Domini flagellum patienter feras, sciens, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis! Denum retulit mihi, quia indignè feras breviusculas meas litteras, cupiasque, ut copiosiore sermone ad te scribam. Quid mi Pater lituras (en dicere volui litteras) meas tantopere expostulas? Sint licèt quæ ab amico & tibi tuique similibus, hoc est: bonis & litteratis viris plurimùm affecto proficiscantur, sunt tamen subrusticæ, nec eam redolent phrasim, emunctam & levigatam, qualem tuæ purgatæ aures postularent. Quò longior copiosiorque fuero scribendo, eo imprudentior verbosiorque judicandus venio: sitque jure, ut mihi improperetur, quod in balbutientibus ferè notatur, qui, quò minùs verba formare possunt, eò plus loqui contendunt. Ego potiùs tuas gravissimas expostulo litteras admodum copiosas & longas, & potissimùm, quod tibi sit judicium super Plutonica illa monstra, quæ ab Erebo nostra tempestate emerserunt, hæreticos, loquor, nostri temporis. An non tibi necessarium videretur, ut alter quispiam Hercules oriretur, qui Lernæis his monstris sese opponeret, eaq; aut protinus necaret, aut ad Sarmatas usque profligaret? Quàm pudendum scelus quamque detestanda infamia Germanicæ nationi inusta, nunquam abolenda, ut, qui priùs inter Christianos habiti fuimus Christianissimi, nunc simus ἄθεοι, & infidelibus Saracenis deteriores. A multis seculis velut oleaster inserti fuimus veræ olivæ: quàm miserè nunc ab ea divellimur, & quia radices non habemus, arescimus, tandemque in ignem æternum comburendi mittemur! Verè plangenda tempora, quibus iram DEI manifestam deprehendimus, qui ad tantas nos miserias venire permittit ob multiplicia horrendaque peccata nostra, quibus thesaurisamus nobis vindictam in die iræ. Excussimus à nobis jugum Ecclesiasticæ censuræ, quæ hodie non pili fit. Refutamus electorum in patria suffragia & intercessiones, con-

contemptiusque habemus nimis &c, quod horrendum est audire, juge sacrificium nunc cessat in templo Domini, statque eo loci abominatio desolationis dicta à Daniele Propheta. Num tibi nunc videtur præ foribus esse finis Mundi? Verùm quod in nobis est, oremus DEum Opt. Max. ut his malis citò faciat finem. Vale benè. Ex Ottenpura in die S. Stephani 1529.

Transtulit dudum Oecolampadius brevem Tractatulum Gregorii Nazanzeni de septem Machabæis, quem habere cupio. Si venalis istbic invenitur, præsentium lator appendet pecuniam pro eo, aut tu mittito mihi unum, & brevi ad te redibit.

Fr. Nicolaus Ellenbog.

LVI. Sed multò vastior est collectio Epistolarum ad Carolum Stengelium ex erudito Cœnobita Udalricano Abbatem Anhusanum à doctis & celebribus ætatis suæ viris Gretsero, Radero, Constantino, Cajetano &c. datarum, tribus in fol. voluminibus comprehensa. Egregium est *Congestum Monachorum Illustrium* (ita Cod.) seu Liber de Viris & fœminis vitæ sanctimonia & doctrina celebribus ex Ord. S. Ben. Rubrica recentiori manu Operi præfixa hunc titulum refert: *R. P. F. Petri Wagner Collectura Illustrium Virorum, de qua consule F. Wilhelmi Witwer Catalogum Abbatum hujus loci.* Incipit Liber in septem titulos tributus: *in hujus calamitosæ Lethalis vitæ erroris nebulas, atque miseriarum animæ corporisque heu! mille angores &c.* Extat etiam in Codice Tegernseensi, ubi auctor *Petrus Abbas Thierhauptanus* disertè adpellatur. Anonymus verò Wessobrunensis in Collectaneo suo de viris illustribus, de quo suprà, hunc Petrum sui Wessobrunensis Cœnobii Abbatem ex Monacho Augustensi fuisse factum adfirmat. Hic denique est ille *frater Petrus*, cujus *Opus de Viris Illustribus*, non distinctum à libro mox laudato, in bibliotheca Paulina Lipsiæ adservari nos dudum docuerat Cl. V. Jacobus Mascowius, cujus beneficio ac humanitate integrum titulum de Scriptoribus Benedictinis indidem depromptum accepimus. In Codice membraneo in 4. deprehendimus etiam *Chronicon Abbatum SS. Udalrici & Afræ, à primo usque ad Marquardum*, qui anno 1316. electus fuit, perductum. Inc. *Abbates Monasterii SS. Udalrici & Afræ infra muros civitatis Augustensis situm. Primus Abbas Episcopus Spiræ electus, ubi & nunc in numero Sanctorum habetur &c.* Ad annum 1322. hæc referuntur:

Anno milleno ter CCC. bis Xq; secundo,
Quando Wenczlay Clerus canit ac Adonay,
Tunc Rex Ludwicus conflixit cum Friderico.
Quem captivavit, Australes & superavit,
Atque Ducem dictum grando certamine victum
In Trusnit duxit, ubi longo tempore luxit.
Sed locus hæc acta, prope quæ sunt omnia facta,
Muldorf est dictus, ubi flumen circuit Enus.

Magnum præterea ornamentum bibliothecæ Udalricanæ conciliant undecim volumina *Chronographiæ*, à Clemente Sünder vel Sender, loci Cœnobita indefesso, ab Orbe condito usque ad annum 1540. circiter conscripta. Periit eheu! ex his illud, quo res memoratu digniores ab anno 1315. usque ad 1440. enarrabantur. Atque hæc ipsa Sünderi collectio est, ex qua sequens Opus excerptum & Ingolstadii typis Georgii Hænlin anno 1654. in 4. in lucem emissum fuit: *Relatio de Ortu & progressu hæresum in Germania, præsertim verò Augustæ Vindelicorum ex antiquis Annalibus MSS. cujusdam contemporanei fideliter descripta & nunc publici juris facta anno 1654.* Sünderum ætate præcessit *Sigismundus Maisterlein*, vulgò *Magister* eruditus Monachus Udalricanus, cujus *Chronicon Augustanum* inter Rerum Germanicarum Scriptores Pistorianos prodiit. Opus hoc suum ipse Sigismundus Germanicè vertit rogatu Sigismundi Gossenprot civis Augustani, Præceptoris sui, anno 1457. quæ versio extat in Codice chartaceo in fol. Aliud est ejusdem Sigismundi commentarium, quod *Indicem Monasterii SS. Udalrici & Afræ in Augusta Vindelicorum* nuncupat, estque Chronicon dicti Cœnobii in tres partes divisum, quarum quælibet in duodecim capitula iterum dispescitur. Sed de his omnibus amplior sermo

in alio Opere habebitur. Duos tamen, etsi recentioris etiam ævi eruditos S. Udalrici Cœnobitas illaudatos hic dimittere sine piaculo non possumus, Reginbaldum Möhnerum scilicet, & Leonardum Wagner, quorum labores nemo non admiretur. Reginbaldi opera vel recensuisse auctorem satis laudâsse fuerit. En illa!

I. *Itinerarium Bavaricum, Austriacum, Moravicum, Bohemicum, Silesium, Belgicum &c.* Cod. chart. 4.
II. *Insignia & arma Imperatorum, Regum, Ducum, Episcoporum &c. Europæ, elegantibus figuris & picturis ornata.* Cod. chart. fol.
III. *Series Romanorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Ducum, Comitum &c. Europæ Genealogicè deducta.* Cod. chart. in 4. Huic operi etiam inest Genealogia Marchionum & Ducum Austriæ tam Babenbergensis quàm Habspurgicæ stirpis.
IV. *Insignia Episcoporum, Abbatum, Ordinum Equestrium & Academiarum.* Cod. chart. 4. Opus merisimaginibus & picturis constat.
V. *Anhaldiæ Principes, & ex iisdem progredientes Brandenburgiæ Electores, Rectores, Saxoniæ inferioris Duces moderni, dicti Lavenburgenses.* Opus est Genealogicum accuratè confectum. Cod. chart. 4.
VI. *Genealogia Landgraviorum Hassiæ.* Cod. chart. 4.
VII. *Genealogia Fuggerorum.* Incipit Opus in Johanne Fugger 1330. & desinit cum anno 1614. Addita sunt & nomina & insignia conjugum.
VIII. *Omnium peneregnorum, Provinciarum, Regum, Ducum, Comitum, Baronum, Nobilium &c. arma gentilitia.* Cod. chart. 4.
IX. *Hastiludium Genethiacum.* Cod. chart. 4.
X. *Insignia & Stemmatographia Episcoporum, Præpositorum, Decanorum, Canonicorum & Abbatum S. Udalrici in Urbe Augustana.*
XI. *Aristocratia Augustana, id est: recensio omnium magistratuum Augustanorum ab anno 1545. ad 1670.*
XII. *Patritiorum Augustanæ Urbis connubia & eorum insignia Chronologico ordine tractata.*
XIII. *Consules seu Duumviri Augustani usque ad annum 1548. cum singulorum armis gentilitiis.* Cod. chart. in 8. oblongo.
XIV. *Opus Stemmatographicum de diversis Augustanæ urbis Patritiis, puta Rechlingiis, Welseris, Peutingeris* &c. cum eorum insignibus. Cod. chart. 4.

Hæc Opera Reginbaldi Möhneri, viri utique rerum Heraldicarum & Genealogicarum longè scientissimi.

LVII. Verùm Reginbaldum elegantiâ manus, & scribendi, pingendique artificio longè antecessit *Leonardus*, cujus illustre monumentum est Codex membraneus in 8. maj. ubi omnium ab undecimo seculo scripturarum formas & modos, centum speciminibus, sua unius manu ita imitatus est, ut quisque lector pereat, ni suis quæque seculis exarata esse putet. In primo folio Leonardus Maximiliano Imperatori his verbis suum Opus, quod *Probam centum Scripturarum diversarum una manu exaratarum* inscripsit, dicat:

Rhomanorum Imperatori invictissimo, Cæsari Augustissimo, Gloriosissimo, Serenissimoque, Christianæ Reipublicæ Tutori faustissimo Maximiliano, Divæ beatissimi Præsulis Udalrici propaginis Gaermini nobilissimo, sorte infimus frater Leonardus Wirstlin, prænominati Antistitis Monasterii Augustæ mancipium, Scripturarum centum manu una exaratarum continentiam emendandam, corrigendamque humillimè offert.

Cæsaris invicti saedes accedere cura,
atque thronum superis nunc liber ipse sacrum.
Det veniam, rogites cunctis erroribus, atque
lassatis manibus parcat amore DEI.

In

In tertio folio hæc Leonardus de se commemorat elegantissima manu : *Rotunda omnium scripturarum est nobilissima. Vocatur etiam mater & regina aliarum : quia ratione, auctoritate & excellentia omnes scripturas excellit. Ratione, quia legibilior : auctoritate, quia nobilior : excellentia, quia præstantior & antiquior : & ideo tanquam nobilissima regina omnibus scriptoribus est veneranda. Et ego frater Leonardus Wirstlin aliàs Wagner de Schwab-Menchingen, Presbyter & Conventualis Monasterii SS. Vdalrici & Affra in Augusta Vindelicorum incepi hanc Probam, & scripsi manu propria cum sequentibus scripturis numero centum anno Domini millesimo, quingentesimo septimo.* Porro in hoc Opere præcipuè stupuimus, Auctori suppetiisse nomina, quibus singulas Scripturarum formas propriè adpellaret. Ea hic recensere juvat : *Rotunda. Rotundalis alta media. Poëtica vera. Antiqua major. Imperatoricalis. Antiqua crassana. Textus Italicus. Eversalicana. Antiqua prisca. Rotalis minor. Globata rotalis. Compostorialis major. Papalicana. Alta poëticalis. Media rotalis. Notula formata. Cursiva rotundalis. Tenuissana. Poëticalis mediana. Clipalicana major. Regia pullicalis. Gippalicana. Literalis simplex. Altana semis major. Clippalicana galeata. Aversalicana media. Italicana formata. Fractura Germanica. Prisca candalis lata. Notula curtana. Neutralicana. Antiqua curtana brevis. Saltana postericalis. Abscisa. Bullicalis minor. Notula formata simplex. Antiqua durana. Cesspalicana. Notula semifracta. Dilatana media. Rotalis cursiva. Mediana serrata. Notula poëticalis media. Altana. Rotalis globata. Palliata tensa. Notula semis formata. Litteralis Cursalica. Antiqua formata media. Antiqua Simpliciana. Antiqua polita. Cardinalicana. Textus Italicus Altus. Vagalicana extensiva. Eversalica minor. Antiqua serrata. Extensiva inequata. Mediana utralis. Antiqua curvalis. Notula codicalis. Abscisa postersalis. Composterialis minor. Flacana antiqua. Neutralicalis. Prisca pilicalis. Poëticana serrata. Semcfractura. Curvalica simplex. Notula submissa. Curtana previssalica. Polita media. Poëticalis cursiva. Italicana notalis. Curvana inequalis. Cursiva Italicana. Antiqua Formosalicana. Rotalis globata. Inequalicalis variana media. Macrana alta. Bifaricalis. Grossana. Literalis Italicana. Rotulana curvalica. Antiqua formata media. Codicalis simpla. Inaqualicana. Pictoricalis major. Pillicana. Altana minor. Spissalica postericalis. Pictoricalis minor. Postericalis serrata. Textus Italicus bifractus. Extensiva inequalis. Notula codicalis polita. Antiqua realicana. Cursiva litteralis. Curtana Flacca. Notula Poëticalis pressa. Rotundalis inequata.* Hactenus de Leonardi Wagner Vdalricani Cœnobitæ Opere, quod cùm Maximiliano Imperatori Vdalricanum Monasterium invisenti offerretur, ferunt, modestissimum Principem munus recusâsse, ac dixisse, se neutiquam eo animo huc accessisse, ut cimeliis suis Monasterium spoliaret. De eo Necrologium B. Mariæ Virg. Scotorum Viennæ, à fratre Tom. I. Script. Rerum Austriac. evulgatum hæc habet : *Calen Janu. Leonardi Monachi Ulricensis in Augusta, qui scrvit 70. scripturas formare & plures.* Et Anonymus quidam in primo Wagneriani avtographi folio notat *eundem devotum & religiosum Patrem Leonardum Wagner scriptorem hujus libri anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo secundo Kalendas Januarii obiisse.*

LVIII. Dies octava decima Augusti viam ad occasionem aperuit etiam perscrutandi bibliothecam Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ, Cl. P. Benone Vdalricano causam nostram apud Illustrissimum Comitem de Wolckerstorf, ejusdem inclytæ Ecclesiæ Canonicum & Scholasticum gnaviter agente. Supersunt hic loci centum septuaginta novem Codices, veteres plerique ac probi, sed non perinde diligenter servati. Horum quidam, qui duodecimi seculi est, catalogum Episcoporum Augustanorum perquam accuratum exhibet : ex alio *Descriptionem librorum Domini nostri* (ita Codex) *Embriconis Episcopi, quos dedit ad S. Gerdr.* expromsimus, quia perbrevis est, hic inserenda videtur. Ea ita se habet :

Descriptio Librorum

Domini nostri Embriconis Episcopi, quos dedit ad S. Gertr.
Omelia per totum annum.
Omelia Gregorii & Pastoralis Cura, quam perdidit in Saxonia.

Missale cum lectionario & Evangelio & Graduali sancta Gerd.
Psalterium cum libro Ymnorum, quod traditum est pro Miss. S. Gerdr.
Antiphonarium cum Ymnario.
Ordo. Hic manu seculi XI. exaratus & Ecclesiæ Augustanæ usui aptatus est. In Litaniis major. S. Benedictus ante S. Vdalricum invocatur.
Item Ordo.
Graduale S. Gerdr. & liber sequentiarum & troporum.
Liber Ymnorum.
Canones & liber Walefridi.
Canones.
Item Canones.
Cassiodorus in Psalmos.
Augustini Soliloquium.
Item Missalis liber.
Lectionarium.
Nocturnalis liber.
Genesis.
Liber Numeri & Deuteronomii pro libris Tull.
Regum.
Salemon.
Judith.
Machabaeorum.
Epistola Pauli cum expositione.
Moralia Job à primo usque in XVII.
Moralia à XVII. usque in finem.
Item pars Moralium.
Omelia Gregorii in Ezech.
Augustini in Psalmos.
Item Augustinus in Psalmos.
Item Augustinus in Psalmos.
Augustini Expositio in Johannem Evang.
Augustinus de Virginitate S. Mariæ & de Incarnatione Domini.
Sermones Augustini.
Expositio in vetus Testamentum.
Explanatio Hieronymi in Osee & reliquos Prophetas.
Item Gregorii de Sententiis Prophetarum.
Rabani Episcopi Tract.
Expositio in Cantica Cantic.
Expositio in Epistolas.
Istoria Illustrium.
Agones Apostolorum.
Apologeticon Gregorii Nazianzeni.
Vita Patrum & Dialogus. Est Codex nongentorum annorum in fol.
Passionarium.
Vita S. Martini & S. Nicolai.
Vita S. Basilii.
Vita S. Simeonis Trevirensis.
Vita Johannis Elemosynarii.
Epistola Arnoldi.
Sermones Erchanboldi Archiepiscopi.

Ex his Codicibus plerique adhuc in bibliotheca Augustensi adsunt. Sed nos *Epistolas Arnoldi*, & *Erchanboldi Archiepiscopi*, haud dubiè Moguntinensis ex Monacho Benedictino, *Sermones* desiderari unicè doluimus. Cæterùm præclarus est Codex, qui *Capitularia Caroli M. & Ludovici pii* complectitur. Egregius itidem, ut plures taceamus, in quo integra *sacra Biblia* manu seculi duodecimi descripta sunt, Codex hic immen-

mensus & vastissimæ molis est, in quo post Prologum in Biblia isthæc legimus: *anno Incarnationis Domini M CC XLI. Kal. Sept. in die S. Mariæ Assumpt. Dominus Heinricus Protonotarius Illustris Ducis Bawarorum hunc librum contulit Ecclesiæ S. Mariæ Augustensis hac intentione, ut ejus memoria apud Canonicos de cetero habeatur.* Porro ubi ex hac bibliotheca emersimus, adfuit, qui ad Illustrissimum Comitem, lectulo affixum, nos invitaret. Cui cùm morem gessissemus, ab Eo Nicrini flore nulloque non humanitatis genere recreati sumus.

LIX. Interim ad Monasterium Vdalricanum reversi, in horas magis magisque de rationibus itineris nostri cogitabamus. Alliciebant MSS. Codicibus opulentæ Weingartensis, Ottoburana, & Augiensis in Suevia bibliothecæ: invitabamur ab amico ad pervolvendos vetustissimos libros Sanct-Gallenses, qui nequaquam, ùt quidam putant, in hostium potestatem nuper devenerunt, sed in finitimo quodam Helvetiæ Monasterio tuti ac tecti conservabantur: ut nihil de aliis Monasteriis dicamus, quæ ad recludenda nobis cum bibliothecis tabularia sua se promptissima fore spondebant. Sed obstabat volentibus afflictior quotidie valetudo, quæ fastidio primùm stomachi, dein etiam vertigine capitis eò tandem delapsa est, ut siquidem collectaneis nostris scripturis Litterariæ Reipublicæ prodesse vellemus, receptui canendum, & calculus reducendus necessario esset.

LX. Ergo die vigesima prima Augusti ad nostri Ordinis Parthenonem *Holzensem*, ubi sub Reverendissima Domina Hildegarde de Haslingen, Religiosissima Abbatissa tantam in Monialibus modestiam, pietatem, & in rebus Divinis alacritatem advertimus, quanta ne in priscorum quidem temporum annalibus passim obvia est: tum Werdeam Suevorum, indeque navi nobis opportunè oblata Ratisbonam contendimus. Eo toto itinere, quod sex septemve dierum fuit, nihil ferme occurrit, quod nôsse virorum eruditorum admodum intersit. Nam in *Monasterio Sanctæ Crucis Werdeæ* Ordinis nostri, olim Cœnobio Mellicensi conjunctissimo, nihil omnino Codicum est, ut quos, referentibus sodalibus nostris, Lutherani Ulmenses publico foro ignibus concremârint. Unum egregium & prelo dignissimum *Georgii Monachi Crucensis volumen* superest, quo *annales Werdenses* accuratè ac ampliter sub medium, ni fallimur, elapsum seculum prosecutus est.

LXI. Nec in antiquissimo Monasterio *Weltenburgensi* Ordinis itidem nostri, quò vigesima sexta die Aug. naviculam adpulimus, quidquam veterum monumentorum restat præter *Necrologium* à sexcentis annis conscriptum. Cœnobium hoc cùm incuria Monachorum propè pessumdatum jam esset, nuper Congregationi Benedictino-Bavaricæ adjunctum (id enim præsentissimum Monasteria sanctè, sartè ac tectè conservandi remedium omnium bonorum consensu est) cura & vigilantia Reverendissimi Domini Abbatis Mauri ad tantam repente elegantiam resurrexit, ut nulli Bavariæ cœnobio seu templi splendore seu religiosarum ædium commoditate quidquam concedat. Solum, cui ad littus Danubii Monasterium adhæresit, cum circumjacente latè agro marmoreum est: id quod omnes à mille annis latuit, & DEO domui suæ providente, a Reverendissimo Domino Abbate, nihil cogitante, nuperrimè delectum est, tantò majori emolumento Monasterii, quantò amplius Weltenburgense marmor aliis totius Germaniæ generibus præstat. Eò delati omnia strepitu & concursatione plena reperimus. In causa fuit Serenissimi ac Eminentissimi S. R. E. Cardinalis, Ducis Saxo-Cizensis præsentia, quæ omnia Cœnobitarum studia & curas, ùt par erat, ad se attraxit. Ad quem cùm ab Illustrissimo Barone ab Eck, qui peregrinos nos Monachos vacuam horulam in porticu præstolantes de patria & causa itineris interrogaverat, Mellicenses adesse adlatum esset, Is mox advocatos benignissimis sermonibus dignatus est, & multa de Reverendissimi Domini Abbatis nostri, cui conjunctissimus erat, salute, multa de nova Mellicensis Monasterii constructione, multa denique de repertis in Bajoaria veteribus monumentis rogans, postremò nos Reverendissimo & humanissimo Domino Abbati Weltenburgensi tenerrimè commendavit. Sed hæc præter institutum nostrum.

LXII. Ratisbonam, ut diximus, *Abacum* vetustam ad Danubium arcem prætersecti, die vigesima septima Aug. veluti ludibundi pervenimus, ubi, quod reliquum virium erat, excutiendis *Monasterii Emmerammensis* Codicibus consecrare statuimus. Monasterium hoc soli Romanæ Sedi ac Sacro Romano Imperio subjectum, octavi seculi est, semperque doctissimorum virorum seminarium fuit. Ei adjuncta est ampla *Parochia S. Ruperti*, quam juris Emmerammensis esse certissimum & liquidissimum eddunt authentica Romanorum Pontificum Diplomata, quæ suo loco in lucem producemus. Nec existimamus ullum in Germania Monasterium esse, in quo tot tamque illustria veterum Germaniæ Regum, Ducum, Episcoporum aliorumque Clarorum hominum monumenta extent, quàm in nostro Emmerammensi: quæ à Clarissimo Humanissimóque D. P. Priore nobis explicata, cùm à Mabillonio aliisque relata jam sint, de iis nullam ulteriùs mentionem injiciemus. De bibliothecæ codicibus tantummodo agemus, in quibus perscrutandis & in scripta nostra transferendis maximo nobis adjumento fuerunt opera & studium A. RR. PP. Josephi, & Nonnosi Hæckhl, &, qui primo loco nominandus fuerat, Cl. P. Anselmi Goudin, S. Ruperti è Monasterio Parochi ac Divini Verbi Præconis eloquentissimi, cujus tantus erga nos amor extitit, hodieque est, ut quidquid ex Codicibus Emmerammensibus in Thesauro nostro rectè comparet, id omne huic doctissimo viro acceptum referendum sit. Codices MSS. bibliothecæ Sanct-Emmerammensis millenarium excedunt, ex quibus plurimi membranei, vetustissimi & exquisitissimi sunt. Quædam in iis observata cum erudito lectore communicabimus.

LXIII. *Gerberti Abacus* seu *Algorismus ad Ottonem Imp.* Deest initium. In fine: *expliciunt lectiones Gerberti super Abacum.* Codex membr. 4. à sexcentis annis. In eodem *incipiunt Regulæ Herigeri in Abacum: si dividitur utique major per minorem, dividendus accipit denominationes aut ex toto dividendo aut ex partibus, aut ex neutro, sed denominantur per differentias divisoris* &c. *G. liber subtilissimus de Arithmetica* in eodem Codice. Inc. præf. *Doctori & Patri Theosopho I. G. filius ejus licèt minus idoneus quicquid salutis in Christo Patri filius. Cùm omnis hodieque liberalium artium* &c. Inc. Opus: *Græcè Arithmetica Latinè dicitur numerorum scientia* &c. Fortè hic G. Gerbertus est. Rabani Mauri *Glossa Theodisca* de partibus humani corporis à Goldasto editæ, in Cod. membr. 8. in cujus primo folio: *istum librum tradidit Longanpertus ad sanctum Hemmerammum pro Tutone Episcopo & pro remedio animæ suæ.* Pars *Moralium Gregorii M.* à libro XI. ad XVII. in folio. Ad finem:

Intentas mentes date vos hac scripta legentes,
Helphricum memores hos exegisse labores.
Pernoldus bellas has proprietate pagellas
Prabuit Abbate Perngero pracipiente.

Herimanni, non dubium quin *Contracti*, Monachi Augiensis Libellus Carminum ad Sanctimoniales. Incip.

Herimannus ad Musam.

Musa mi dilecta surge, dulce quiddam concine:
Carmen oro pange metro seu canere rhythmico,
Mulce & edis, quaso, caras cara mis sororculas.

Musa ad Herimannum.

Mene vocari auribus hausi? Anne & amicum dicis Herimannum?
En tua certè frater amate Melpomene assum. Carmina possum
Raucida quamvis voce loquar vix. Dic modò qua vis psalliter ellis. &c.

S. Wil-

S. Wilhelmi Abbatis Hirsaugiensis Astronomica. Inc. præf. *Divini operis quadam die completa synaxi optata quietis gratia secretiorem locum petii* &c. Opus: *Igitur à Solstitiis & aequinoctiis ordo adinventionum nostrarum sumit exordium* &c. Cod. membr. 4. manu seculi XII, ex quo maxima pars operis excisa est. *Christiani Drutmari Monachi Commentarius in Matthaeum*, cui mox subjungitur *Commentum super Lucam* hoc initio: *Lucas ipse consurgens causa scribendi Evangelium, ne Pseudoëvangelistis esset facultas praedicandi falsa sub nomine Apostolorum* &c. Cod. membr. sec XII, in fol. optimæ notæ. Quis posterioris Commentarii auctor sit, ex Codice constare non potest. Nobis ob diversum Evangelia tractandi modum à Drutmaro distinctus esse videbatur. *Alcuinus in Johannem* manu seculi IX. In fine: *Isanbertus XVIIII. Kal. Aug. hunc scribendo patravit librum, obsecrans legentibus, ut sui menisse* * *dignentur, prout dignum est, qui in alterius reficiuntur labore.* Salustii *Catilinaria & Jugurtina* septingentorum annorum in Cod. membr. 4. - - *Jeremias* in Cod. membr. nongentorum aut mille annorum. In fine: *explicit liber Hieremia Propheta: tu, qui legis, orapto re* * *Nidkero, si habeas DEum protectorem: misereatur tibi DEus amen.*

* *Ita differit Cod.*

* *Ita distinct. Cod.*

LXIV. Marii Servii Honorati *Centimeter*. Cod. membr. 4. septingentorum annorum. Ibidem liber *Theodori de Metris* extat eadem manu & ætate scriptus. Origenis *Homelia in Genesim & Exodum* Latinè versæ in Cod. membr, fol. nongentorum annorum. In fine: *ego itaque in DEI nomine Immo scribsi librum istum non mea dignitate, sed DEI gratia, sed tamen Presbyter. Fratres vos, qui legitis in istis voluminibus, & invenietis, ubi opus est, ad emendandum, non me maledictis, sed cum omni diligentia emendetis, & pro me idigno peccatore orare dignemini. Valete in Domino evis temporibus. Salvet vos Christus pius vester diu.* Rupertus Abbas Tuitiensis *de Officiis Divinis*. Videtur hoc operis esse exemplar, ab ipso Ruperto Chunoni Episcopo, cui id inscriptum est, missum. In prima Codicis in folio pagina Chuno Episcopus, ab ejusque dextris Ruodpertus Abbas, Auctor, & à sinistris Stephanus, haud dubiè scriba, eleganter depicti cernuntur, hisque versibus coronantur:

Hic Divinorum de fructibus Officiorum
Pontifici clarum manus dat primitiarum.

In altera pagina effigies extat solius Ruodperti, habitu Monastico induti, & calamum ad usum cultello accommodanti, cum his versiculis:

Hic aperit typicosa nova signacea legis,
Quam statuit sub carne novi præsentia Regis.

Moralium Gregorii Papæ liber XXII[us] in Cod. membr. fol. Ad calcem:

Exul ego scriptor precor, ausculta bone lector:
Præsulis ex dira Chuonradi nobilis ira
Missus in exilium, me dulce recepit asylum
Curia sollemnis, cui laus sine fine perennis.
Et Pater Albertus virtutum fonte refertus,
Moribus ornatus Pater ipse DEus pietatis vivat, ovet, valeat.
Qui mea scripsa legas, quæso Karissime, dicas:
Parcat Tsingrimo DEus Omnipotens peregrino.

Expositio *Apocalypsis* auctore Beda in Cod. membr. fol. minor. litteris Saxonicis exarato. Alcuinus *de Trinitate* manu sec. IX. In fine: *hunc comparavi libellum ego Deotpert pecunia S. Emmerammi de Presbytero Reginperti Comitis nomine VVichelmo.* Rabanus de Officiis Divinis coæva ferè manu. Initio primæ paginæ: *Eranrich dedit istum librum pro anima Ribolfi ad altare S. Emmerammi.* Heinrici Monachi LXIV. *Homilia de tempore & Sanctis* in Cod. membr. 4. Inc præf. *ego humilis frater Henricus Monachus prædilectorum Patrum commonitus petitionibus, quatenus Omelias, id est: vul-*

vulgares Sermones pro facultate mei ingenii edam &c. Incipit prima Homilia *de ante Natale Domini : appropinquante jam sacratissima solemnitate, qua Salvator noster inter homines nasci misericorditer voluit* &c. Cujus hic Henricus Monasterii Monachus extiterit, incertum est. Floruit quidem circa annum 1136. quidam Henricus Monachus Corbeiensis in Saxonia, cujus *Homilias in duas partes divisas Fridericus primus Abbas S. Godehardi Hildesiam attulisse* dicitur à Johanne Legatio apud Leibnitium Tom. II. Rerum Brunswicens. pag. 407. Sed Codex Emmerammensis seculum duodecimum ætate longissimè antecedit. *Christophori Hofman Ostrofranci*, anno 1534. demortui, *Chronicon Bohemiæ*, lingua vernacula Germanica conscriptum, à nobis in sequentibus voluminibus publicandum. Fuit is Cœnobita Emmerammensis pluraque alia litteraria monumenta post se reliquit. Ejus breve elogium in primo folio Codicis, qui ejus Sermones complectitur, extat his versibus à se concinnatum:

Hos ego Sermones recitavi lector amice,
tempora dum quondam grata fuère mibi.
Quos lege si libeat dignoscere dogma sacratum,
quò tua servetur mens in amore DEI.
Quæ mibi conditio, vel quo sim nomine dictus
nosse volens faciles hos lege chare modos.
Natus in oppidulo Rotnpurg, cui illabitur amnis
Tuberus, & Francis prata cupita rigat.
Hoffmannus primùm vocitabar ubique Johannes,
postea Christophorus, Presbyter & Monachus.
Hoc in Cœnobio Divi normam Benedicti
professus vixi tempora plura satis.
Hac igitur quicunque legis, rogo, dixeris unquam:
Christophorus capiat cœlica regna. Vale.

Hæc ideo pluribus de Christophoro Ostrofranco, quòd *de eo aliàs non constare* scripsit V. C Gotthelfius Struvius, qui ejus de Judæis Ratisbona pulsis Historiam in Tomo II. fascicul. I. *Actorum Litterariorum* eruit.

LXV. Ambrosii Choriolani seu de Chora Generalis Ord. FF. Heremit. S. Augustini *Chronicon sui Ordinis* in Cod. chart. fol. manu sec. XV. in quo præterea comparent *Chronicalia* seu Chronicon Germaniæ ab origine Mundi usque ad prædictum seculum. S. Augustini *Expositio Apocalyps.* Cod. membr. 8. In fine: *hunc librum posteriorem beatus Baturicus gratia DEI. Episcopus scribere jussit ad servitium DEI & sancti Emmerami, & ad salutem corporis & animæ ejus ac collocare in unum priorem & posteriorem.* Paulò ante mox relata verba leguntur hæc: *gratias referamus DEO, qui est initium & finis, quòd istum librum percurrimus scribendo, heu prò dolor! non intelligendo. Enchiriadis* * *Fortunatiani libri duo de Musica* in Cod. membr. 4. septingentorum annorum. Inc. *sicut vocis articulata* &c. Ejusdem *Rhetorica*, more Dialogi tribus libris conscripta. Inc.

* *Ita Cod.*

Quisquis Rhetorico festinat tramite doctus
Ad leges causas trahere, benè perlegat artes,
Hoc opus & notum faciat per compita tallem. &c.

D. quid est Rhetorica? M. benè dicendi scientia &c. S. Leonis M. Epistolæ LXXII. in Cod. memb. in 8. propè mille annorum. In primo folio: *istum librum dedit Loug. ad S. Emmerammum pro Tuttone Episcopo & pro remedio animæ suæ.* Ciceronis liber Synonymorum, qui incipit: *Veturio suo Cicero sal. Collegi ea, quæ pluribus modis dicerentur* &c. in Cod. membr. fol. minimùm octingentorum annorum. In eodem Codice habetur Lexicon quoddam insigne barbaro-latinum. Andreæ Danduli Venetiarum Ducis *Chronicon Venetum*. Cod. chart. 4. S. Hieronymus in

Psal-

Psalmos à nongentis annis. In fine: *Hiltigaën ego VVilliras emendationem tibi promitto.*

Qui scribere nescit, nullum putat esse laborem.
Nam trea digta scribant, sed tota membra laborant.

Petri Romani & Giselberti *Commentarius in Psalmos.* Inc. *beatus vir, qui non abiit &c. quis beatior homine Dominico, hoc est: Domino nostro JEsu Christo esse potest &c.* Cod. membr. manu sec. XII. Idem opus vidimus in bibliotheca Dorotheana Vindobonæ in optimæ notæ Codice à Bartholomæo Abbate Adlerspacensi Ord. Cist. ad Casparum à Nydpruk, qui ejus editionem parabat, anno 1500. misso. Sancti Augustini *Sermo de Symbolo contra Judæos.* Cod. membr. 8 In fine:

Accipe summe puer parvum Hludowice libellum,
quem tibi devotus optulit en famulus,
Scilicet indignus Juvavensis Pastor ovilis
dictus Adalramus servulus ipse tuus.

Adalramus hic ad plures abiit anno Domini octingentesimo trigesimo sexto. Autperti Presbyteri *libellus de Conflictu vitiorum & virtutum missus ad Lantfredum Presbyterum & Abbatem in Bajoaria constitutum.* Hic Lantfredus sine dubio est Lantfridus primus Abbas Benedictoburanus. Ad finem Codicis, qui octingentorum annorum videtur: *istum librum tradidit Eberhardus Presbyter & Monachus ad S. Hemmerammum pro remedio animæ suæ.* Sed infinita sunt, quæ de Codicibus Emmerammensibus memoremus, si locus & otium sint. Eos tanti fecit magnus Mabillonius, ut Regis Galliarum nomine pro singulis Codicibus singula volumina typis excusa, quanticunque pretii forent, Sanct. Emmerammensibus promiserit, si quidem illos bibliothecæ Regiæ cederent. Sed Attalicam eam conditionem prudenter Emmerammenses nostri abnuerunt, rati, suorum majorum labores quibuscunque opibus & elegantiis præstare.

LXV. In eodem Monasterio A. R. P. Maximilianus nobis ostendit Mabillonii litteras anno 1684. Parisiis datas, quibus gratias Emmerammensibus agit pro *Historia Monasterii Pruuveningensis* seu *Prifling ensis*, à Melchiore Weixero, erudito ejus loci Monacho anno 1621. in folio luci publicæ exposita. Hanc Abbatiam Ratisbonæ propinquam penitus insalutatam relinquere ideo nefas duximus, quòd Catalogus Codicum ejus, anno MCCCXLVII. confectus, atque in bibliotheca Emmerammensi à nobis inventus, tantam hìc veterum librorum vim sponderet, quantam in nullo Monasteriorum, quorum librarii catalogi eodem anno concinnati eodemque Codice Emmerammensi conclusi erant. Sed, quod nos non in exiguam admirationem traduxit, eò facientibus veluti excursionem, non nisi unus unicus membraneus in 8. Codex, isque perexigui momenti occurrit, reliquis omnibus, ùt quidem suspicio est, Suecica clade absumptis. Sed & ante Suecorum accessum certissima gloria hoc Monasterium spoliavit Alexander Brassicanus, qui *Pothonis Pruuveningensis Monachi Libros de statu domus DEI & de Domo Sapientiæ* cuidam Pothoni *Prumiensi* cœnobitæ, qualis nullus unquam fuit, adscripsit, eoque lapsu suo omnes eruditos viros in errorem induxit. Porro in eam opinionem Brassicanum nihil aliud adduxit, quàm nominis utriusque Ordinis nostri Monasterii affinitas & quædam in veteribus Codicibus scripturæ similitudo, dum pro Monasterio *Pruuveningensi* legit *Prumiensi*. Jam verò hæc ita se habere apertè constat ex citato Catalogo librorum Pruveningensis bibliothecæ, in quo *libri diversorum Doctorum* sic enumerantur:

Item Itinerarium Bonaventuræ in uno volum.
Item Omelia Botonis Monachi in Isaiam Prophetam.

Item super Evangelium: cùm esset, & super Evangelium: in principio. Item liber de Sacramentis in uno volum.
Item liber de doctrina cordis in uno volum.
Item dicta cujusdam de Novitiis claustralibus fundata super Evangelium: simile est reg. in uno vol.
Item liber Ymnorum Aurelii Prudentii Clementis in uno vol.
Item Lanfranci de Sacramentis excommunicatorum. Item Christianus de Sacramentis: Item Meinhardus de speculatione summi in uno vol.
Item Solinus de situ Orbis terrarum & aliis mirabilibus, quæ sunt in Mundo, in uno vol.
Item horreum formicæ, quem fecit Libbardus Monachus in uno vol.
Item liber ad status in uno vol.
Item expositio super VII. pœnitentiales Psalmos in uno vol.
Item benedictiones Jacob. Item Expositio super X. Onera Esaiæ, & visio Danielis de quatuor bestiis, & sermones in uno vol.
*Item quatuor libri de domo Domini & de novem Ordinibus Angelorum, in uno volumine, quos fecit P. * Monachus loci.*
Item Omelia Heinrici super Evangelia in uno vol. &c.

* *Id est*: Potho

Ubi vides, *libros de Domo Domini* &c. Pothoni Prunvenigensi certissimè attribui.

De eodem Pethone Prunvenigensi agit Johannes Lapillus, seu Staindel, *in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis* his verbis: *Botto Presbyter & Monachus de Cœnobio Bruuiningerensi* (adeò enim diversè nomen hujus Monasterii effertur) *ab adolescentia sua in scribendo & dictando occupatus scripsit.*

Super Evangelia Homilias XXX.
Sermonum Lib. I.
De Domo Domini Lib. I.
De Opere Sanctæ Trinitatis Lib. I.
Commentaria in Jerarchiam Dionysii Lib. I.
De die Dominica Lib. I.
De Ædificio in monte Lib. I.
De Musica Lib. I.
De Officio Missæ Lib. I.
Super Canonem: Te igitur: *Lib. I. & alia plura.*

Inter hæc plura sine dubio est insignis *Liber de Miraculis B. Mariæ Virginis*, quem sub *Botonis* Presbyteri nomine in bibliotheca S. Crucis, & Dorotheana reperimus. Et quoniam de hoc Pothone seu Bottone Prunveningensi aut nihil aut pauca hactenus constiterunt, adscribemus hìc, quæ in Libro de Miraculis S. Mariæ, qui incipit: *ad Omnipotentis DEI laudem cùm sæpe recitantur miracula Sanctorum* &c. sub medium operis de se ipse commemoravit. *Quidam Presbyter, qui in Divinis scripturis studebat, & dictandi scribendique usum habebat, cum reliquo cursu, quem in diurnis horis de Sancta Maria frequentabat, etiam Completorium de illa cottidie cantare solebat. Qui cùm quadam die completo regulari Completorio se in lectulo collocâsset, Omeliam super illud Evangelium: exurgens Maria abiit in montana, dictare cœpit. Sed cùm attentiùs meditationi insisteret, inter meditandum obdormivit, & Completorium, quod de S. Maria dicere debuit, oblivioni tradidit. Gravatus ergo somno putabat se stare in Ecclesia ante principale altare, ubi accedentem ad se Dominam reverendo vultu aspexit, & quasi faciem matris suæ videret, cum admiratione nimia gaudebat. Quam cùm salutâsset, illa subridens: nolite, inquit, mirari, quòd hac hora venerim ad vos. Veni enim, ut Completorium à vobis audiam, quod nondum audivi. Et cùm ille jam Completorium se cantâsse affirmaret, illa subjunxit: unum quidem Completorium, quod est regulare, dixistis, sed alterum neglexistis. At ille in se reversus recordatus est, Completorium S. Mariæ se obli-*

oblivioni tradidisse. Tunc pia Mater eum assumpsit, & secum ducens ad altare S. Johannis Baptistæ, quod juxta principale altare ad septentrionalem plagam situm est, divertit. Ibi lux immensa refulsit, quæ altare illud & ea, quæ in circuitu altaris sunt, perfudit. Sedile positum erat juxta altare, ubi sedere secum Presbyterum beata Maria faciens, ut Completorium cantaret, admonuit. Illa sessio jocunda erat, in qua tanta dulcedine mentis delectabatur ille, qui Completorium cum B. Maria cantabat, ut se in Paradiso DEI esse sentiret. Finito Completorio ipsa Cælestis Reginæ visio disparuit. — Ego scilicet Boto, qui hanc visionem jam senex de S. Maria vidi, & quasi de alieno scripsi, plura de ipsa Matre Misericordiæ & ejus beneficiis, quæ ante annos XL. circa me gerebantur, referre dignum duxi.

Tunc ætate juvenis, officio Subdiaconus eram, cùm supra vires ingenii mei meditandi ac dictandi studio fervere cœpi, ita ut hujus exercitii gratia sæpius insomnem ducerem noctem. Quocirca infirmitatem maximam capitis incurrebam, & in lectum decidens totis viribus corporis destitutus eram. In illa tam diuturna ægritudine mea fastidio eram fratribus nostris, qui me custodiebant, & ideo à me recedebant, nec curam mei gerebant. Solus ille beatæ memoriæ Heinricus Elemosynarius ex affectu charitatis refovebat, juxta me jacebat, & me tunc penè ad exitum propinquantem diligenter custodiebat. In quo statu corporis & mentis tunc essem, nec verbis perfectè explicare possum. Exteriorem hominem meum flagellis suis DEus cinxerat: interiorem verò hominem manu sua tenebat, & ducebat, quò volebat. A terra sursum elevabar ad diversas mansiones lucidas, lucidiores, lucidissimas, ubi requiescunt animæ sanctorum: spiritu rapiebar & miranda videbam, quæ dicere non licet, quia nec dicenti aliquis fortè crederet. Sed & sub terra dimersum me sentiebam, & in pœnis infernalibus horrenda videbam. Inter hæc in lecto velut exanimis jacebam, & nihil horum, quæ videbam, in locis & ædificiis agnoscebam. Corporei oculi mei sic obscurati erant, ut nullum ex fratribus nostris facie vel nomine cognoscerem. In alio enim seculo me esse putabam. Antichristum tunc temporis in seculo regnare æstimabam, cum quo me pugnaturum fore formidabam: Quid plura? Ego, qui à Magistris aliquando instructus litteratus esse putabar, nunc flagellantis Domini manu tactus in infirmitate non cognovi litteraturam, quia introivi in potentias Domini. O quanta est potentia, quàm terribilis est in sua potentia ille, qui aufert etiam spiritum Principum! Ipse communem hominum sensum mihi abstulit, & alios, quos voluit, sensus super me induxit. Quis non miretur, quis non stupeat, quòd de tota scientia mea nihil mihi remansit, sed totum simul amisi, quicquid unquam didici? Si librum inspiciebam, legère vel cantare aliquid nesciebam: si orare volebam, nec Psalmum nec Pater noster, nec credo in DEum, nec aliquam orationem ad memoriam revocare poteram. De tota scriptura veteris ac novi testamenti nihil aliud memoria retinebam nisi illam Antiphonam: sancta Maria succurre miseris, *& Hymnum:* Ave maris stella, *quæ jugiter repetebam, terebam, & hac voce inclamabam: O sancta Maria, spes & solatium miserorum, exaudi me clamantem ad te. Adhuc quatuor anguli in capella tua: da mihi locum in domo tua, ut requiescam. Dum hæc clamarem, Matutina laus à fratribus in choro cantabatur. Interea ego in domo infirmorum jacens in lecto soporatus sum. Et ecce video in Ecclesia S. Mariæ ante altare thronum positum, & in throno sedentem Dominum JEsum, & ante faciem ejus stantem beatam illius genitricem, quæ flexis genibus sic orabat: Domine clementissime miserere illi, qui ad me jugiter clamat. Da ei per gratiam tuam, ut de infirmitate convalescat, & amodo in tuo servitio proficiat. His visis & auditis statim evigilavi, & Conventum cum processione intrantem in capella audivi & Cursum S. Mariæ cantantes audiebam, & pristino sensu mihi reddito intelligebam, & cum psallentibus psallebam, mirantibus cunctis diluculo surrexi de lecto, convalui de infirmitate. Ex tunc per DEI misericordiam & sanctæ DEI Genitricis intercessionem scientiam percepi ampliorem, & perspicaciorem in Divinis scripturis intelligentiam &c.* Hæc ipse de se Poto seu Boto Monachus & Presbyter Prunveningensis Monasterii propè Ratisbonam, in quo Botoni fortè coævus, etiam floruit *Arnoldus Monachus* auctor *Librorum IV. de Miraculis B. Mariæ Virg.*

 quos

quos in diversis Austriæ bibliothecis MSS. invenimus hoc exordio: *Venerabili & in Christo plurimùm dilecto E.* (Eberhardo) *Abbati Cœnobii Provenicensis, suo, imò totius nostræ Congregationis in Christo Patri & Domino, A.* (Arnoldus,) *qui videbatur aliquid consecutus litterarum, sola professione Monachus universum debitum amoris ùt Patri, timoris ùt Domino. Cum incertis & occultis Divinorum judiciorum* &c. Nec satis scio, an non ejusdem Prunveningensis Cœnobii Monachus fuerit *Engelhardus*, qui itidem *Librum diversorum Miraculorum* ad Erbonem Abbatem scripsit. Operi præfigitur Erbonis epistola ad Engelhardum hoc initio: *Angelo Domini Sabbaoth Domno E præclaræ virtutis & scientia viro, E. pauper & modicus. Tali de cætero salutationis charactere ordiar* &c Certè in Catalogo Abbatum Prunveningensium duo hoc nomine Abbatum seculo duodecimo recensentur, nec Codex Zwetlensis, in quo hoc opus extat, seculo Christi decimo tertio recentior est. Sed ad hæc definienda lux amplior aliunde expectanda est.

LXVI. Ratisbonam regressi Emmerammensis Monasterii plerosque jam Codices lustrando absolveramus, cùm in *vitam S. Alberti* Prioris Monasterii superioris Altahæ non sine quodam Numine, ùt nobis equidem visum fuit, incidimus. Dum enim eam pervolitamus, ad eum fortè locum pervenimus, qui Tom. I. P. III. col. 542. in hunc modum extat: *nihil terrenarum rerum habuit nisi pennas & incaustum propter correctionem librorum & glossationem, in quibus subtilissimus erat, ùt in pluribus patet Ecclesia nostra libris. Interrogatus autem, cur abjectos, quos nemo curaret, libros tam diligenter, tam laboriosè emendaret & glossaret, respondit: veniet tempus, quo hæc & alia Ecclesiæ nostra opuscula cum diligentia amplectentur. Et quamvis,* pergit vitæ auctor, *contrarium in nobis juvenibus desidiosis videatur: sperare tamen debemus, idem verbum in nobis vel nostro tempore adimpleri ejus meritis & precibus, cujus omnia verba credenda sunt, quia non erit impossibile apud DEum omne verbum.* Quæ dum clara voce in fratris aures recito: en, inquam, vaticinii post tantum temporis intervallum fidem! Quid enim aliud nobis nunc propositum est, quàm ut tum aliorum Bajoariæ Monasteriorum libros veteres, tum proximè antiqua Superioris Altahæ monumenta pervestigemus? Percussit ea res tam fortiter utriusque animum, ut, si quod ad aliud Bavariæ cœnobium, ad *Altaham superiorem* inflammato desiderio ambo ferremur.

Ad id pridie festi Nativitatis B. Mariæ Virg. advenimus, Reverendissimi D. Abbatis Emmerammensis Johannis Baptistæ liberalitate in via nón parum recreati. Tanta enim hujus sancti Præsulis erga nos benignitas extitit, ut quicquid Ratisbonæ coram præsentibus fecisset, parum putaret, nisi sua nos etiam abeuntes munificentia comitaretur. Eum pientissimè paulo post nostrum dicessum vitâ functum esse, proximi anni autmno ex Serenissimi & Eminentissimi S. R. E. Cardinalis & Ducis Saxo-Cizensis, dum Vindobonâ Ratisbonam jussu Sacratissimi Cæsaris rediret, ore intelleximus, qui & factum ejus supremum hoc fere modo nobis narravit. Cum morte propè luctans cùm à religiosissimis filiis, num sacrum ad se viaticum è templo afferri vellet, interrogaretur, respondit is: *absit à me filii, ut Dominum DEum meum ad me deferri patiar. Quin contra me misellum arripite, ac in templum ad percipiendum cœlestis esca munus deportate.* Nec ullis sermonibus acquievit, donec ad templi oratorium utut immensa vi dolorum in gravissima senectute divexatus, adsportaretur, ubi cum incredibili pietatis sensu Divino illo pabulo sumpto, non ita post in Domino obdormivit. Quorum hoc loco meminisse visum est tum ob testis gravitatem & auctoritatem, tum in perennem Præsulis, de nostris studiis, dum in vivis ageret, tam benè meriti memoriam.

LXVII. *Oberaltaichii* absente Reverendissimo Domino Abbate ab A. R. P. Priore Casparo Müller, viro egregio, perbenignè ad bibliothecam admissi sumus. Ea adhuc ad quingentos quà membraneos quà chartaceos Codices obtinet, ex quibus quædam opera nominatim referemus. *Anonymi amplissima & insignis epistola*

de

de illicita Clericorum & mulierum cohabitatione à sexcentis annis scripta. Inc. *emiseram quidem vobis ante tempus epistolam filii Karissimi, qua omnium morum instituta de lege commendans summatim contineret omnia* &c. Christiani Abbatis Altahæ Super. *Volumen exhortationum Capitularium* in Cod. membr. fol. Incipit prima: *Ex quo Patres & Fratres dilectissimi officium principalissimum Abbatis est, & sine cujus impletione salvari non potest, quòd subditos suos debet compellere ad observantiam regulæ* &c. Ejusdem amplissimum *Commentarium in Regulam S. Bened.* conspeximus tum in hac tum in aliis bibliothecis. In coævo Oberaltaichensi Necrologio sic ejus dies obitus annuntiatur: *V. Kal. Julii obiit Dominus Christannus Abbas nostra Congregationis circa undecimam in nocte & unus juvenis frater secum, nomine Caspar, post vesperas 1502.* Cura Pastoralis S. Gregorii Papæ à plus quàm nongentis annis in Cod. membr. 4. In secundo Codicis folio:

Me Sancto dedit Sandradus en quoque Vito.

Videtur hic Sandradus esse Abbas Emmerammensis, qui diem supremum clausit anno DCCXXXV. In fine Codicis: *Omnis enim, qui legit hic, oret pro scriptore, si DEum habeat adjutorem.* Herrici Monachi Autissiodorensis *Homilia de Tempore & Sanctis* in vasto ac eleganter exarato membraneo volumine in fol. sexcentorum annorum, quem Gerhardus Abbas Oberaltaichensis S. Petro in fine obtulisse dicitur. *Vita S. Guntharii* Eremitæ ex Monacho Altahensi. Inc. *erat quidam senex religiosus* &c. Cod. membr. fol. In primo Codicis folio:

Abbas Popo tibi jubet hunc librum Petre scribi,
Virtutum flores ut carpant hinc seniores,
Et juvenum mores sint ad bona fervidiores.

Hic est ille Popo Abbas, qui S. Albertum Monastico habitu induit, multosque alios, qui adhuc supersunt, Codices exarari jussit. *Wolfgangi Monachi Altaha Inferioris* insignis Codex Epistolarum, cui multæ Archiepiscoporum, Ducum Austriæ ac Bavariæ, aliorumque illustrium virorum litteræ insertæ sunt. Floruit is seculo decimo quarto. In quodam Codice membraneo coævo in 12. sequentes recensentur, *quorum hereditas cum castris & prediis ad Ludwicum Ducem Wawaria & filium ejus Ottonem est devoluta*: primò *Fridericus & Hermannus Lantgravii de Stefling; Vlricus Comes de Vilbruch & Chalmuntz, tres fratres Purgravii de Rietenberch vel Rat^e, Otto liber de Werd apud Heilingstat, Diepoldus Marchio de Vochburch & Chamm, Chunradus Dux de Chaw, Fridericus & Otto de Witlemspach Comites Palatini, Hainricus liber de Lantsperch aput Lech flumen, Hainricus Marchio Histria de Andehsen.* Hæc ibi. Notatu præ cæteris dignus est Codex membraneus minimùm seculo XIII. exaratus in 4. maj. in quo habetur *Abbreviatio* (ita disertè Cod.) *Magistri Bandini de libro Sacramentorum Magistri Petri Parisiensis Episcopi fideliter acta.* Hoc Bandini Opus ex Codice Mellicensi anno 1519. in fol. edidit doctissimus Abbas B. Mariæ Virg. Scotorum Benedictus Chelidonius *Vienna Pannonia ex adibus Johannis Singrenii calcographi, expensis Luca Alantsee omnium litteratorum parentis*, idque *Invictissimo atque Magnanimo Imperatori Maximiliano Cæsari Augusto* dicavit. In qua editione, paucis extra Austriam cognita, post nuncupationem, hanc epistolam Sigismundo Abbati Mellicensi Chelidonius inscripsit.

Reverendo Patri ac Domino, D. Sigismundo Abbati in Medlico, viro & litteris & religione ornatissimo, pergrata sibi familiaritate devincto, plurimumque observando F. Benedictus Chelidonius Vienna ad Scotos Abbas S. D.

De litteraria disceptatione, qua nuper Vienna inter D. Joannem Eckium sacra theologia Doctorem, facultatisque ejusdem Doctores Viennenses, maxima in litteratorum fre-

quentia facta est, dum inter prandendum nuper abs te, Sigismunde Abba dignissime, nonnullisque aliis bonarum litterarum professoribus more tibi solito conferretur, ipseque ùt sæpissime aliàs secundùm priscam, quæ mihi tua cum paternitate jam pridem fuerat, consuetudinem invitatus considerem, per D. Eckii mentionem, ad bibliotheca tua, quam novam construxisti, pervetustis manuque scriptis Codicibus plenam digressi sumus memoriam. Quorum ex numero P. tua reverenda librum quendam ævi plenum, cui titulus erat (Liber Sententiarum Magistri Bandini) paucos ante dies inditio D. Eckii repertum, protulit. Quem cùm publicatu dignum, una cuncti sententia judicâssemus, abs te, Pater optime, quòd domesticis tunc curis omnino fores obnoxius, ejusdem revidendi, &, quo maximè indigebat, castigandi provincia mihi tunc fortè minùs negotioso demandata est. Quam ego, utpote P. tua multa pro benevolentia multisque pro beneficiis plurimum debens, audacia magis quàm fretus peritia, assumpto mecum in eam operam Martino Milio regulari canoco & nostri Monasterii tunc Plebano viro in omnem rem literariam abundè expedito promptus obii, & eo quo Petrus Longobardus modo, quantum licuit distinxi, & à mendis quibus plenior quàm Leopardus maculis erat, vindicavi, Authoritatum denique loca pleraque adnotavi. Inter legendum igitur comperi certissimè Petrum eundem, suis in quatuor libris, nostro per ordinem usum Bandino. Petrus namque in suo, qui de Sacramentis est quarto libro, de Confirmatione quanquam parum, nonnihil tamen disputat. Quem si Bandinus (ùt à nonnullis putatum est) abbreviâsset, de Sacramento eodem, utpote re ad propositum necessaria, non omnino, quemadmodum fecit, tacuisset. Sententia nostra D. E kius in libro de sua Vienna habita disputatione, adstipulari videtur, cujus verba inferiùs subjungam. Simile de Gratiano quoque (ut veritatem exemplo adstruam) amborum tamen salva reverentia, nuper comperi. Nam Johannes Hessus Reverendissimi Præsulis Vratislaviensis, & Caroli Ducis Silesiæ familiaris gratissimus, virque doctissimus, conterraneus meus, ex Georgio quodam de Spalato æquè doctissimo Saxoniæ Ducis a secretis sese audivisse mihi asserebat, Librum Isidori Hyspalensis, synodales constitutiones & patrum sententias continentem, in Monasterio quodam Turingiæ, quod vallis S. Georgii vocatur, teneri, unde Gratianus ille quisquis fuit maximam partem in suum Decretum congesserit. Bandinus cujas, & fortunæ cujus, homo fuerit, cùm diu multumque in historiis, quoque doctissimorum virorum Georgii Collimitii Medicinæ atque Astronomiæ Doct. Sebastianique Vunderlii LL. Licentiati, Magistrorumque Ambrosii Salzer, Andreæque de Mergetem, nec non Joannis Eckii per epistolam, usu investigâssem, de viro longæva gloria digno nihil deprehendimus. Et nisi hoc ingenii sui monumentum post se reliquisset, omnino forsan æterna sepultus oblivione lateret. Volumine itaque, quandoquidem de authore nihil certi habeamus, contenti simus. Quod modo calcographis subjacet, in lucem (ùt jussisti,) quàm ocissimè proditurum. Vale Abba litterarum amator notissime. Datum Viennæ ad Scotos prima die Julii, 1518.

D. Joannes Eckius sacræ Theologiæ Doctor clarissimus in suò libro quem de sua disputatione Viennæ habita edidit, de Magistro Bandino quid sentiat, Lector adverte. Cujus hæc sunt verba.

Ad Medlicum venimus, insigne Divi Benedicti Monasterium, ubi dum in hospitio itineris comites, corpora & equos curarent, ego pro meo in bonas litteras amore, Monasterium conscendi, supellectilem chartaceam visurus. Ubi codices reperi plurimos. At imprimis mirificè oblectabar in Magistri Bandini Summa Theologica. Quam dum diligentiùs lectitâssem, comperi (dempta stili elegantia) nihil eum aut perparum à Petro Longobardo Sententiarum Magistro differre, ita singulas sententias, eo etiam ordine, quo Magister doctissimè prosequitur. Contuli enim confestim librum libro, non uno in loco. Ut mihi dubitatio suborta sit non modica, quis ex eis cuculus fuerit, alienum sibi supponens partum. Petrus enim à tot seculis receptus est pro certo authore & primario hujus summa. At contra, pervetustus est Bandini Codex, in antiquissimo Monasterio, tali formula concinnatus, ut quit facilius aliquid addiderit quàm detraxerit. Hæc Eckius. Verùm

dubita-

dubitationem hanc, quis horum duorum alteri sua debeat, dirimit laudatus Codex Altahæ superioris, in quo Bandini Opus *abbreviatio de libro Sacramentorum Magistri Petri Parisiensis Ep. fideliter acta* clarè ac affirmatè dicitur. Quibus de rebus cùm inter cœnandum cum A. R. P. Amando, Altahæ Superioris Seniore, oculis capto, sed viro doctissimo, sermonem haberemus, testabatur is se ideo duntaxat nunc maximo recipiendi visus desiderio inflammari, ut res tam præclaras, quæ domi suæ hactenus omnibus insciis adservatæ essent, suis ipse oculis posset usurpare.

LXVIII. Oberaltaichio propè abest Monasterium *Windbergense* Ord. Præm. cujus nobis Codices passim in Bajoaria laudabantur. Eo itaque die nona Septembris à meridie perreximus, sub vesperum tam à religiosissimis Dominis Canonicis, quàm à Reverendissimo Domino Abbate Augustino amicissimè ac benignissimè suscepti & biduo habiti. Monasterium hoc, cujus nunc novam structuram, veteri ruinam minitante, Reverendissimus Abbas molitur, ab ipso S. Norberto conditum esse ferunt, quod cum mox afferendis versibus non convenit, tametsi nihil hìc loci sit, quod non temporum illorum simplicitatem & providentiam redoleat. Cellulæ Religiosorum augustissimæ, Sacrarium pertenue, Codices in bibliotheca veterum more per pulpita, quibus catenis adnexi sunt, dispersi. Ex his multi membranei sunt, sub Gebehardo II. aliàs III. Abbate seculo duodecimo potissimùm exarati, in quibus pauca nobis inedita reliquerunt Henricus Canisius & P. Jacobus Gretserus, quibus hæc bibliotheca magno usui fuit. In Codice membr. fol. min. extant *libri Confessionum S. Aug.* ad quorum calcem hos versus legimus.

Hìc homo te quære, si te cupis ipse videre.
Hìc contemplaris, in quantis commacularis.
Sordes discretas hìc quælibet invenit ætas.
Vitæ præsentis carum plerumque sequentis.
Hoc opus est à te Pater Augustine beate
Clarè prolatum proprium te flente reatum.
Quòd diversorum varias species vitiorum,
Quæ commisisti, plenè satis exposuisti.
Ecce DEO gratus Doctor jam præmemoratus
Fortis agonista Christi, qui protulit ista.
Post tenebras lumen suadet per mentis acumen.
Ut peccatorem vocat ad vitam meliorem
In se damnando, quod fecit prævaricando.
Ut nos damnemus vitiosum quicquid habemus.
Extirpando mali germen sub dogmate tali.
Ut nova culturâ faciamus germina pura.
Propter opus tale quod opus decus est speciale
Et propter multa, quibus hæc sunt mœnia fulta
Sunt enarrandi Gebehardi Patris amandi
Egregii mores, consignandique labores.
Hic locus à fundo sub eo pastore secundo
Per celerem saltum muris excrevit in altum.
Ne morer in multis à Patre pio benè dictis,
Jam breviter dico sudore quod egit amico
Intus sive foris, quod habet locus iste decoris,
Ille ministravit, & lucra loco cumulavit.
Ergo labore pari studeant opus hoc imitari
Huic succedentes meritum sibi par facientes
Tamque Patris clari prece non cessent memorari
Post hunc viventes, ejusque labore fruentes,

Optent semper ei, locus ut detur requiei
A Salvatore Mundi cessante labore.
Lector dicat amen nostrum supplendo precamen.

In alio membraneo volumine in fol. post *Epistolas S. Bernardi sequentes versus notavimus*:

Hoc opus haud grande nec inutile lector amande
Larga manus largi Patris implevit Gebehardi.
En Gebehardus ego, qui nunc in corpore dego
Viribus orbatus, exhaustus, debilitatus,
Post breve de Mundo migrans hoc consilium do:
His amor est, quorum mihi pars non nulla laborum,
Quos domus ista regit, ubi me mors dura subegit,
Collectis rebus per nos nostrisque diebus,
Ut se turba rudis si non nova commoda cudis,
Parce modo partis aliena viribus artis,
Et quæ collecta tibi sunt non absque labore,
Noli neglecta quorundam spargere more.
Quale sit & quorum tempus cum germine morum,
In quo versaris, erras si non meditaris.
Undique versantur & cuilibet insidiantur
Artes, mille doli. Falli fuge, fallere noli,
Atque tuis memor precibus memor esto tuorum.

In Codice membraneo in 4. maj. annorum quingentorum reperimus breve scriptum *Eckeberti Abbatis de Laude S. Crucis* hoc titulo & initio: *Laus crucis, verba Eckeberth. Salve Crux, signum DEI vivi, vexillum dexteræ excelsi* &c. Id integrum dabimus suo loco. Vidimus hic etiam in Codice quingentorum annorum *Bernardi Clerici Trajectensis Commentarium in Eclogam Theoduli.* Inc. præfatio: *Dilectissimo Domino suo sacrosanctæ Trajectensis Sedis Episcopo Conrado suorum minimus Clericorum Bernardus, gregem sibi à DEO commissum sic pascere, ut à summo pastorum Christo mereatur audire: euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui. Lecturus aliquando Theodolum pueris, quibus docendis* &c. Inc. Opus: *liber æquivocè dicitur. Nam liber appellatur pergamenum* &c. Sed multò præstantior est Codex quidam in fol. sexcentorum annorum, in quo S. Elisabethæ Schonaugiensis nostræ *Liber Viarum DEI perscriptus est.* Chronicon *Windbergense* habetur in Cod. membr. sec XII. sed id ab Henrico Canisio in Antiquis Lectionibus jam pridem evulgatum est.

LXIX. Duodecima die Septembris ad *Mettense* Ordinis nostri Monasterium via fuit, in quo non nisi tres Codices MS. invenimus, tametsi Cœnobium à Caroli M. ævo fundatum sit, ac nuperrimè à Reverendissimo Domino Abbate Amando, Præsule singulari pietate ac modestia prædito, restauratum. Ejus loci primus Abbas extitit B. Utto, cujus corpus in altari Ecclesiæ, ad Septentrionem collocato, fidelibus venerationi est. Porro trium illorum Codicum, quos unos paulo ante restare diximus, unus maximi propterea momenti est, quòd Crucibus seu consecratis S. Benedicti numismatibus, fortissimo adversus dæmonum & Sagarum præstigias ac veneficia amuleto vel originem vel incrementum lumenve præbuerit. Ferunt enim Strigas, cùm omnia latè maleficiis & teterrimis artibus Tartari evastâssent, in judicio confessas fuisse, ideo in Monasterium Mettense sibi nihil licuisse, quòd id Crucibus S. Benedicti munitum ac tectum esset. Quod indicium secuti Cœnobitæ Mettenses non solùm ejusmodi Cruces diversis locis affixas deprehenderunt

derunt, sed etiam, de quo agimus, Codicem in abstruso Monasterii loco repererunt, in eoque S. Benedicti Crucem & Imaginem cum integris sacris verbis, quæ initiales duntaxat characteres, Crucibus impressos explicant. Quæ res nos permovit, ut hunc Codicem accuratiùs contemplaremur notatis omnibus monumentis, in eodem hodieque conspicua sunt. En igitur omnia!

Primò in memorato Codice, qui membraneus & majoris formæ est, extat *Plenarium*, id est: quatuor Evangelia. Secundò Opus *Rabani Mauri de Cruce* sæpiùs editum. Tertiò *Biblia Mariana* cum figuris assymbolis veteris ac novi testamenti, Alberto Magno à quibusdam tributa. Quartò variarum rerum & mysteriorum figuræ ac imagines, calamo pictæ auctore Anonymo Mettensi, qui seculo XV. sub Petro Abbate floruit. Ac in hoc quarto Symbolico Anonymi opusculo extat imago S. Benedicti cum Cruce & sacris verbis, quæ æneis S. Benedicti Crucibus & numismatibus inscribuntur & inciduntur. Hujus imaginis ecgraphon, accuratissimè confectum, & ab A. R. D. P. Placido Gswendtner, Priore dignissimo ac humanissimo nobiscum communicatum vide sis in adjecta tabella. Quintò Breve compendium librorum veteris ac novi testamenti. Sextò *Petri Pictaviensis Compendium historiæ veteris ac novi Testamenti*, quod incipit: *considerans historiæ sacræ prolixitatem* &c. In primo Codicis folio primaria manu recensentur Reliquiæ, quæ asseribus Codicis quondam inclusæ erant.

Hæ reliquiæ in hoc libro sunt recondita.

De spinea corona Christi. De lapide Domini. De præsepio Domini. De lapide, in quo Crux Christi fuit. De pisis in lapides conversis. Oleum S. Mariæ. Apostolorum. De baculo S. Petri. De cruce S. Andreæ. Bartholomæi Ap. Martyrum: Decem millium Militum & Martyrum. Bonifacii Martyris, Magni M. Savini Ep. & M. Confessorum: Anastasii Ep. De costa S. Benedicta. De costa S. Uttonis. Virginum: de crinibus S. Magdalenæ, Katherinæ V. & M. Barbaræ V. Dorotheæ V. Vrsulæ V. Vndecim millium virginum, de vestimento & crine S. Agnetis, Clementiæ V. Eonomiæ V. & M. Aufredæ V. & M. Praclaræ V. Verenæ V. Foraminæ V. Valeriæ V.

Tum ibidem eadem manu sequuntur hi versus, ex quibus ætas codicis certissima est:

Christi Milleno C. quatuor anno quindeno
Abbas hic Petrus juvamine cœlico fretus
Crucis ad honorem Christi matrisque decorem
Michaelis Angli, nostri Patris & Benedicti
Hunc scribi jussit librum, cui propitius sit
DEus, deaurari, pictura discolorari
Insignem gemmis, Reliquiis quoque sanctis
Ob veniam scelerum tempus salubreque dierum.
Quem DEus sic ditet, pœnas tetras ut tutus vitet,
Cujus libri decor legentis aperiat cor.
Ut quæ sunt sursum, per celerem sapiat cursum.
Librum tollentem anathematis Christe torrentem
Jubeat haurire, Jehennaque flammas inire.



LXX. Haudquaquam plura, quàm in Mettensi, vetera monumenta supersunt in celeberrimo & totius inferioris Bavariæ principe Monasterio *Altahæ inferioris:* ubi cùm Reverendissimi Domini Abbatis Joscionis, Præsulis gravissimi mandato A. R. D. Prior Joachimus Stich, vir eruditus, nos ad bibliothecam & Archivum comitaretur, in illa nihil penitus veterum codicum, binis, ùt ferunt, incendiis exustorum, in hoc nonnulla Diplomatum avtographa vidimus, quæ inter Ludovici



dovici Pii Imp. & S. Heinrici excellent. In Sacrario duo *Plenaria* scitissimè scripta & affabrè ornata conservantur, quorum alterum septiugentorum, alterum sexcentorum annorum est. Denique in Prioratu idem Cl. P. Joachimus quorundam veterum monumentorum recentia apographa protulit. Sed hæc ad infinitum illum thesaurum, quem flammarum aviditas, nullis Monachorum lachrimis sedanda devoravi, nihil sunt. Itaque cùm nihil admodum esset, in quo hic animum manusque,

utut fessas exerceremus, ob Codicum excidium luctu & dolore acerbissimo pleni, die decima quarta Septembris *Pataviam* descendimus, triduano percelebris Canoniæ *S. Nicolai* hospitio usuri, cujus Reverendissimus Dominus Præpositus Josephus alter loci fundator & ipsa Suavitas, nos non hospitum sed filiorum loco habuit.

LXXI. Idem nos sequenti die in suam bibliothecam sanè quàm ordinatam & veteribus editionibus refertissimam introduxit. Codices universim trecenti sunt, è quibus centum & duodecim membranei præstant, etsi præter *Mauritii Episcopi Parisiensis in Orationem Dominicam Sermones* nihil ferè inediti contineant. At verò longè majorem MSS. Codicum vim hanc Canoniam, à B. Altmanno Ep. Pataviensi conditam, olim ornâsse, discimus ex mox consequenti librorum S. Nicolai Catalogo, quem ex Codice seculi XIII. memoriæ saltem causâ exscripsimus.

Augustinus in duobus voluminibus supra centum ultimos Psalmos. Epistolæ Hieronymi in duobus volum. Pastoralis I. Passionale I. Moralia Job omnia in quinque volum. Homilia Gregorii XL. Gregorius super Ezechielem. Prosper de Contemplatione. Hieronymus super Matth. Homilia Rabani per circulum anni. Excerptiones Moralium. Liber Scintillarum. L. Homiliæ Augustini. Augustinus de professione viduitatis. Isidorus de summo bono. Pronosticon. Vita S. Martini. Cassiodorus. Dialogus. Speculum Augustini. Johannes de compunctione. Episcopus habet. Epistola Pauli. Paterius. Enchiridion. Regula Monachorum. Medicinalis. Sermones per circulum anni. Liber de Ordinibus. Cantica Canticorum. Augustinus ad quendam Comitem. Quadraginta septem quaterniones Matutinales. Psalterium. Textus fabricatus. Alii duo parvuli textus.

Isti sunt libri, quos Roma detulimus.

Augustinus super Psalterium in tribus volum. L. Homilia Augustini. Speculum Augustini. Ejusdem liber ad Comitem. Liber Augustini de professione viduitatis. Gregorii super Moralia in V. volum. XL. Homiliæ. Pastoralis ejusdem. Excerptum de Moralibus. Homilia Rabani. Sermonum liber. Liber Scintillarum. Vita S. Martini. Epistola Pauli. Cantica Cantic. Regula Monachorum. Quidam novus liber de ordinatione Monialium. Paterius, Pronosticon. Medicinalis liber. Liber de Paradiso.

Isti sunt libri, quos Domna M. habet.

Liber Gregorii super Ezechielem. Epistola Hieronymi. Liber Passionalis. Prosper de contemplatione. Enchiridion. Isidorus de summo bono. Collationes Patrum. Hieronymus super Matth. Joannis de Compunctione. Paterium postea in itinere accepit.

Istos in claustrum dedimus.

Duo volumina Augustini super Psalterium. L. Homilias ejusdem. Speculum ejusdem, Homilias Rabani. Dialogum.

Isti sunt libri Ecclesiæ S. Nicolai.

Scilicet bibliotheca. Duo Missales libri. Duo Evangeliorum libri. Duo Lectionarii. Unus Officialis liber. Unus Gradualis liber. Unus Sequentionarius cum tropis. Unus Matutinalis in duob. vol. & unus parvulus cum Graduali & Hymnario, & in utroque Psalterium. Duo Psalteria. Epistolæ Pauli. XL. Gregorii. Unus Sermonum liber. Unus Benedictionum liber. Vita Patrum. Unus tractatus Augustini VII. Psalmorum. Duo Hymnarii. Excerptum Lachem de Moralibus. Scintillarum liber unus. Gratissimus Petri. Isidorus. Tripertita Historia. Regestum Gregorii. Augustinus de diffinitionibus dogmatum Ecclesiasticorum. Regula Canonicorum. Regula Solitariorum. Una Arithmetica. Salustius. Liber diversarum regularum Grammaticarum Rhetoricarumque. Persichomachia. Arator. Cato. Expositio in Cantica Cant. Synonyma. Liber Johannis Abbatis ad imperatricem Agnetem. Porphyrius. Tria volumina orationum. Liber benedictionum Episcopalium. Liber epistolarum. Versus Offertoriorum. Leges Alemannorum. Epistola Isidori. Quadam orationes Missarum.

De

De horum librorum fortuna hæc Necrologium S. Nicolai commemorat: *anno Domini 1389. omnes libri de S. Nicolao cum clenodiis combusti sunt in castro Newnburge proxima die post festum Pascha.* Idem confirmatur ex alio Codice membr. in folio his verbis: *Anno Domini 1395. in octava S. Augustini impetrarunt hunc librum à Domino Præposito S. Hippolyti & confratribus nostris ad reparationem librorum nostrorum, qui combusti & annihilati fuerunt per Bohemos & cives Patavienses in castro Newnburgensi. Quare diligenter oretis pro confratribus.* Ita ibi.

LXXII. Patavia die decima sexta Septembris excursum fecimus *Varnbacum* seu *Formbacum*, quod admodum celebre Ordinis nostri monasterium ad Oeni ripas est, vix duabus horis Patavia dissitum. Ejus Reverendissimum Dominum Abbatem Wolfgangum, prudentia & animi magnitudine nobilem Præsulem vix salutavimus, cùm ad nos A. R. & Eruditissimum D. P. Priorem, Clarum, re ac nomine evocavit, jussitque, ut nostris studiis quibuscunque posset modis, adesset, id quod vir in historia versatissimus & cumulatè & amanter exsecutus est ostenso primùm amplissimo *Chronico Varnbacensi*, in duobus prægrandibus in folio voluminibus ab se composito & veteribus chartis refertissimo. Ad id ei magno subsidio fuêre tria, ni fallit memoria, chartacea in 4. volumina, quibus variæ res Chronicæ, Bavariam præcipuè ac Austriam spectantes continentur. Sunt, qui ea ab Angelo Rumplero, erudito Abbate Varnbacensi comportata esse autument, sed malè, cùm vel ipse character, quo singula exarata sunt, seculum decimum quintum apertissimè referat. Aliud longè *Chronicon Varnbacense* ab Angelo conscriptum, & in primo nostro volumine publicatum, ubi vide, quæ in observationibus nostris præviis tum de hoc tum de aliis Angeli operibus adnotavimus. In bibliotheca, cujus propè omnes Codices diversis cladibus & casibus periêre, notatu non indignus est *Liber de Scriptoribus Ecclesiasticis* auctore *Johanne Lapillo* Presbytero Pataviensi, cujus hæc præfatio est: *Plures fuerunt, ut verum fatear, qui multo labore viros eruditos & omni scientia illustres, præcipuè Ecclesiasticos Scriptores, in unum comportârunt, quatenus diversa eorum studia & exercitia nota fierent posteris. Horum secutus exemplo aliquantos, etiam antiquiores non contemnendos Philosophos & Poëtas, quorum sequendam doctrinam, quàm omnis ingenii acumen esse mirandum.* * *Censeo enim merito illos à nobis non ignorari, qui primariam omnium scientiarum cognitionem nobis tradiderunt, licèt plerique eorum, quos commemoravimus, in fertili agro acervum magnum messuerunt, ego tamen cum Ruth Moabitide post tergum mettentium spicas tantùm collegi, & parvitati meæ sufficere confido, qui graviora ferre non despero. Vale 1497.* Incipit Opus: *Moyses Amram Judis ex Jocabeth filius fuit, verus & omnium Prophetarum summus &c.* Cod. chart. fol. Auctor inter alios etiam laudat *Reinoldum Eystetensem Episcopum, qui*, inquit, *inter Pontifices sui temporis per Germaniam clarus odidit Historiam de S. Nicolao per omnes Ecclesias satis vulgatam. Obiit anno Domini 988.* In Archivo Varnbacensi, cujus omnia vetera monumenta ipse Reverendissimus Dominus Abbas pro singulari suo erga nos amore ostendit, insignis est *Codex Traditionum* & chartarum opera Engelschalci Abbatis collectus. Sed de hoc alibi plura.

LXXIII. Atque hoc erat Monasterium, cujus perlustratione iter nostrum Bajoaricum obsignavimus. Namque inde secundo Æno Pataviam die decima septima Septembris remeantes, mox in Austriam contendimus, die decima nona *Lentiam*, vigesima prima ad *Pontem Isidis*, vulgò Ipsium, urbem patriam delati, ubi clarissimam & honestissimam matrem, quæ una parentum adhuc superest, salutavimus, ac tandem die vigesima secunda non sine amplissimis litterariis manubiis ad Mellicense Monasterium reversi sumus.

LXXIV. Ibi dum soli confidentes allatam in medium molem Commentariorum, in qua optima quæque, initia puta opusculorum, indicia de codicum ætate, veterum scripturarum specimina, & id genus alia innumera raptim memoriæ causâ conjeceramus, itinerum curis jam vacui retractamus, repente subiit animos dolor ingens, luctus, & ob tantos thesauros adeo malè à quibusdam habitos, brevique, ni diligentium Cœnobitarum studio succurratur, nullos indignatio. Quorsum, dicebamus, tanta majorum nostrorum in aggerendis veteribus monumentis sedulitas, si ea nunc tineis & blattis concedantur? Ideone duntaxat à priscis Cœnobitis tot

& tanta volumina exarata sunt, ut vel bibliopegis involucra librorum, vel Musicariis folles & gluten, vel bracteatoribus mensulas (hi enim truculentissimi bibliothecarum Pelopidæ sunt) pararent? Quanto cum fructu quantaque cum voluptate in iis è tenebris eruendis versarentur doctissimi in Gallia sodales nostri, si tanta iis cum facilitate utendi codices permitterentur, quanta cum incuria à quibusdam Germanis negliguntur? Quàm amplus contubernalibus nostris de Christiana, Litterariaque Republica benè merendi campus? Quàm opportuna beatos in cœlo sibi devinciendi occasio? Quanta bonas & vacuas horas sanctissimè laudabilissiméque traducendi facultas? Quàm insignis hic denique locus ingenium quidem egregiis doctrinis, animum autem sanctioribus sensibus imbuendi se aperiret? Et verò hæ cogitationes nos eò demum perpulêre, ut, etsi aliis curis occupatissimi teneremur, à nobis tamen impetrare non potuerimus, quin datis quaquaversus ad Reverendissimos Monasteriorum Antistites litteris obnixissimè singulos deprecaremur obtestaremurque, ut commodatis tantisper Codicibus suis præstantiora veterum Scriptorum opuscula insigni Ecclesiæ bono in lucem protrahi paterentur. Quos cùm annuentes omnes, si unum atque alterum in Austria morosiorem excipias, haberemus, deinceps etiam de consciscendis laborum sociis cogitandum fuit.

LXXV. Ac de contubernalibus quidem nostris non admodum laborandum erat, ut qui tum quotidianis declamationibus nostris, tum suopte, quo pulcherrimo præditi erant, ingenio incitati, in laboris, ab omnium gentium eruditis & prudentibus viris tantopere dilaudati, partem venire dudum cupiverant. Cum exteris, sine quorum operâ multa rectè confici non possent, asperior res fore videbatur. Sed evenit non ita post multum tempus quidpiam, quod incredibilem nostris conatibus facilitatem, progressum, commoditatémque conciliavit. Diverterat ad Monasterium nostrum Reverendissimus Dominus Prior & Prælatus Carthusiæ Gemnicensis Josephus, quo cum nobis multus de re litteraria (nam hujus cupidissimus est) de proferendisque veterum libris sermo fuit. Cumque Præsul optimus, & ad præclara in Monasteriis provehenda studia promptissimus cerneret, nos nihil ardentiùs quàm ejusmodi viros optare, qui in terendis antiquorum Codicum scripturis versati suam nobiscum operam conjungerent, benignissimè indulsit, nosque hortatus est, ut suæ Celeberrimæ Carthusiæ bibliothecarium P. Leopoldum Wydemannum scriptis litteris ad conferendam symbolam provocaremus. Quod mandatum vix exsecuti sumus, cùm res ipsa nos docuit, huncipsum Vener. Virum esse, quem singulari nutu DEus nostris juvandis laboribus destinâsset. Tanta enim P. Leopoldi in universo hoc Opere contentio fuit, hodieque est, ut non tam socius, quàm auctor Operis jure ac merito suo maximo dicendus sit. Natus is est Coloniæ Agrippinæ die sexta Januarii anno 1668. patre Joanne Wydemann Suevo Algovio, matre Maria Juliacensi. Litteris cùm aliquamdiu operam cum laude navâsset, Mundum pertæsus sanctiorisque vitæ avidus Ordinem Carthusianum amplexus est anno 1688. solemnibus votis anno sequenti apud Carthusiam Gemnicensem in Austria nuncupatis. Inde tempus omne à sacræ suæ Religionis & Obedientiæ muniis, quorum tenacissimus est, vacuum, meliorum & sanctiorum litterarum studio impendere nunquam desiit. Laboris patientissimus est, Criticæ perquam peritus, ac Austriacæ historiæ scientissimus. Manu perelegantí & prelo aptissima utitur. Quid multis? Eo ad nostrum studium accommodatior nobis obtingere non potuit.

LXXVI. Clarissimi Leopoldi Wydemanni exemplum plures in Austria Religiosi Viri secuti sunt, quorum nomina, cùm singulis Thesauri nostri Opusculis præfixa sint, hìc ordine recensere nil juvat. Nec ea æmulatio intra Austriæ Monasteria constitit, sed incessit etiam non paucos præstantes in Bavaria, Suevia, universaque Germania Cœnobitas nostros, qui omne à sacrorum pensis otium ad describendos veteres libros conferentes, multa insignia observatuque dignissima antiquorum Scriptorum monumenta nobis peramanter transmisêrunt. In his præter in Itinerario nostro Bavarico jam laudatos, eximii extitêre Clarissimi Patres nostri Engelbergenses in Helvetia, qui duce suo A. R. P. Priore Frowino, Viro eruditissimo, vastissimos *B. Frowini Abbatis Engelbergensis Libros VII. de laude liberi arbitrii* è veteri Codice

à se

à se erutos nobiscum communicârunt, Operis nostri Tomi Quinto inserendos. Admodum R. P. Apronianus Hueber Prior Monasterii *Mereraugiensis* seu *Augia Majoris* ad Lacum Bodamicum, Vir exquisitè doctus, & in protrahendis undecunque veterum libris indefessus. Admodum R. & Cl. D. P. Petrus Cœlestinus Lombardus, in Celeberrimo Monasterio S. Laurentii Leodiensis bibliothecarius diligentissimus, cui debemus egregia *opuscula Reinerii, Cœnobitæ Laurentiani,* Tomo Quarto publicanda. Sed ante hos omnes aliosque plurimos nominandi & celebrandi nobis erant duo Reverendissimi Domini Præsules, qui singulari quodam & extraordinario studio ac benignitate amplissima nostro Operi incrementa pepererunt. Prior est Reverendissimus & Perillustris Dominus Antonius, Abbas & Præsul Inclyti Monasterii *Admontensis* in Stiria, qui rigente etiam bruma, & Alpibus nive demersis, elegantissimos & vastissimos magno numero Codices MSS. ex amplissima bibliotheca sua ad nos pervehi jussit: ex quibus quantum Collectio hæc aucta fuerit, secuturi tomi demonstrabunt. Alter est Reverendissimus & Amplissimus Dominus Herculanus Præpositus & Antistes Reichersporgensis in Bavaria Ord. Can. Reg. S Aug. qui ad unam epistolam octo volumina majoris formæ, quibus plurima Magni *Gerhohi Opera*, hucusque inedita, concludebantur, benignissime nobis misit, & cum commodo nostro exscribenda concessit. His si plures procedente tempore fautores nostri accesserint, ausim sanè de plano promittere, brevi fore, ut elatis infinitis in lucem veteribus monumentis Germania omnis colluceat. Interim quæ hactenus scripsimus, eò duntaxat spectant, ut palam omnibus eruditis sit, quæ hanc Collectionem adornandi occasio extiterit, quæ litteraria itinera suscepta, & quorum opera & studio res creverit, id quod in prima hujus Dissertationis parte nos exsecuturos polliciti sumus. Nunc de *ordine*, quo quæque in hoc Thesauro monumenta disposita sunt, deque habito *delectu* prucis disseramus.

LXXVII Itaque ad ordinem & dispositionem monumentorum quod attinet, id ferè servatum est, quoad ejus licuit (Nam ubique hoc institutum nostrum teneri non potuit tum ob monumentorum ipsorum, quæ ab eodem auctore protecta sunt, inter se nexum, &, si laxiùs longiusque spargerentur, incommodum: tum ob diversitatem temporum, quibus à laborum sociis hæc & illa monumenta è MSS. Codicibus eruta & finita sunt. Neque enim omnes necessarios codices, ex longissimè nonnunquam dissitis locis congregandos, uno eodemque tempore ad manum habuimus, nec omnes simul libri à sociis, multiplicibus aliarum rerum curis intentis in chartas transferri preloque aptari potuêre) Id, inquam ferè servatum est, ut unumquemque Tomum in tres partes tribueremus, quarum *Prima* ejusmodi Scriptores & monumenta complecteretur, à quibus Divinæ auctoritatis libris non nihil lucis & explicationis accederet, sive dein integri quidam sacri libri continua serie explanarentur, sive lectiora quædam capita nataque ex singularibus locis controversiæ dilucidarentur. *Secunda* Pars exhiberet veterum Theologum, Patrum, Philosophorum & Ascetarum scripta, interspersis aliis, si quæ occurrissent, monumentis, quibus veteres Ecclesiarum & Cœtuum ritus, cœremoniæ consuetudinesque continentur. *Tertia* & ultima pars Chronica, Codices Diplomaticos, Monasteriorum Historias, Sanctorum Vitas, Itineraria & id genus alia Historica monumenta comprehenderet.

LXXVIII. Præterea in *prima* cujusque Tomi parte operam dedimus, ut Divinarum Litterarum enarratores secundùm ipsorum Divinorum librorum ordinem se consequerentur, præmissis iis, qui veteris instrumenti libros explicârunt, iisque subjunctis, qui certos novi fœderis libros interpretati sunt. Quibus omnibus unum aliquem Scriptorem veterem, qui de hoc universim argumento quidpiam commentatus est, introductionis loco præfiximus, si quidem haberi potuit. Atque hoc nomine Primam primi Tomi partem à *Notkeri Balbuli libello de Divinarum Scripturarum Interpretibus*, secundi verò ab *opusculo Alcuini de mystico sacrorum quorundam numerorum significatu & comparatione* auspicati sumus. In *secunda* cujuslibet tomi parte Theologi secundùm ætatem, qua quique floruerunt, collocati sunt, nisi fortè ob argumenti similitudinem visum fuisset tempore posteriorem priori mox subjungere, quod ab erudito Lectore, cujus commodo hac intercalatione prospectum est, haud improban-

dum speramus. Eodem modo uniuscujusque tomi partem *tertiam* pertexuimus, ut videlicet vetustissimum quodque monumentum sequiorum temporum scripta præcederet, habita persæpe ratione ætatis non tam auctorum, quàm rerum, de quibus agunt. Tametsi, ùt jam diximus, nec in hac nec in anterioribus partibus hæc ita semper custodita lex fuerit, ut nunquam ab ea desciverimus. Universim id experientia didicimus, nihil difficilius esse, quàm constantem æquabilemque in collocandis tam diversorum argumentorum ac temporum opusculis ordinem conservare, præsertim ubi tota monumentorum collectio sub editionis tempus præsto non est, longiorque in premendo Opere mora periculo non vacat, ne monumenta infinitis laboribus conquisita simul omnia æternùm suppressa pereant, quod fatorum atrocitas nobis non semel, ùt amici nôrunt, comminata est.

LXXIX. Porro *delectum* monumentorum, quæ in singulis voluminibus prostare jussimus, quàm curatissimum instituisse quibusdam visi sumus. Verùm probandusne is ab omnibus perinde sit necne, divinare non licet. Non unum est omnium palatum, nec eadem de una re sententia. Sunt, qui nulla nisi primorum seculorum scripta in hunc nostrum censum admitti vellent, *libros*, ùt scitè Hieronymus, ait, *ceu vina probantes*. Sunt, qui Carolini ævi pietate ac gravitate unicè delectentur. Nec desunt, qui seculi duodecimi lepore & acumine mirificè capiantur. Quidam toti sunt in Historia Litteraria, quidam in Herminevticis, alii in Theologicis, alii in Philosophicis, alii in rebus Conciliaribus, alii in Asceticis, in aliis alii. Quidam nec oculo nec scrinio dignantur libros qui Plautina & Tulliana elegantia non vernent. Quidam omnia mediæ ætatis monumenta universim abjiciunt, in rebus sui temporis unicè defixi. Est & aliud genus hominum maximè morosum & delicatum, quod syllogismis adeo delitiatur, ut omnes procul libros à se mox rejiciat, quos ejusmodi flosculis non totos perspersos viderit. Cui quidem generi hoc nostro Opere omnium pessimè satisfaciemus. Nam etsi ne Scholasticæ quidem hæ gemmulæ ac dulcitudines à nostro Thesauro absint, quia tamen dodrantem recusat & assem poscit, cuperetque omnes telas nostras & paginas acu Aristotelea perpictas esse, ejus in nostrum Opus stomachum provocemus necesse est. Sed his suo ingenio relictis ad solida eruditione ac doctrina præditos viros, quorum commodis hæc nostra unicè dicata sunt, redeamus. Quibus promittere ac affirmare non veremur, eos nihil in hac Collectione offensuros, quod insigni cuidam usui esse non possit. Non sunt, fatemur, omnia ejusdem commatis & præstantiæ; neque tamen ideo spernenda & mox ad scombros damnanda. Si non nisi lectissima & præstantissima veterum monumentorum in hanc civitatem admittenda sint, Respublica nostra infinita brevì detrimenta accipiet. Unus unicus insignior subinde locus libro conciliat pretium & meritum, ut in publicum editus conservetur, præterquam quòd in tanta hominum, rerum, & argumentorum varietate à nemine satis definiri possit, quid omnibus utile aut inutile necessariumve sit. Nobis sat fuerit, id operam dedisse, ut quàm plurimis prodessemus. Quo fine omnium ferè disciplinarum & temporum libros in nostram Collectionem intulimus, adeo ut eâ integra in lucem productâ (sex enim minimùm edendi nobis tomi restant) vix gens ulla vel disciplina futura sit, cui ex nostris laboribus amplius lumen accedere non possit. Sed quoniam hic omnis locus arbitrarius, omneque de his rebus judicium eruditis Lectoribus integrum reliquendum est, ad primam Dissertationis nostræ partem verbum non addemus, sed potiùs Viros doctos ac eruditos rogabimus, ut admissa in Opere errata pro sua benignitate nobis condonent. Meminerint isthæc studia in his locis nequaquam perfecta, sed velùti lactentia adhuc esse, quæ quemadmodum cavillorum & convitiorum grandine facilè suffocantur, ita Magnorum virorum æquitate, favore ac studio ad eam cum bono DEO maturitatem perduci possunt, ut amplioribus quotidie pulchrioribus fœtibus non solùm Ecclesiam sed etiam Rempublicam impleant. Jam ad singula hujus tomi monumenta præsemur, quod nos in altera hujus Dissertationis parte acturos recepimus.

DISSER-

DISSERTATIONIS
ISAGOGICÆ
PARS ALTERA,
Quæ Observationes prævias in singula Tomi Primi monumenta complectitur.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ IN PRIMAM PARTEM.

I.

DE rebus B. Notkeri, cognomento Balbuli, Cœnobitæ Sanct-Gallensis sanctissimi, qui anno Domini DCCCCXII. è vivis excessit, post Ekkehardum, Trithemium, Jodocum Mezlerum, Bollandianos, aliosque recentiores bibliothecarios & biographos nemo Johanne Mabillonio in Actis SS. Ord. S. Bened. Sæc. V. cumulatiùs diligentiusque tractavit. Ibidem vir doctissimus de Notkeri Scriptis ita egisse videbatur, ut nihil addi posset. Ast diversarum bibliothecarum perscrutatio nobis quædam aperuit, quæ Notkerianæ doctrinæ famam apud viros eruditos non parum augebunt. Ex his primò est ejus *Liber de Interpretibus Divinarum Scripturarum*, quem etsi nec Honorius Augustod. *Lib. 4. de Luminar. Eccle. c. 9.* nec Sigebertus Gemblac. *de Script. Eccle. c. 108.* nec Anonymus Mellicensis *Lib. de Script. Eccl. c. 65.* ubi omnes de Notkero agunt, commemorent, genuinum tamen Notkeri fœtum esse vel ex Trithemio *Lib. de Script. Eccle. c. 279.* constat, qui cùm Opusculi principium exscripserit, id sine dubio ad manum habuit, suisque oculis inspexit. Nec Trithemium falsum esse probant duo insignes in Austria Codices, quorum unus sexcentorum annorum in Bibliotheca Zwetlensi, alter quingentorum annorum in Bibliotheca Claustroneoburgensi adservatur. Idem libellus olim extitit etiam in bibliotheca Sanct-Crucensi, ùt ex Catalogo librorum hujus Monasterii ante quadringentos annos confecto perspicuum est. Nos eum damus ex Codice Zwetlensi, unde A. R. P. Bertrandi, aliàs nobis laudati, beneficio accepimus. Inscriptio ibi hæc est: *Notatio Notkeri de illustribus viris, qui ex intentione Sacras Scripturas exponebant, aut ex occasione quasdam sententias Divinæ auctoritatis explanabant, scripta ad Salomonem discipulum suum.* In Codice autem Claustroneoburg. *Notatio Notkeri Cœnobitæ S. Galli de illustribus viris* &c. Dicavit Notkerus opusculum suum *Salomoni, discipulo suo*, postea Constantiensi Episcopo, quem adhuc Canonicum intra S. Galli claustrum, non nisi *voto Monachi facto & cappa Monastica* tantisper ornatum admitti solitum fuisse auctor est Eckehardus Junior de Casibus S. Galli cap. 1. Porro tempus scriptionis suæ ipse Notkerus innuere videtur cap. 5. ubi Salomoni *mox DEI gratia futuro Sacerdoti*, id est: Episcopo, tanquam *maximè necessarios* Isidori Hispalensis libros commendat. Atqui teste Mezlero lib. I. de Vir. Illustr. S. Galli sedit Salomon Constantiæ Episcopus ab anno DCCCXCI. ad DCCCCXIX. Igitur circa Domini annum DCCCXC. hunc libellum à Notkero fuisse conditum perquam simile vero est. In eo totus est Auctor, ut Salomoni optimos quosque in omni litteraturæ genere libros, percipuè in quibus Divinæ Scripturæ accuratiùs explanantur, indicet & commonstret, id quod non sine Critico interdum sale nec sine multa festivitate exsequitur.

B. NOTKERI BALB. LIBER DE INTERPRET. DIVIN. SCRIPTUR. col. I.

II. Alter

NOTKERI LIBER SEQUENTIARUM col. 15. II. Alter Notkeri libellus est *Sequentiarum*, nondum hucusque typis excusus, quem omnes, quotquot Notkeri nomen celebrârunt, suo auctori tribuunt. Trithemius *de Script. Eccl. c. 279. legi*, inquit, *volumen*, [Notkeri] *quod Sequentiarum praenotavit, quod scripserat, cùm adhuc Monachus esset in Cœnobio S. Galli ad Luitardum Ep. Vercellensem & Archicapellanum Caroli Imp. Magni. Hujus autem operis sic incipit Prologus sive Præfatio: summo sanctitatis meri.* &c. Tum subdit: *hujus doctissimi viri Sequentiarium Nicolaus Papa I. approbavit, & ad Missas decantari praecepit.* Hunc libellum ex Inclyti Monasterii Emmerammensis Ratisbonæ Codice, pereleganti seculi duodecimi manu exarato, in lucem extulimus. Quocirca duo duntaxat eruditum Lectorem monemus. Primum est, Notkeri Præfationem seu Epistolam nuncupatoriam sine salutatione ad *Liutwardum Episcopum Vercellensem* hic à nobis recusam esse, non quòd nesciremus, eam jam à Mabillonio Sæc. V. Benedictino ex MS. Cod. Cluniacensi suppletam fuisse, sed quòd religioni nobis duceremus, vel tantillum à fide Codicis Emmerammensis, à quo ea salutatio aberat, recedere. Alterum, idque majoris momenti est, quòd ex Codicis Cluniacensis specimine, à Mabillonio exhibito, colligi posse videtur, Notkerianas *Sequentias* eo comprehensas, à nostris in hoc volumine prolatis vehementer differre. Mabillonii verba sunt pag. 19. *post superiorem epistolam* (Notkeri ad Liutwardum) *sequuntur Hymni sub hoc titulo*: incipit Liber hymnorum Notkeri Balbuli Cœnobiolæ * S. Galli. Nempe in Natale Domini: *dies sanctificatus*: de S. Columbano: *à solis occasu*: & de S. Gallo: *Christe Sanctis unica spes.* Ast in Codice Emmerammensi optimæ notæ ad Natale Domini & festum S Galli longè aliter cantat Notkerus. Ut adeo suspicari fas sit, horum duorum Codicum alterum altero locupletiorem esse, id quod non nisi ex mutua utriusque collatione definiri potest. Præterea ex *Notkeri versibus*, ab Henrico Canisio *Tom. V. Antiq. Lect. pag. 758.* relatis, manifestum fit, *Sequentias* in duas partes ab Auctore distributas fuisse, cujus tamen partitionis nullum in Emmerammensi Codice vestigium apparet, nisi velimus dicere, alteram illarum partem meris *Versibus & Gradualibus*, Musicis modis veterum more insignitis & attemperatis, constitisse, cujusmodi opus in codice Ratisbonensi nostrum *Sequentiarum libellum* mox consequebatur, nullo tamen auctoris nomine præfixo. Certe de his *Versibus & Gradualibus* accipi potest Honorius August *Lib. 4. c. 9.* qui Notkerum *Sequentias & Tropicos Versus composuisse* affirmat. Verùm quocunque demum se modo ista habeant, neminem futurum esse putamus, qui hunc, quem edimus, *Sequentiarum* librum, gravitate ac pietate plenum, ausit Notkero abjudicare.

* f. Cœnobitæ.

III. Vidimus etiam in bibliotheca Tegernseensi fragmentum quoddam *de collectione & compositione fractorum numerorum* sub Notkeri nomine manu duodecimi seculi descriptum, quod hujusmodi est: *Nobtgerius de super particulari. Nota, quia dixit: adjuvabit, hinc scilicet roboratus, alio non prorsus dissimili precepto poteris insuper particulari quoque specie ex sesquiquarto in sesquitertium summam redigere* &c. Quæ fidem faciant, etiam in Arithmeticis aliquid à Notkero tentatum fuisse. Sed de Notkeri Opusculis satis.

ANGELOMUS IN GENESIM col. 43 IV. Eorum, qui Divinas scripturas seculo nono cum laude interpretati sunt, nequaquam postremus fuit Angelomus, non *Coloniensis*, ùt perperam scribit Andreas Schottus S J. *in Catal. Catholicorum S. Scripturæ interpretum cap. 26.* nec *Lexoviensis*, ùt habet Nesselius *in Sciagraphia Magni Corp. Histor.* sed *Luxoviensis* in Burgundia Monachus & Diaconus. Is in pertractandis Divinis his litteris Magistro usus est *Mellino* seu *Mellilico*, viro undequaque doctissimo, quod ipse in Præfatione ad Commentarium suum in Genesim testatur, non Rabano Mauro, quæ Joannis Mabillonii sententia est in *Annalibus Benedict. ad annum 833.* ubi Angelomi, quatuor libros Regum & Cantica Canticorum *secundum Magistri sui traditionem exponere* se affirmantis verba *haud dubiè de Rabano* accipienda esse decernit. Verùm Angelomo in his locis non Rabanum sed Mellinum in mentem venisse, laudatam in Genesim Præfationem legenti perspicuum est. Primum opus, quod Angelomus in vetus Testamentum condidit, est hic ipse *Commentarius in Genesim*, atque adeo ante annum DCCCXXX. conscriptus, quo eum commentationes in *Libros Regum* ad Ludovicum Imp. composuisse vero est similius. Idque satis patet ex citata Præfatione in Genesim, ubi disertè scribit,

se,

se, *postquam gazophylacia ac thesauros quatuor Evangeliorum, quæ omnibus Divinarum Scripturarum paginis sua meritò auctoritate præcellant, subtili indagatione in quantum potuit, rimatus est, Magistro videlicet Mellino Sacerdote, viro eruditissimo, sermone lampabili ac toto Catholico, tandem ad abyssos veteris testamenti, quanquam pavidum, ovantem appulisse, atque alta pelagi reumaque gurgitum Divina historia suam carinam immersisse.* Quæ verba, si cum mox consequentibus conjungantur, vix vera esse possunt, si Angelomus jam ante scriptum in Genesim Commentarium amplissimos libros Regum interpretatus fuit. Porro insigne hoc opus, quo ex Hieronymo, Augustino, Isidoro, aliisque Patribus pro more illorum temporum sacer Geneseos textus nervose ac breviter exponitur, ex duobus MSS. Codd. eruimus, Petrensi scilicet octingentorum annorum, & Zwetlensi annorum circiter quingentorum. Posterior sub finem quidem mutilus est, sed propterea notatu dignus, quòd illico post Angelomi Commentarium in Genesim sub ejusdem Angelomi seu, ut Codex habet, *Angeloni Levita* nomine *Libros III. in Libros Regum*, Eucherio Lugdunensi falsè adscriptos exhibeat, quod an rectè Zwetlensis librarius notaverit, alibi discutiemus. Extat & tertius editi à nobis Commentarii Codex MS. in Cæsarea bibliotheca Vindobon. ùt Nesselius V. C. loc. cit. indicium facit, qui tamem cujusmodi sit, à nobis divinari non potest.

V. Candidus in Britannia primùm, deinde in Francia pluribus annis Alcuini auditor extitit, cui ob perspectam fidem & morum gravitatem adeò clarus fuit, ut eum secretioribus etiam nuntiis ad Carolum M. perferendis sæpius adhiberet. Ipse Alcuinus *Epist. 23.* Carolo inscripta, *Candidum*, inquit, *nostrum vestra obviam Sanctissime dilectioni dirigere studui habens in manu munuscula gratia senioris, certus clientelli, & in ore necessarias Magistri voluntates, quem benignitas vestra, ut clementer audiat, rogo.* Eandem in fide Candidi fiduciam reponit *Epist. 24.* & in Opusculo, *quid sit æternum & sempiternum &c. de quorum proprietate ac distinctione* urgente ac perferente Candido Alcuinus ea commentatiuncula Carolo Regi respondit. Inde cùm Candidus splendidiori Sacerdotio augeretur, ei & Oniæ ac Nathanaëli Diacono Alcuinus Commentaria sua in Ecclesiastem inscripsit, optans eos, *postquam de paterna pietatis nido in publicas secularium negotiorum curas evolassent Divina donante gratia, in charitate perfecta sanctarum titulis virtutum, honestisque vivere moribus, & quod didicissent sub alis paterna eruditionis, nobilibus moribus ostendere. Nec velim*, inquit, *sapientia decus, quod habetis in corde, seculi obscurari vanitatibus, inter quas religio vestra conservationis fulgeat quasi claritas lucis in tenebris. Mementote vos aliena dispensare, non propria possidere.* Quæ Magistri Optimi præcepta quàm altè Candidi animo insederint, vel una posterior pars *Epistola de Visione Christi* demonstrat, in qua eadem *fratribus suis* inculcat, quæ à Magistro didicerat. Atque hæc de Candido nobis ex Epistolis & Opusculis Alcuini constant. Ex epilogo mox laudatæ epistolæ Candidi fortè quis suspicetur, eum tandem postpositis dignitatibus vitam Monachi delegisse, ut qui se *charitati omnium Patrum ùt filius: fratrum ùt frater: filiorum ùt pater commendet*, & tempus futurum speret, *quando frater cum fratre loquetur.* Sed hoc ùti & alia ejus omnia incerta sunt. Duo hic luculenta Candidi opuscula primi luce donamus ex Codicibus Emmerammensibus octingentorum annorum. Primum est *Expositio Historia Passionis D. N. I. C. secundùm quatuor Evangelicos Scriptores*, in qua Candidus id præprimis agit, ut patientis pro humano genere DEI-Hominis gesta & dicta fidelibus tanquam exemplar & amussim, ad quam mores suos exigant, proponat, id quod breviter, perspicuè nec ineleganter præstat. Id ex optimæ notæ membraneo volumine R. P. Casparus Altlehner, sodalis noster diligentissimus & de Thesauro nostro meritissimus exscripsit. CANDIDI PRESB. EXPOSITIO PASSION. D. N. I. C. col. 240

VI. Alterum Candidi Opusculum, quod Mabillonium, qui prius in Itinere Germanico indicavit, fortè fugit, epistolare est, duabus partibus constans. Priori respondet ad Quæstionem: *num Christus Dominus noster, in quantum homo fuit, cùm hic mortalis inter mortales viveret, DEum videre potuerit? seu utrum corporeis ejus oculis Pater videretur?* Candidus id fieri potuisse hac ratione negat, *quod Christus DEum nec aliter voluit videre, nisi sicut videri potest: nec aliud vult aut voluit, nisi quod potuit: nec aliquid potest, nisi quod vult: quia voluntas*, inquit § III. *& potestas DEI ipsa DEus sunt, non aliud aliquid. Ideoque Christus seipso, quo spiritus est, & ipso spiritu, quem implevit, hominem assu-* CANDIDI PRESB. EPIST. DE VISIONE CHRISTI &c. col. 308.

mens, seipso & ipso spiritu, quem implevit, DEum vidit. Corporalibus autem oculis eum cernere, qui summus spiritus est, ideo noluit, quia non potuit; & ideo non potuit, quia noluit. Vult enim omnia, quæ potest; & potest omnia, quæ vult. Altera epistolæ parte fratrem suum cum commilitonibus ad charitatem & virtutum studia cohortatur: *quia magna*, inquit, §. VIII. *æstimationis apud homines sunt, curent esse in conspectu DEI, quod dicuntur. Dicuntur namque servi DEI, & quid servi DEI opus sit, non dubitant; videlicet ut serviat Domino suo servus. Nam servi estis DEI, non autem seculi hujus, nec mammonæ* &c. ex quibus discimus Monachos fuisse, ad quos hanc epistolam Candidus dedit.

GLOSSARIUM THEODISCUM IN SACRA BIBLIA. col. 317. VII. Erunt sine dubio è vulgo nostro non pauci, qui res ab usu quotidiano tantopere remotas nauci habeant, rideantque adeò obscuram, ùt illi equidem ajunt, in conservandis his priscæ linguæ nostræ ruderibus diligentiam. At, ni vehementer fallimur, longè alia mens iis erit, quibus sanum sinciput. Sanè, ut è plurimis paucos percenseamus, Goldastus, Lambecius, Ickesius, & qui nostra in Germania ætate omnes hac laude longissimè anteit, V. C. Georgius Eccardus Serenissimo Britanniarum Regi à Consiliis & bibliotheca, minutiora etiam Theodiscæ nostræ linguæ fragmenta tanti fecêre, ut suis ea eruditissimis Commentariis inserere, ac amplioribus animadversionibus illustrare nentiquam gravarentur. Quid viri hi doctissimi de tam vasta Theodiscorum vocabulorum sylva, quantam in hoc volumen congessimus, sensissent, sentientque? Nempe gratulabuntur sibi de adeo amplis adminiculis, sine quibus genuini Heroicæ linguæ nostræ fontes, in quibus detegendis hodie tantum desudatur, recludi nequeunt. Cæterùm qui de Lingua Theodisca, seu antiqua Germanica, qualis à Caroli Magni ævo usque ad seculum XIII, in Germania & Francia potissimùm obtinuit, & quam ipse Carolus M. Grammatica illustrare dedignatus non est, plura nosse desiderat, citatos Auctores, præcipuè Lambecium Cæs. Bibliothecæ Vindobon. Lib. II. c. 5. & Georgii Eccardi *Historiam Studii Etymologici, linguæ Germanicæ impensi, ejusdemque monumenta Catechetica Theodisca* Hanoveræ anno 1713. 8. excusa consulat. Nobis nunc de singulis monumentis Theodiscis, quæ in hoc volumine primùm edimus, accurata ratio reddenda est. Quo facto de aliis nonnullis ejusdem generis monumentis, in diversis bibliothecis à nobis deprehensis, quædam addemus, quæ viris eruditis non ingrata fore speramus. *Glossario Theodisco in Biblia*, quod ex Celebris Monasterii Monseensis seu Lunælacensis Codice octingentorum annorum in 4. extulimus, ordiemur. Hujus Glossarii, qui auctor extiterit, ex ipso Codice nobis liquere non potuit. Primùm suspicabamur id idem esse, atque tot laudibus passim elatum *Rabani Mauri Glossarium Latino-Theodiscum in tota Biblia sacra veteris & novi Testamenti*, quod ex Arce Ambrasiana in Cæsaream Bibliothecam Vindobonensem eruditissimus Lambecius intulit. Verùm collatis postea utriusque operis initiis Glossarium nostrum à Rabaniano diversum esse nullo negotio perspeximus. At enim num nostrum Opus à Rabani laboribus tantùm abeat, ut illud horum epitome dici nequeat, res inventu difficilior & fortè minutior quæstio fuerit. Sanè titulus nostri Glossarii: *incipiunt Glossæ super vetus & novum Testamentum breviter excerptæ, singulariter de difficillimis verbis*, aperte clamat & provocat ad aliud Opus diffusius & amplius, Rabani fortè, unde hæ Glossæ *de difficillimis verbis breviter* à Monseensi Cœnobita *excerptæ* fuerint. Sed præstat rem integram iis servare, quibus evolvendi & conferendi Glossarii Rabaniani copia obtigerit. Nostrum interea Glossarium viris doctis usu & voluptati esse non desinet.

MISCELLANEA THEODISCA. col. 373. VIII. Glossarium Theodiscum in Biblia excipiunt *Miscellanea Theodisca*, quorum primam partem ex eodem eademque manu exarato Codice, quo præcedens Glossarium continebatur, exprompsimus. Quæ cùm eandem Theodiscæ linguæ dialectum præferat, ab uno eodemque haud dubiè auctore profecta est. Exhibet ea Glossas Theodiscas in diversorum Conciliorum *Canones, Decreta Rom. Pontificum, quædam Gregorii M. Opera, Lectionaria, Vitas Patrum & Phocam Grammaticum*. Secunda Miscellaneorum pars complectitur alterius Anonymi Theodiscas Glossas *in Canones Apostolorum, & Conciliorum, Passiones Sanctorum, & Hieronymum super Matthæum, vocabula itidem arborum, olerum & bestiarum*, quæ omnia ex Codice Emmerammensi, qui seculo undecimo recentior esse non potest, extraximus. Tum sequitur *Carmen Rhythmicum Theodiscum in laudem S. Mariæ* semper Virginis auctore Anonymo, fortè Monacho Mellicensi,

quod

quod primum vetusti Chronici Mellicensis, nuper à fratre editi, folium occupans, litterarum notis innuit, id seculo saltem duodecimo concinnatum esse: quo scilicet tempore lingua Theodisca molliri, sensimque in hanc, qua nunc utimur, degenerare cœpit, majestate, quæ in veteri Theodisca relucet, sonorum & compositionum lenitate compensata. Denique agmen claudunt *Theodisca diversarum Provinciarum & urbium nomina*, in Codice Carolini ævi conservata, unde ea in inclyto Monasterio Wessofontano agentes, ùt erant rudissimè consignata, mutuati sumus & *Oratio Theodisca cum paraphrasi Latina Otloni Monachi Emmerammensis*, de quo in Præfatione ad Tomi III. part. II. plolixè disputabimus. Cæterùm & alia monumenta Theodisca in diversis bibliothecis, editu dignissima, vidimus, quæ velut intento digito viris eruditis commonstrâsse sat fuerit. In Imperiali Cœnobio S. Vdalrici & Afræ conspeximus insignem & oblongum in 8. Codicem octingentorum annorum, in quo *Glossarium Latino Theodiscum in Biblia Sacra* tam à nostro edito quàm à Rabaniano distinctum inest. Id ponè nostrum Glossarium Monseense lubentes edidissemus: sed Codex à nobis petitus loci bibliothecario non statim in oculos incurrit. In Monasterio Tegernseensi extat Codex membraneus in 12. signatus numero 1015. *Glossas Theodiscas in veterum Conciliorum Canones* complectens, qui videtur minimùm nongentorum annorum esse. Alius est ejusdem Monasterii Codex mille annorum in folio, quo cura Pastoralis S. Gregorii Magni continetur cum *Glossis Theodiscis*, extrema duo folia opplentibus. Ejusdem modi *Glossas Theodiscas* in idem Gregorii opus nos in bibliotheca Florianensi conspexisse recordamur. Codex is octingentorum annorum ætatem referebat. Monasterium Emmerammense præter ea, quæ hìc edita ex alio ejus Codice habes, etiam possidet volumen membraneum in 4. sexcentorum annorum, *Glossulis Theodiscis interlinealibus*, ùt vocant, passim respersum, ut minutiora plura taceamus.

ENGELBERTI AB ADMONT. EPISTOLA DE STUDIIS ET SCRIPTIS SUIS col. 428.

IX. Engelberti Abbatis meminerunt ferè omnes recentiores Scriptores, quotquot de Auctoribus Eccles. egerunt, quibus addendus Vossius de Historicis Lat. Wion de Ligno vitæ, & Bucellinus in Annalibus Bened. Verùm hi omnes jejunè admodum & parce tanti viri laudes exposuerunt. Itaque operæ pretium nos facturos arbitramur, si non nihil uberius de vita & scriptis ejus hoc loco disseruerimus. Igitur Engelbertus circa annum Domini MCCL. ortus est ex nobili familia de Volckerstorff, ùt Bucellinus Germ Sac. part. 2. scribit, tametsi Amandus Pachler Abbas Petrensis, Scriptor accuratus in Chronico Admontensi MS. eum *nobili genere natum* satis dixisse habuerit. Adolescens seculo renuntians Monasticen in amplissimo Monasterio Admontensi in Stiria profiteri cœpit circa annum MCCLXVII. à quo tempore studia pietatis & litterarum colere non destitit. Anno Domini MCCLXXI. ùt ipse in Epistola de studiis & scriptis suis narrat, *transtulit se ad studium versus Pragam ubi*, inquit, *per illud tempus sub Magistro Oscono & Magistro Bohemilo in castro Bragensi regentibus Grammaticam & Logicam studui & profeci in tantum, quòd inter socios non fui minimus reputatus. Et ibidem tunc etiam primò audivi libros Naturales à Magistro Gregorio tunc Canonico & Scholastico Bragensi, postmodum Episcopo facto ibidem. Et cùm celebrato Concilio prædicto* (Lugdunensi) *rumor publicus venisset Bragam de Rege Rudolpho electo & per Apostolicum confirmato, statim oportebat nos omnes scholares de Austria & Stiria Bragæ studentes de terra recedere & exire.* Admontium reversus Engelbertus *occasione se offerente per adventum tunc electi Regis Rudolphi in Austriam, composuit ad instantiam Domini Johannis tunc Chiemensis Episcopi, Cancellarii ipsius Regis Rudolphi primum suum Opusculum de electione ipsius Regis Rudolphi. quod incipit:* Sclavica, qui tumidi confregit cornua sceptri. Jamque de prælio & victoria ipsius Regis contra regem Bohemiæ Ottakarum secundam Opusculi sui partem inceperat, cùm itinere Paduano ab ea perficienda impeditus fuit. Porro *Paduam veniens*, pergit Engelbertus, *continuavi studium ibidem in Logica & Philosophia quinque annis sub Magistro Wilhelmo de Brixia tunc acto ad salarium legente ibidem, viro magnæ reputationis, postmodum facto Parisius Canonico per Dominum Bonifacium Papam, & Medico etiam effecto ipsius Domini Papæ. Deinde post quinquennium audivi Theologiam Paduæ in domo Prædicatorum sub Magistris Lectoribus. Tunc ibidem in eodem studio continuò quatuor annos mansi. Et deinde ad claustrum meum rediens in Admundam totum meum studium posui ad Originalia inquirenda & perlegenda* &c. Hæc de se ipse Engelbertus in lau-

data epistola, ubi etiam, qua in studiis methodo usus fuerit, breviter exponit. Ita dum domi versatur, anno Domini MCCXCVII. Henrico Abbate vita functo, unanimi fratrum suffragio ad Abbatialem dignitatem evehitur, in quatamen cùm à studiorum cultu avelli non posset, quorundam imperitia & calumnia in maximum discrimen incidit & dignitatis & existimationis suæ. Rem memoria dignam verbis Chronographi Leobiensis Lib. V. c. 4. ex primo Tomo Scriptorum Rerum Austriacarum dabimus. *Fridericus* [Dux Austriæ Rexque Rom.] *exercitum congregans, Ungaros & Comanos advocans, finem necessitati volens imponere & cum Ludwico per prælium negotium expedire. Et mittit ad Enrichonem de Alzeya, ad Hainricum Ducem Karinthiæ, movens, quatenus sibi, sicut promiserat, subveniat & assistat. Fecit autem transitum per Monasterium Admontense, cui Abbas Engelbertus vir magnæ Litteraturæ, est latus locutus, quòd Regi Friderico expeditio non esset utilis, & in prosperum nullatenus proveniret. Hic vir acuti ingenii de Regimine Principum ad juvenes Duces scripsit, ac inter alia de Daniele & Apocalypsi sumpta materia de Antichristo superlucidè disputavit. Hic à duobus suis Monachis, quodam laico Camerario agente ad Dominum Salzburgensem defertur, & quòd esset in Monasterii causis inutilis, accusatur. Quadam nocte præfatus laicus vidit se stantem in littore stagni juxta Monasterium positi cum duobus Monachis supradictis, & beatum Blasium, qui ibidem Patronus est, concito remigio undas persulcando venientem, duosque ipsos Monachos sublatos & laicum tractum ad alta stagni per colles horribiles spumantis pariter evectos, in profundum indignanti animo demersisse, exprobrantem eis, mendacium & perfidiam contra suum ministrum & fidum pastorem Ecclesiæ fabricâsse. Camerarius mane facto plenus timore mortis, tremens Abbatis pedibus provolutus, petens gratiam, cuncta, quæ viderat, patefecit. Vade, inquit, dispone domui tuæ, quia morieris, & Monachi una tecum: quia beatus Blasius vestrum facinus & meam injuriam disponit sic ulcisci. Quod factum est brevi temporis intervallo* &c. Fuit hoc haud dubiè illud tempus Engelberti, quod ipse in fine insignis Libri sui *de Providentia DEI* his verbis innuit: *Istum Tractatum in quodam tempore cujusdam magnæ tribulationis & afflictionis meæ composui ad hoc, ut in DEO spe posita, cujus bonitatis providentia bonis facit omnia cooperari in bonum, flagella ipsius discerem cum patientia tolerare, memorans illud verbum Apostoli 1 Cor. 10. quòd fidelis est DEus, qui non patitur nos tentari ultra id, quòd possumus, sed faciet cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.* Ita cœlitus vindicatus Engelbertus multò deinceps liberiùs ac vehementiùs studiis institit, frequenter se in vallem Janspacensem, mira quadam rupium scena & silentio ac solitudine dulcem abdens, ubi Eremitæ more suavissimam & Divinis contemplationibus ac litteris excultissimam vitam trahebat. Non dissimulandæ hic sunt ineptiæ Joachimi Cluteni Megalopolitani, qui in præfatione ad Librum Engelberti *de Ortu & fine Romani Imperii*, quem is anno 1610. Offenbachii ex officina Conradii Nebenii in 8. prodire jussit, Engelbertum *Oceanica Monasticarum ceremoniarum multitudinis pertæsum rarò in Admontensi Monasterio, sed plerumque in Janspacensi pago ad S. Ægidium duobus à Monasterio milliaribus habitare ac ibi philosophari solitum fuisse nugatur.* Non Monasticarum cœremoniarum tœdio, sed Divinarum rerum & sacratiorum litterarum amore in illum locum, in quo etiam templum Divo Ægidio sacrum ipse teste Pachlero Chron. Admont. lib. 2. c. 2. §. 1. construxit, se contulit Engelbertus, ubi tandem decrepitus senex post triginta quatuor annorum regimen ad præmia laborum à DEO vocatur, anno MCCCXXXI. feliciter obiit die XII. Maji, sepultus in Oratorio Beatissimæ DEI Genitricis Mariæ, cujus eximius in vita cultor & laudator extitit. Fuit is, dum per vitam liceret, magnis Principibus charus, summoque apud viros doctos loco. Conjunctiorem habuisse videtur Mag. Vlricum de Wienna, cui etiam *Epistolam de Studiis & scriptis suis* inscripsit. Porro hujus Vlrici quædam Opuscula, hactenus ignota, Zwetlæ ac Monachii in bibliotheca Electorali reperimus. Ibid. extat Vlrici *Commentarius in minorem Priscianum*, seu principia Grammaticæ hoc init. *sicut dicit Seneca ad Lucillium, disce, quam diu nescis* &c. Cod. membr. fol. manu seculi XIV. Hic adservantur Ejusdem *dicta super fallacias suas*, & *Liber de clave intentionum* in chart. 4. manu coæva. Engelberti præterea magnus cultor fuit Johannes, Monachus Lampertinus in Stiria, cujus *Expositionem Passionis Dominicæ* in bibliotheca Cremifanensi & Dorotheana conspeximus, eaque sic incipit: *Egressus JEsus cum discipulis*

pulis suis &c. Lucas dicit JEsum egressum &c. Idem Johannes Engelberto dicavit *Tractatum* suum *de eo, quod liceat Monachis prædicare.* Epistolæ nuncupatoriæ hoc exordium est in Codice Monasterii Operaltaichensis: *Venerabili in Christo Patri, & Domino, Domino Engelberto Agmundensi Abbati, strenuo Zelatori Ordinis S. Benedicti, Magister Johannes dictus de S. Lamperto, humilis Monachus ejusdem religionis, orationes suas utinam DEO gratas, cum obedientia debita & condigna in eo, qui secundum Augustinum est summa origo omnium rerum & perfectissima plenitudo & utilissima delectatio. Sicut dicit B. Jeronymus in Prologo galeato, in domo Domini alii offerunt aurum* &c. Sed de hoc Johanne alibi opportuniùs differemus. Nunc agendum de litterariis monumentis Engelberti, quæ aut in hoc tomo edimus, aut in secuturis edemus. Quocirca Ordinem ab ipso Engelberto in epistola de studiis & scriptis suis servatum sequemur indicatis ubique bibliothecis, in quibus aliquæ adhuc eorum reliquiæ custodiantur. Id universè de scriptis Engelberti affirmare licet, vastum quoddam ac subtile ingenium ex omnibus relucere. Propositam Quæstionem nunquam deserit, nisi re funditus exhausta. Nec nodus ullus tam intricatus est, cujus dissolutionem non tentet, aut desperet, modò argumentum ejusmodi sit, cujus fines ab humano ingenio circumspici & circumscribi possint. Superstitiosus nequaquam est, rejicere solitus, quidquid cum Divinis scripturis, aut ratione, aut saltem cum magnorum Virorum auctoritate non satis apertè cohæret. Stylo utitur Scholastico, neque tamen, quod familiare suo seculo vitium erat, contaminatissimo. At hæc omnia ex ipsorum Engilbertinorum operum lectione meliùs lector, quàm ex nostra descriptione intelliget. En illorum catalogum!

1. *Expositio Continua super Psalmum CXVIII. vadam in agrum.* Extat in Codice membr. fol. exarato anno 1384. in bibliotheca Claustroneoburgensi: & in bibliothecæ Lambacensis Codice chart. fol. seculi XV. manu perscripto. Putamus eam etiam in bibliotheca Admontensi haberi. Opus vastum est, proferendum tamen in sequentibus voluminibus.

ENGELBERTI ABB. ADMONT. TRACT. DE GRATIIS ET VIRTUT. B. M. V. col. 503.

2. *De Gratiis & Virtutibus Beatæ Mariæ Virg. lætetur anima vestra.* Opus hic habes à col. 503 ex Codd. MSS. Admontensi coævo, Scotensi, & Gemnicensi, qui circa MCCCLXX. exaratus videtur. Idem adservatur in Codicibus Monasterii Lambacensis & Mellicensis. Scriptionem omnem in quatuor partes auctor dispescuit, *in quarum prima ponuntur aliqua, quæ de vita & virtutibus B. Virginis in laudem ipsius ex Evangelica historia trahi possunt. In secunda ponuntur illa, quæ ex authoritatibus & dictis sanctorum habentur de virtutibus B. Virginis circa ipsius vitam activam. In tertia agitur de illis, quæ habentur de ipsius virtutibus & gratiis circa ipsius vitam contemplativam. In quarta parte agitur de his, quæ habentur de ipsius B. Virginis transitu ex hac vita & glorificatione in corpore & in anima.* Engelbertus argumentum hoc sobriè pertractat, uniceque dolendum est, virum acuto ingenio præditum non advertisse, *Epistolas Ignatii ad Johannem Evangelistam & ad B. Virginem, hujusque ad illum* mera hominis piè nugantis figmenta esse. Sed Engelberti ævo nulla critica erat. Denique quæ noster Parte ultima à cap. III. col. 703. de B. Maria Virgine *miraculosè concepta & sanctificata,* modo ab hodiernis Scholis diverso disputat, eidem tempori, quo pia sententia de Immaculata Beatissimæ Deiparentis Conceptione tantum nondum obtinuit, tribuenda sunt. Quod si nunc vivens adeo vulgatam constantemque Doctorum ea super re consensionem videret, in eorum sine dubio sententiam viri, honoribus Beatissimæ Virginis tantopere deditus manibus, ùt ajunt, pedibusque concederet. Sed de hoc Opere satis, quod eo nomine huic parti intulimus, quòd tertiæ parti ampla Mariani Cantici Luc. I. Expositio inserta sit, universaque scriptio ad exegeticum potiùs genus, quàm ad historiam referri mereatur.

3. *Tractatus de Articulis Fidei. Qui confidunt in.* Hunc nullibi adhuc videre licuit. Nam Engelberti *Liber XII. Quæstionum de rebus fidem spectantibus*, quem è Codice MS. Scotorum Wiennæ prelo jam paravimus, ab hoc *Tractatu de Articulis Fidei* penitus diversus est, utpote quem adversus eorum errorem, *qui non nisi unum in omnibus animabus intellectum esse statuunt,* scripsisse se ipse testatur in *Libro de summo bono hominis in hac vita cap. 3.* In Catalogo Librorum Monasterii Campililiensis, seculo XIV.

X p

XIV. confecto fic quidam Codices recenfentur: *Item Alexander de intellectu, & alii tractatus, quorum primus eft tractatus Thomæ contra murmurantes de Mundi æternitate, & fuper tractatus Sphæræ Mag. Franconis, & tractatus de nutrito editus à Domno Alberto. Item Albertus fuper Metaphyficam. Item libellus * contradictione contra eos, qui dicunt, quod poft feparationem ex omnibus animabus non remanet nifi intellectus unus & anima una* &c. Vix dubitemus poftremum hunc libellum effe Engelberti Tractatum de articulis fidei. Sed nos illum in perluftratione Codicum Campililienfium vidiffe non recordamur.

* Ita Cod.

4. *Tractatus unus de Paffione Domini & Myfterio Crucis: circa magnum* &c. Hic extat in Cod. chart. fol. in bibliotheca Cremifanenfi à trecentis annis, & in Glunicenfi Cod chart. 4. ac omnium optimè in Admontenfi Cod. membr. 4. maj. ex quo eum erutum prelo paratum jam habemus.

5. *Tractatus de Corpore Domini: cùm propter plures modos.* Eum in tot hactenus Auftriæ & Bavariæ bibliothecis, imò & in Admontenfi fruftra quæfivimus. Fortè tamen in aliis vicinis Stiriæ bibliothecis adhuc delitefcit.

6 *Tractatus de Gratia falvationis & juftitia damnationis humanæ. Indica mibi.* Editioni paratum habemus ex bonæ notæ coævoque membraneo Codice Monafterii Admontenfis in fol. Idem Opus extat & in alio chartaceo Cod. in 4. ejusdem Monafterii, uti & in Cod. chart. 4. bibliothecæ Tirnfteinenfis, ubi malè tribuitur Magiftro Alberto Magno.

7. *Tractatus de libero arbitrio: inter cæteras plures.* Hunc deteximus in Codice B. Mariæ ad Scotos Wiennæ, manu fæculi XV. exarato, unde depromptum prelo jam deftinavimus.

8. *De fummo bono hominis in hac vita. Meliùs eft videre.* Indidem defcriptum typis proximè commendabimus.

9. *De Providentia DEI. De Providentia DEI.* Eum ex Codd. Admontenfibus jam eruimus, quorum alter membraneus in 4. alter chartaceus eâdem formâ eft, uterque verò quadringentorum annorum.

10. *Tractatus de Miraculis Chrifti. Mirabilia teftimonia.* Occurrit in Bibliotheca Tirnfteinenfi Cod. chart. fol. & in Cremifanenfi Cod. membr. fol. & itidem ibidem in Cod. chart. fol. manu feculi XV. Ad nos eum ex Codice Admontenfi memb. in 4. feculi XIV. pro prelo defcripfimus. Idem Tractatus habetur etiam in alio ejusdem ætatis Admontenfi Codice chartaceo in 4.

11. *Super duodecim Antiphonas: ô fapientia Tractatus, qui incipit: afpiciebam à longe.* Extat in Codice membr. Zwetlenfi propè coævo in fol. unde Opus noftrâ gratia exfcripfit Ven. P. Anthelmus Carthufianus Axpacenfis. Habetur & in Cœnobio Admontenfi Cod. chart. 4. fine præfatione: in Carthufia Gemnicenfi eadem præfatione deftitutus: in Clauftroneoburgenfi Cod. membr. fol. ab anno 1384. & Mellicenfi in Cod. chart. manu fec. XV. fignato Lit. O. 4.

12. *Tractatus de Quæftionibus fuper Antiphonam, cùm Rex Gloriæ. De illo laudabili.* Prelo itidem paratum habemus ex Cod. Zwetlenfi fupra laudato. Eundem retinent Canonia Tirnfteinenfis in Cod. chart. 4. Monafterium Scotenfe Cod. chart 4. à trecentis annis: & Mellicenfe in Cod. fec. XIV. fignato Lit. O. 13.

13. *Tractatus de Statu defunctorum. Occafione ejus, quod legitur.* Hunc nullibi adhuc reperimus.

14. *Tractatus de Quæftione illa: utrum DEus adhuc incarnatus fuiffet, fi primus homo non fuiffet lapfus. Utrum fi primus homo.* Hoc doctiffimum opus ex coævo Admontenfi Codice membraneo in 4. noftra manu exfcripfimus, & prelo paravimus.

15. *Super Evangelium: in principio erat verbum Tractatus: ad præceptum tuum elevabis.* Defideratur.

16. *Tractatus de fenfu doloris Chrifti in paffione & de declaratione verborum Hilarii. Super quibusdam verbis Hilarii.* Penes nos eft, de Codice membraneo Zwetlenfi, feculi XIV. defcriptus.

17. *Magnum Commentum fuper librum Ariftotelis de Mundo. Inter plura capitula.* Nefcimus adhuc, ubi lateat. Nec hujusmodi Scholaftica commentaria noftræ Collectionis funt.

18. *Scri-*

18. *Scriptum super librum de inundatione Nili. Post librum Aristotelis.* Scriptum hoc nusquam adhuc comparuit.

19. *Tractatus de Fascinatione. Cùm secundùm Philosophum.* Eum vidimus in Codice Monasterii Glunicensis chart. in fol. finito anno 1436. Extat & in Codice bibliothecæ Mellicensis chart. 4. signato Lit. G. 11. Ubi opus elegans & prelo dignissimum *explicit anno* 1462. manu nostri Johannis de Weylhaim.

20. *De naturis animalium Tractatus. De naturis.* Habemus hujus operis duo ad manum exempla ex bibliotheca Admontensi, unum in fol membr. sec. XIV. & aliud membr. 4. ejusdem ætatis. De ejus editione, cùm ex Isidoro & aliis ejusmodi pervulgatis Scriptoribus excerptum sit, nihil adhuc certi statuimus.

21. *Tractatus de quibusdam Naturalibus. Super exceptivis.* Latet.

22. *Tractatus de causis & signis mutationis aëris & temporum.* Ubi adservetur, ignoratur.

23. *Tractatus de causis longævitatis hominum ante diluvium: Quæstionem difficilem.* Hunc egregium librum ex Codice membr. Zwetlensi, manu seculi XIV. in 4. exarato eruit R. P. Carolomannus Huber, contubernalis noster. Engelberti Opus habes in hac parte à col. 439. in quo statuit, *non irrationabiliter dici posse, quòd tanta prolongatio vitæ humanæ ante diluvium, & tanta abbreviatio postmodum, & in tanto tempore, sicut legitur facta fuisse, & status abbreviationis, in quo à tempore David permanet adbuc usque, processerit & procedat cursu & ordine naturali.* Quam sententiam suam doctis & lectu dignis rationibus à cap. XVII. usque ad finem corroborat. Porro etsi Tractatus hic ab ipso Engelberto Philosophicis Commentationibus suis accensita sit, eum tamen in prima hujus voluminis parte comparere voluimus, propterea quòd controversis de Patriarcharum ætate Quæstionibus non nihil lucis possit conciliare.

24. *Tractatus de Regimine Principum. Philosophus dicet.* Eum evolvimus in bibliotheca Tirnsteinensi Cod chart. 4. Florianensi Cod. chart. fol. Mellicensi Cod. chart. fol. sign. b. 4. Quæ exempla omnia seculi decimi quinti sunt Prelo eum nobis ex nostro Cod. paravit Ven. P. Anthelmus Carthusianus Axpacensis. Cæterùm idem Engelberti Opus extare etiam in Carthusia Gemnicensi nuntiavit Ven. P Leopoldus Wydemannus ejusdem loci eruditus bibliothecarius.

25. *Tractatus, qui dicitur speculum virtutum ad Albertum & Ottonem Austriæ Duces. Gloriosis Dominis* Unicum scimus hujus magni Operis exemplum in bibliotheca B. Mariæ Virg. ad Scotos Viennæ, unde non sine sudore integrum expromsimus, prelo proximè subdendum. Codex Scotensis trecentorum annorum, chartaceus, & in folio est. Mabillonius in Itinere suo Germanico se id etiam Villingæ in bibliotheca PP. Minorum vidisse scribit. Verum is Codex nuper, cùm Villinga à Tallardo, Gallicarum copiarum duce obsidione premeretur, à Cæsareanis intra moenia militibus, dum alia deessent, onerandis tormentis bellicis adhibitus & absumptus est, ùt nos docuit Reverendissimus Dominus Michaël, S. Georgii humanissimus ibidem nunc Abbas. Arnoldus Wion in Adjunctis ad Lib. II Vitæ Ligni. c. 66. auctor est, hoc Engelberti Opus *in bibliotheca Laziana* Viennæ quoque extitisse, unde fortè ad bibliothecam Cæsar. Vindobonensem cum altera bibliothecæ Lazianæ parte pervenit. Nam aliqua ejusdem bibliothecæ pars in libellario Magistratus Viennensis adservatur. Quid autem sibi vir eruditus Gotthelffius Struvius in Bibliotheca Historica cap. 18. velit, dum scribit, Lambecium in Syntagmate suo rerum Germanicarum evulgare promisisse *Engelberti Abbatis Speculum virtutum ab anno 1104.* non assequimur. Neque enim hoc Engelberti Opus Historicum sed Ethicum est. Atque hæc jam scripseramus, cùm nos A. R. P. Cœlestinus Mayr Bibliothecarius Celebris Monasterii Wiblingensis propè Ulmam certiores facit, idem Engelberti Opus in suæ quoque Bibliothecæ Codice adservari, id quod hic adnotâsse satis sit.

26 *De Officiis & abusionibus eorum. Cùm libros.* Integrum hoc opus adhuc nobis non obtigit. Nam quæ initio cujusdam Codicis Admontensis chartacei in 4. per aliquot membranea folia extant, non nisi fragmentum elegantis Libri sunt. Ex specimine hoc tamen colligitur, omne opus in plures tractatus distributum fuisse.

27. *De ortu & fine Romani Imperii. Consedentibus.* Librum hunc primus edidit Casp. Bruschius Basileæ 1553. 8. Tum Joachimus Cluten à nobis supra castigatus. Tandem ab Andrea Schotto recognitus transiit ad Bibliothecas SS. Patrum tam Coloniensem quàm Lugdunensem. Manuscripta ejus exempla habentur in Codice Admontensi, chart. 4. manu seculi XIV. & Mellicensi chart 12. Litt. b. 26 à nostro Johanne de Weylheim anno 1474. finito. Atque ab hac scriptione distinctum non est illud opus, in quo Engelbertus *de Daniele & Apocalypsi sumpta materia de Antichristo superlucidè disputâsse* supra ab Anonymo Chronographo Leobiensi dicebatur.

28. *Tractatus, utrum Sapienti competat ducere uxorem. Narrat Satyrus.* Prelo paratum habemus ex membraneo Codice Zwetlensi, signato num. 91. in 4. seculo XIV. exarato.

29. *Dialogus Concupiscentiæ & Rationis. Quoniam ut dicit Seneca.* In Codice chart. Admontensi, perquam difficili lectu charactere, seculi tamen XIV. perscripto in fol. unde Opus exhibebimus.

30. *Tractatus metricus de consilio vivendi. Consilium vitæ cupiat qui discere rite.* Extat in mox memorato Codice Admontensi, unde Poëma Ethicum efferemus.

31. *De electione Regis Rudolphi: Sclavica qui tumidi confregit cornua sceptri.* Hoc Poëma Casimirus Oudinus in Supplemento Bellarm. de Script. Eccle. pag. 552. audacter scribit *haberi in Collectionibus Historicorum Germaniæ, quos diversi ediderunt.* Ast in his Collectionibus ne versus quidem nec verbum Engelebertini Poëmatis extat. Igitur omnes decepti sunt, quotquot Oudinum intrepidè secuti sunt. Pinium putamus in Bibliothec. Eccl. de Script. seculi XIV. Guilielmum Cave in Hist. Litt. qui ne Oudinum ad verbum exscripsisse videatur, ait, *Carmen Engelberti in quavis ferè Historicorum Germanicorum Collectione reperiri*: &, quod magis mireris, Gottfridum Olearium in Bibliotheca Scriptor Eccles. Tom. 1. qui ad hæc nos cavere jubet, ne Engelbertum cum Possevino in Apparat. Sacro ad annum 1320. rejiciamus, cùm ex Chronico Admont MS. Amandi Pachleri certissimum sit, Engelbertum non nisi anno 1331. ad superos abiisse. Igitur nihil certius nobis est, quàm hoc Engelberti Poëma iis accensendum esse, quæ lucem nondum adspexerunt. Imò cùm nec in bibliotheca Admontensi hactenus à diligentissimo & doctissimo ejus loci bibliothecario A. R. P. Sigismundo Münich reperiri potuerit, vehementer veremur, ne omnino exoiderit.

32. *De Passione beatæ Katherinæ Opus. Inclyta sanctæ Katherinæ Virginis acta.* Nondum repertum est

Jam verò cùm sub id tempus, quo Engelbertus laudatam sæpius Epistolam de Studiis & Scriptis suis ad Vlricum dedit, is plura affecta Opera habuisse se innuat, quæ postmodum feliciter enisus est, ea nunc vel ab nobis reperta, vel ab aliis indicata subjiciemus.

33. Andreas Abbas Bambergensis *Libro de Vir. Illust. Ord. S. Bened. Parte tertia* testis est, Engelbertum *ad ædificationem fratrum suorum scripsisse de virtutibus & vitiis, Sermonesque elegantes.* Quæ iisdem ferè verbis habentur apud Trithemium in *Lib. de Script. Eccle. c. 379. & Lib. 2. de Vir. Illust. Ord. S. Ben. c. 100.* nisi quod in hoc posteriori Opere *Sermones Engelberti* prætermittat. Porro ad scriptionem Engelberti *de vitiis & virtutibus*, quod attinet, persuasissimi sumus, eam ab ejusdem Opere *de Officiis & abusionibus eorum*, aut *Speculo Virtutum* diversam non esse. *Sermones* Engelberti perbreves de Tempore aliquot vidimus in membr. Cod. Admontensi in fol. de quorum editione tamen nihil nobis adhuc certi sedet, cùm præstantiora ejus opera nos satis occupatos adhuc habuerint.

34. Amandus Pachler Abbas Petrensis in Chronico Admunt. MSS. Engelberto tribuit *Opus de Sanctissima Trinitate magnificum*, quod nobis hactenus incognitum in aliqua Stiriæ vel Carinthiæ bibliotheca fortè cum tineis & blattis luctatur. Dignissimum profectò foret, quod studiose perquiratur.

35. In Codice chartaceo in 4. trecentorum annorum, qui apud Scotenses nostros Viennæ adservatur, conspeximus Engelberti *Libellum XII. Quæstionum*, de quo vide

vide ad § 3. supra observata. Hic addimus, dubitari non posse, quin hic genuinus Engelberti fœtus sit, utpote in quo lectorem remittat ad librum suum: *utrum adhuc DEus incarnatus fuisset, si Adam non peccasset.*

36. In Bibliotheca Tegernseensi extant Engelberti *Orationes precatoriæ ad JEsum & Mariam semper Virginem*, in duas partes divisæ. Quarum prima incipit: *O Messia vitæ via* &c. *Expliciunt* in Codice chart. 4. *anno* 1473.

37. Prelo maturum habemus etiam Engelberti *Tractatum de Passione Domini secundùm Matthæum*, qui ita incipit: *scitis, quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur Matth 26. Ubi venit plenitudo temporis, misit DEus Filium* &c. Hunc MS. retinent bibliotheca Admontensis in Cod. membr. 8. sec. XIV. in quo subjuncta est *Recapitulatio articulorum Passionis Christi*: & Canonia S. Hippolytana in Cod. membr. 4. ejusdem ætatis.

38. Bucellinus in *Annalibus Benedictinis & Menologio* Engelbertum præterea Celebris illius de B. Maria V. Hymni: *Omni die dic Mariæ* &c. auctorem facit. Sed cùm hæc res operosioris disquisitionis sit, eam Bibliothecæ Benedictinæ servamus. Atque hæc in monumenta vetera primæ partis observata sint.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ IN SECUNDAM PARTEM PRIMI TOMI.

I.

Quot & cujus generis Operà post se reliquerit S. Paschasius Ratbertus, Corbeiæ Veteris in Francia Abbas, cujus obitus anno DCCCLXV. vulgò consignatur, non est hujus loci splendidiùs commemorare. De iis enim tam à recentioribus, quàm ab antiquioribus Bibliothecariis, ac præcipuè à Jacobo Sirmondo S. J. qui Ratberti opera pleraque junctim edidit, abunde actum est. De ejus Libris III. de Fide, Spe, & Charitate, qui tanto tempore pressi viros doctos latuerunt, tametsi suo merito Ratbertinis omnibus præstent, hic duntaxat nobis disserendum est. Eos debebit deinceps Respublica Litteraria V. C. & Eruditissimo Jo. Georgio Eccardo, cui à morte celeberrimi Leibnitii, qui eorum apographum, ad authentici Codicis Corbeiensis in Saxonia fidem exactum à V. C. Wilhelmo Gœbelio in Academia Julia nunc Jurium Professore acceperat, cesserunt. Porro eorum notitia per Plurimùm Reverendum & Perillustrem Dominum P. Anscharium de Grafs, Suppriorem Corbeiensem ad nos pridem pervenerat. Verùm cùm hos libros, qui, rectè censente Paulino in Theatro Virorum Illustr. Corbeiæ cap. 45. *certè lampada olent, pramorsosque sapiunt ungues*, passim cuidam *Preradberto* ab aliis tribui animadverteremus, de universa re tantisper hæsitavimus, dum fidum quoddam Operis ecgraphon bono sydere ad nos afferretur. Quod cùm strenue rem curante doctissimo Eccardo evenisset, vel primus contuitus Paschasium Ratbertum elegantissimi Operis auctorem esse convincebat. Dubitandi & labendi occasio nata est ex Codice Corbeiensi, cujus veteribus characteribus non satis perceptis, ab Antonio Snakenburgio Cænobita & Chronographo Corbeiensi ad annum DCCCXXXIX. & DCCCXLIII. *Preradbertus* pro *Pasc. Ratberto* nobis obtrusus fuit: qui error à Paullino loc. cit. & Mabillonio *Tom. 3. Annalium Bened. pag. 54.* ubi ex *Preradberto* etiam *Proradbertum* facit, retentus est. Sed vide sis de hoc, qui primus errorem detexit, eruditum Leibnitium *Introduct. in Tom. II. Script. Brunswic. pag. 26. & 27.* & Notam accurati Gœbelii hic apud nos ad primæ columnæ calcem. Interim etsi nos Codicem Corbeiensem nunquam conspexerimus, ex aliorum tamen, præsertim noni seculi, Codicum usu suspicamur, in Ratbertini Operis hujus inscriptione à librario non *Pr. Radbertus Warino Corbeiensi* &c. sed *Ps. Radbertus* scriptum & legendum esse. Cùm verò constet, eo ævo litteram *S* ita conformari solitam fuisse, ut à sequiorum temporum

S. PASCH. RADBERTI LIB. III DE FIDE, SPE, ET CHARITATE col. 1.

hominibus, præsertim in scripturis veterum non admodum versatis pro lit. *r* facilè accipi potuerit, mirum esse non debet, si Antonius Snackenburgius, auctor decimi quindi seculi, aliique post ipsum pro *Pr. Radpertus*, id est: *Paschasius Radbertus*, *Pr. Radbertus*, seu *Preradbertum* legerint, atque adeo novum auctorem confinxerint. Verùm si hoc de illis verissimè prædicetur, de Leibnitio tamen, Viro antiquitatum omnium scientissimo, sine injuria dici nequit. Itaque malim Leibnitii oculis, & spectatæ fidei quàm nostris conjecturis deferri. Sit, maneatque in Corbeiensi Codice *Pr. Radbertus*. Ast negamus adhuc vel cum Snakenburgio *Preradbertus*, vel cum Leibnitio *P. Radbertus*, id est: *Paschasius Radpertus*, aut *Presbyter Radbertus* legendum esse, sed probabilior nobis lectio videtur *Pater Radbertus*, præsertim si illud *Pr.* in Codice compendio litterarum sic exaratum sit p̃. Rem exemplo ex Codice Sanct-Emmerammensi minimùm octingentorum annorum illustremus, ex quo priori parte col. 309. insignem Candidi Presbyteri epistolam de Visione Christi edidimus. Hujus in laudato Codice initium hujusmodi est:

D. in Christo venerabili summa charitate diligendo
fratri, p̃. *Candidus sal. Non omnimodis &c.*

Ubi compendium illius vocabuli p̃. in contextu per *Presbyter* reddidimus, addito in margine tamen asterisco & nota, *in Codice haberi* p̃. *quod etiam* Pater *exponi possit*. Quod dum non caperet Typographus, putans nos compendio litterarum sine gravi causa usos, ineptè *pra.* expressit. Itaque sic velimus integrum illum locum restitui: *D.* (non Domino) *in Christo venerabili summa charitate diligendo fratri*, *Presbyter* * *Candidus sal.* Et in margine: * *sic lego. Forte legendum* : Pater. *Codex habet* p̃. Et verò utramque lectionem in hoc loco probam esse, citatæ epistolæ contextus apertè demonstrat, in quo Candidus se rectè posse *patrem & presbyterum* dici probat. Quod si itaque in Codice Corbeiensi p̃. *Radbertus* est, cùm Radbertus Presbyter nunquam fuerit, vix dubitemus legendum esse: *Pater Radbertus*. Certè p̃. pro Paschasio accipi non potest, cùm inversa littera *r*, quæ p. morsum comminatur, in subjecta voce litteram *r* latere innuat, qualis nulla in *Paschasius* est. Neque nobis gravius negotium facessit, quòd Candidus p̃. non *filio*, sed *fratri D.* suam epistolam inscribat. Satis enim apud eruditos constat, quam perturbata salutandi & inscribendi ratio apud veteres obtinuerit. Sed quomodocunque ista se habeant, illud omnino certissimum est, Operis hujus conditorem S. Paschasium Ratbertum extitisse. Vel unum librum illius lege: nec aliud argumentum exposces. Cæterùm quæ de singulis his tribus virtutibus, Fide, inquam, Spe, & Charitate Radbertus senserit, hic recensere non juvat nec vacat. Totum enim Opus exscribendum foret, tanta ubique majestate, tantoque pondere, ac perspicuitate in exponendis singulis sententiis utitur. Heu quàm longè feliciora barbara illa secula nostris fuêre! Quàm apertè ac ad communem hominum sensum accommodatè illis Catholicæ fidei dogmata proposita sunt, dum nostris contrà temporibus omnia tumultibus & subtilissimis disputationibus, quas vix quisquam assequitur, permiscentur? Sed ad alia festinandum.

GERBERTUS DE CORP. ET SANG. DOMINI. col. 171. II. Dudum hoc Opusculum tanquam Anonymi editum fuit ab erudito Viro Cellotio, de cujus genuino auctore acturus doctissimus Mabillonius in Præfationis seculi IV. Bened. parte altera §. III. ita disserit: *etsi anonymus iste ingenio planè mediocri & vulgari eruditione præditus fuerit; fatendum est tamen, ipsius testimonium non parum valere ad illustrandas seculi noni ac decimi controversias: maximè si seculo decimo, ut quibusdam visum est, eum vixisse constet. Auctor enim iste, qui Anonymus Cellotianus vulgò appellatur, propterea, quòd ab erudito Cellotio vulgatus primùm est in Appendice ad Historiam Gothescalci, quatuor potissimùm docet de his Controversiis. Primùm Rabanum Moguntinum Archiepiscopum, & Ratramnum scripsisse adversus Paschasii sententiam, asserentis, in Eucharistia idem esse corpus quod natum est de Maria Virgine, quod etiam Anonymus iste impugnat. Secundum, Stercorariorum auctores esse Heribaldum Autissiodorensem Episcopum, qui rem turpiter proposuit Rabano, & Rabanum ipsum, qui turpius assumit & turpissimè conclusit. Quos etiam auctor refutare conatur. Tertium, hoc commentum revixisse tempore ipsius Anonymi. Quartum, verè Christi corpus & sanguinem nihilo minùs in Eucharistia contineri.* Subdit Mabillonius: *Hæc quanti momenti sint, nemo*

non

non videt, ac proinde aliquod opera pretium fore putavi, si, antequam agam de Paschasii adversariis, hujus Anonymi nomen atatemque (quod utrumque apud studiosos controversum) significem. Tum num. 47. & 48. quà conjecturis, quà Gemblacensis Codicis, qui quingentorum annorum sit, fide ostendit, Herigerum Abbatem Laubiensem libri Cellotiani auctorem esse. Qua diligentissima perquisitione quantum sibi Mabillonius apud omnes doctos viros applausum conciliaverit, vulgo notissimum est. Ast nequaquam omnis res confecta est. Sive enim Mabillonii conjecturas, sive citatos Codices respiciamus, æquè nobis fortia in contrarium argumenta occurrunt. Nam ad illas, quod attinet, fatemur ex Chronici Laubiensis continuatore, Sigeberto Gemblacensi, & Gerardo Silvæ Majoris Abbate certum esse, ab Herigero Laubiensi Abbate Opus quoddam de Corpore & Sanguine Domini compositum fuisse. Verùm cùm id Gerardus Abbas *Epistolam quandam* disserte nuncupet: in Anonymo autem Cellotiano nullum penitus epistolæ vestigium deprehendatur, causa nulla est, cur hujus opusculum Herigero tribuatur. Porro Codici Gemblacensi, qui nomen Herigeri ostentat, opponimus ejusdem ætatis insignem Codicem Gottwicensem, in quo præter *Librum Ratramni de Corp. Domini* Anonymi libellus sub *Gerberti* nomine, minio distinctissimè à prima manu picto comparet. Et verò nulli dubitamus, quin viri eruditi in nostram potiùs quàm in Mabillonii sententiam concessuri sint. Qui audaculum stylum Gerberti, ejusque ingenium Dialecticis & Mathematicis disciplinis imbutum nôrunt, etiam si nullus Codex suffragaretur, eis eadem suspicio vel ex ipso Opusculo posset incidere. Id quod etiam in causa fuit, quòd Gerberti libello de corpore & sanguine Domini, mox aliud ejusdem Opusculum *de Rationali & Ratione uti* ex Tegernseensi sexcentorum annorum Codice subjunxerimus, quod etsi de se levis momenti videatur, ad ferendum tamen de uno utriusque opusculi auctore judicium perquam commodum est. Idem in utroque stylus, eadem brevitas & in disputando confidentia, idem Dialectica schemata struendi artificium &c. quæ si cum Gottwicensis Codicis fide conjungantur, vix dubio locum relinquunt, quin genuinus Cellotiani Opusculi auctor Gerbertus, qui seculo decimo eruditionis laude sibi viam ad Romanum Pontificatum stravit, nequaquam verò Herigerus, Laubiensis in Belgio Monasterii Abbas sit.

III. De hoc libello, merè Dialectico, jam diximus, eum nunc, & quidem integrum, prodire ex bibliotheca Tegernseensi, post quem ibidem illico extabat *Sermo in Concilio Mosomensi* à Gerberto habitus, à Guilielmo Caveo in Historia Litteraria nondum editis accensita, cùm tamen editissimus sit, unusque ferè omnia illius Synodi, quam Caveus paulo post recenset, acta conficiat. Porrò Epistola nuncupatoria Gerberti jam in Tomo I. Analectorum à Mabillonio edita fuerat, qui totum opusculum istud esse Gebehardi Augustensis Episcopi in notis ad eam epistolam seu Præfationem conjectabatur. *At re*, inquit Tomo II. eorundem Analectorum pag. 215. *maturiùs expensa, id Gerberto adjudicare visum est in addendis ad Tomum I. Analectorum.* Ibidem Mabillonius sub nomine Gerberti edidit Sermonem de informatione Episcoporum, *& diversitate tituli deceptus, ut monet Itigius in Præfatione ad Tractatum de Bibliothecis & Catenis Patrum.* pag. XCIII. *nunquam antea editum putavit, cùm tamen jam toties inter Ambrosii opera editus fuisset.* Sed ad Opusculum Gerberti *de Rationali & ratione uti* revertimur, quod non in sola bibliotheca Tegernseensi, sed etiam in Emmerammensi coæva propè manu exaratum vidimus. Idem, ni fallimur, in bibliotheca Cæsarea Vindobon. extat. In Codice Emmerammensi totum Opusculum quidam versus consequebantur, quos suo nos loco restituimus. De *Geometria* Gerberti, ejusdemque Epistola *ad Adelboldum Episcopum Trajectensem de causa diversitatis arearum in Trigono æquilatero* agemus in Præfatione ad Tomi II. Partem II. ubi ea primùm edita comparebunt. GERBERTI LIBELLUS DE RATIONALI ET RATIONE UTI. col. 147

IV. *Pergratum viris eruditis facere censendi sunt, qui tanti viri hactenus latentia opera è tenebris eruunt,* inquit novissimè Vir doctissimus P. Edmundus Martene in Admonitione prævia ad Gerhohi Tractatum adversus Simoniacos Tom. V. Thesauri Novi Anecdotorum col. 1458. *Fuit autem Gerochus, seu Gerhous, vel Gerhohus*, scribit idem Martene, *Canonicus Regularis Ord. S. Augustini, Præpositus Reicherspergensis in Diœcesi Salisburgensi, vir doctrinæ non vulgaris, nec inferioris pietatis, sæculi atque Ecclesiæ Principibus, Episcopis scilicet ac summis Pontificibus charus, qui corruptos sæculi sui mores verbis ac scriptis non semel exagitavit.* GERHOHI LIBER DE GLORIA ET HONORE FILII HOMINIS. col. 163.

gitavit. Integram Gerhohi vitam vide sis in Bavaria Pia Matthæi Raderi S. J. ex qua certum est, eum anno MCLXIX. mortem cum vita commutâsse. Porro ejus Operum typis commissorum indicem habes apud Laudatum Martene. Ast longè amplior vis eorum restat, quæ lucem publicam hactenus nunquam viderunt. Quæ tamen ferè omnia ingenti mole jam prelo parata habemus. In præsenti tomo tria exhibemus, quorum primum in Codice Petrensi in 4. coævo hunc titulum retinet: *De Gloria & Honore Filii Hominis.* Inscriptum id est B. Hartmanno Episcopo Brixiensi, cui plures lucubrationes Gerhohus censendas commisit. In eo præcipuè adversus eos agit, qui difficiliora sua in diversis opusculis dicta de adorando in Christo Homine ita accipiebant, uti si affirmâsset, *humanitatem, qua homo est homo, quæque ipsa non est homo, in DEI gloria summè glorificatam esse*, cùm id Gerhohus de *humanitate, qua est homo, ex anima rationali & humana carne subsistens,* intellexerit. Itaque docet ex diversis Patribus in hoc opere, sanè subtili ac docto, si quod aliud scripsit Gerhohus, Christum hominem non solùm *dulia*, sed etiam *latria* adorandum esse, cùm *Christus, qui & Divinitate DEus, & humanitate homo est, non possit verè intelligi homo, nisi cum Verbo, quod caro factum est* &c. Capiti XII. inserta est epistola Brunonis Ep. Argentinensis, qua mirificis laudibus extollit doctrinam Gerhohi, cui diversi in Diœcesi Salisburgensi, Pataviensi, & Babenbergensi adversarii negotium facessebant, maximè Folmarus ille, cujus errores cap. XIII. & seqq. confutat.

GERHOHI LIBER CONTRA DUAS HÆRESES. col. 281.

V. Liber hic, quem sæculi XII. ornamento præcipuo, Ven. Godefrido Abbati Admontensi dicavit Gerhohus, est *Prologus Galeatus* ejusdem in Expositionem Psalmorum, quam vastissimo volumine prelo paravit A. R. P. Felix Wirtenberger, Ordinis Serv. B. Mariæ Virg. vir in his studiis versatissimus, & olim, si sacerrimi Ordinis Moderatores, ùt meretur, faverint, incomparabilis futurus. Porro cùm is cum Expositione Psalmorum, quam nobis edendam Cl. P. Felix cessit, non adeò arctè ac necessariò conjunctus esset, nobis primo quoque tempore in lucem efferendus visus est. Quæ autem illæ duæ Hæreses sint, contra quas stilum in hoc Opusculo acuit Gerhohus, ipse in Prœmio his verbis docet: *in præsenti opusculo sermo mihi est permaximè contra duas hæreses partim antiquas, partim novas. Altera cum Nestorio detrahit homini Divinitus concepto, dans illi minorem gloriam DEI Patris gloria pro eo, quod natura ejus humana secundùm sui conditionem minor est Patris naturâ, cui tamen æqualis est in gloria: quia, ùt jam omnis lingua confitetur, Dominus JEsus Christus in gloria est DEI Patris. Porrò altera non aufert Christo, sed nimis tribuit Antichristo, dum Sacerdotes officio Divino seu communione Christiana synodaliter privatos asserit in officiis præsumptis Ecclesia contradicente conficere posse corpus Christi.* Hæc ipse Gerhohus, qui priorem hæresim iisdem hic ferè argumentis, quibus in præmisso Libro Gloriam & Honorem Filii Hominis defendit, jugulare conatus est: alteram verò quam in nullis non scriptis suis exagitat, auctoritate Conciliorum, Romanorum Pontificum, SS. Patrum, & maximè Hugonis Radingensis, postea Rothomagensis Archiepiscopi aggreditur. Posterioris Epistolam integram de nullis excommunicatorum & depositorum Presbyterorum Sacramentis habes cap III. *de Scriniis Romanæ curiæ* acceptam Gerhohus sibi gratulatur. Sub finem eò evolvitur disputatio Gerhohi, ut dicat *non esse Christi corpus, quod schismaticus & officio Sacerdotali privatus conficit, quantum ad essentiam, rem, & efficientiam Sacramenti, quod tamen specietenus & Sacramentotenus dici potest Corpus Christi.* Quod ut penitus percipias, lege sis Libelli hujus caput ultimum. In quo si quæ durius dicta, nec cum nostrarum Scholarum recepto loquendi modo satis cohærentia deprehenderis, id utique nobis crimini, si sapis, nequaquam vertes, ut quibus unicè propositum est in lucem edere, quæ veteres Theologi senserunt: non docere, quid nunc sentiendum, aut quomodo illis loquendum fuerit. Cæterùm usum coævi Codicis, ex quo præsens libellus ab A. R. P. Felice singulari cura exscriptus est, debemus Reverendissimo, & nostrûm amantissimo Domino Præposito Reicherspergensi Herculano, de quo aliàs plura.

GERHOHI EPISTOLA AD EBERH. EP. BABENBERG. &c. col. 116.

VI. Epistola Gerhohi ad Eberhardum Ep. Babenberg. *quomodo secundùm S. Hilarium glorificaturus Filium Pater major, glorificatus autem Filius minor non sit: cùm in Symbolo Athanasii Filius æqualis Patri secundùm Divinitatem, minor Patre secundum humani-*

manitatem dicatur, ejusdem Libro de Gloria & Honore Filii Hominis meritò præponenda fuisset, utpote quæ huic scribendo, adversariis obmurmurantibus occasionem præbuit. Sed quia seriùs ejus apographum beneficio Cl V. R. D. Eugenii Præfecti Bibliothecæ Claustroneoburgensis, in qua cujusdam Codicis antico asseri coæva ferè manu eam inscriptam deteximus, ad nos perlatum est, non nisi hoc loco proferri potuit. Cæterùm Gerhohus propositam Quæstionem num. I. dissolvit aitque, *beatum Athanasium, qui Filium Patre minorem affirmat, minoritatem illam natura humana assignare, cùm dicat : minor Patre secundùm humanitatem ; Sanctum verò Hilarium, qui minoritatem negat, gloriam hominis in DEum glorificati magnificare, dum dicit : glorificatus jam Filius minor non est. Itaque istos Catholicos nullo modo sibi esse contrarios vel contradictorios, sed exigere lectores, & intellectores, inter naturam humanam, conditione parvam, & ipsius gloriam Divinam, penitus ineffabilem & immensam discernentes* &c. quæ omnia multò diffusiùs & limatiùs pertractat in supra excuso Libro *de Gloria & Honore Filii Hominis.*

VII. Quis hic Waltherus fuerit, omnino ignoramus. Codex Petrensis, ex quo insignem ejus *epistolam de modo Divina pradicandi de Christo* frater eruit, seculo duodecimo exaratus est, quo tempore in Diœcesi Salisburgensi, Babenbergensi & Pataviensi ea de re controversiam caluisse, satis ex editis hactenus à nobis Gerhohi Opusculis constat. Ut adeo indidem ortum hunc Waltherum fuisse, ac eadem ætate floruisse meritò suspicemur, nisi malimus dicere Waltherum nostrum à Gualthero Episcopo Laudunensi fortè non esse distinctum. Certè in Cod. Petrensi præter epistolam Waltheri extat & G. id est Gualtheri epistola de scientia animæ Christi, edita à Mathoudio in notis ad Libros Sententiarum Roberti Pulli. Sed de hoc eruditi judicant. Porro ad illam edendam Waltherus num. I. ait, se permotum fuisse, quòd *compererit pro verbis quibusdam ad unionem Divina & humana natura pertinentibus quosdam contra se mussitare : quasi de verbis illis malè sentiret , latenter susurrare. Esse autem ea verba hujusmodi :* assumptus homo est DEus & *his similia.* Ad hæc num. V. testatur *ad manus suas venisse quasdam litteras, nullius auctoris nomine prænotatas, qua affirmant assumptum hominem non solùm esse DEum , insuper esse DEO coæternum, & animam, quam assumpsit Verbum , rerum omnium & sui ipsius fuisse creatricem, quod,* inquit Waltherus, *nemo Catholicus recipere debet.* Suam verò sententiam apertè clt. numero, atque his verbis exponit Waltherus : *sæpe dico & adhuc dico , & libera voce pronuntio falsum esse, quòd assumptus homo sit DEus in hoc sensu : assumpta humanitas est assumens Divinitas.* Tum subdit : *licèt autem superiorem sensum prædicta propositionis non approbem, tamen propter miram unionem assumpti hominis, Verbi assumentis , non denego, quin veraciter exponi queat prædicta propositio. Si enim Dii appellantur homines , ad quos factus est sermo DEI: multò magis dici potest assumptum hominem esse DEum , idcirco quòd illa dua natura sint in una eademque persona Christi , qua est verus DEus* &c. quæ Scholasticis nostris discutienda relinquimus.

WALTHERI VETERIS THEOL. EPISTOLA &c. col. 328.

VIII. Quot quantique errores in consignandis rebus hujus Adami à viris doctis admissi fuerint, vide sis in eruditi Viri Godefridi Ghiselberti, Canonici Præmonstratensis apud Furnenses Introductione ad Opera Adami ab se in folio collecta & edita Antverpiæ apud Petrum Bellerum 1659. Ut adeo satis mirari non possimus Casimirum Oudinum, qui in Supplem. ad Bellarmini Script. Eccles. pag 472. etiam post procuratam, quam laudat, Ghiselberti editionem scribit Adamum natione Scotum Canonicum Regularem floruisse ab anno 1172. & sequentibus usque ad annum 1180. cùm Ghiselbertus cap. 14. disertè doceat, Adamum anno circiter 1186. ad infulas demum provectum fuisse, *quas,* inquit, *lustris aliquot tenuisse propensioris est arbitrii.* Sed & ipsum Ghiselbertum minùs accurate Archimonasterium Præmonstratense, in quo Ordinem Præmonstratensem primùm professus sit, Adamo assignare, non obscurè ostendit Prologus in librum I. *Soliloquii de instructione animæ*, ubi rogat, ut *Domini reverendi, & Patres charissimi,* quibus Opusculum suum Adam inscripsit, *offerant holocaustum pro filio uteri sui, ne fortè peccet.* Atqui inscripsit id Adam *Dominis suis venerandis & amicis in Christi visceribus dilectis viris, illustri Domino Walthero Priori & universis fratribus in Ecclesia S. Andreæ in Scotia Christi servitio mancipatis,*

ADAMI SOLILOQUI. OR. LIBB. II. col. 336.

patis, erroneique sunt Codices Petrensis, Andecensis, & Tegernseensis omnes à trecentis annnis exarati, qui pro *S. Andrea in Scotia* habent *S. Andrea in Austria:* quid enim hæc *in Austria* Ord. S. Aug. ad Traisam amnem Canonia ad Adamum *Scotum?* Igitur *Ecclesia S. Andrea in Scotia*, non Præmonstratensis Adamum DEO & Candidissimo illi Ordini peperit. Sed his missis ipsum elegantissimum, & omnibus religiosis viris utilissimum Adæ opusculum, unde primum in lucem expromserimus, differamus. Duo id Codices nobis suggesserunt, quorum unum Carthusia Gemnicensis retinet: alterum possidet bibliotheca Mellicensis signatum lit b. num. 23. in 12. ex quo apographum Gemnicense, studio Ven. P. Sebastiani Treger, Carthusiani Gemnicensis, amici & Synergæ nostri præstantissimi procuratum, pluribus in locis emendavimus, additis etiam à nobis, pro commoditate lectorum capitum lemmatibus. Idem Opusculum cum pluribus Adæ sermonibus editioni paratum habuisse D. Hermannum à Porta Abbatem S Michaëlis Antuerpiensis fidem facit ejusdem quondam Ordinis alumnus eruditus Casimirus Oudinus loc. cit. In Cod. Tegernseensi supra memorato id tribuitur *Ada de Persennia.* Malè. Nec rectiùs fortè in Catalogo MSS. Codd. Tegernseensium, seculo XV. conscripto, eidem Adæ de Persennia tribuuntur *excerpta de amore*, quæ putamus mutuata esse ex Adæ Præmonstratensis nostri *libro de dulcedine DEI*, de quo Ghiselbertus Introduct. ad Opera Adæ cap. 10 In pluribus bibliothecis, metrica quædam *summa* rerum & sententiarum ritualium, Canonicarumque habetur, Coloniæ quoque, ut auctor est Simlerus, apud Henricum Quentel anno 1502. typis impressa, quæ incipit: *in summis festis ad Missam dicitur una* &c. Ea vulgò dicitur *Summula Raymundi* ob versus sequentes, qui tam in editione Coloniensi quàm in Codd. MSS. quorum non paucos Mellicensis Bibliotheca conservat, leguntur: *Summula de Summa Raymundi prodiit ista.* Quæritur, quis hujus metricæ Summulæ auctor sit? In Commentario quodam ab Anonymo in eam Summulam concinnato, quod extat in Mellicensi Cod. chart. fol. L. 7. seculo XIV. exarato dicitur, hanc metricam *Summulam tribui Raymundo, ab aliis alteri, qui noluerit exprimere nomen suum propter arrogantiam evitandam.* In Cod. Campililiensi sec. XIV. *edita* dicitur *ab Adam de S. Victore.* In Codice Hippolytano quadringentorum annorum tribuitur *Magistro Adam de Ordine Minorum.* In Codice Mellicensi alio in folio membr. Anno 29. qui certissimè seculo XIV. exaratus est, Opusculo hæc rubrica præfigitur: *incipit Summa Magistri Ada de septem Sacramentis. Primò qualiter collecta dicenda sint in Missa. In summis* &c. In fine: *explicit Summa Magistri Ada.*

Adam jure minus, doctis versus dedit istos,
Ut discant, qua sint fugienda per horve tenenda.

Nos in tanta Codicum varietate suspicamur, hujus metricæ Summulæ non alium esse auctorem, quàm Mag. Adamum Præmonstratensem, qui commodo Clericorum prospecturus ejusmodi Canonum & rituum compendium memoriæ causâ condiderit, antequam in lucem prodiit Summa Raymundi. Sed hæc minutiora sunt.

F. RICHALMI LIB. REVELATION. &c. col. 376.

IX. De auctore hujus notatu dignissimi Operis, quod nostro rogatu A. R. & Cl. Pater Romanus Krinner Cœnobita Tegernseensis ex chartaceo sui Monasterii Codice, à trecentis annis fœdiori manu exarato eruit, plura dicere nescimus, quàm quæ Vir eruditus Carolus Vischius in Bibliotheca Cisterciensi commemorat. *B. Richalmus*, inquit, *Abbas Speciosa Vallis in Franconia, scripsit celebre quoddam opus, continens varias subtilissimas apocalypses, Philosophis, Theologis & Asceticis maximè necessarias, judice ipso Perillustrii & Eximio Domino Caramuele, qui perlecto opere, sequentem illi censuram scripto adposuit* (Epistola ad Reverendissimum Dominum Christophorum, modernum Speciosæ Vallis Abbatem, præfixa III. parti Theologiæ Regularis) *Quantum mihi profuerint, beati Richalmi, prisco avo tui Monasterii Antistitis, apocalypses, quantum omnibus & singulis prodesse poterunt, altius mente concipio, quàm lingua aut calamo explicabo. Sunt illa, me judice, Philosopho, Theologo, & Ascetico maximè necessaria.*

via. Ibi prior nonnulla inveniet Physica, multò aliter revelata Divinitus, quàm ab Aristotele aut etiam Platone supposita. Ibi alter multa, quæ DEI attributa, Angelorum substantiam, collocutionem, vires, bonorum erga homines amorem, malorum in eos invidiam, utrorumque solicitudinem & diligentiam concernunt. Ibi posterior virtutis amplectendæ motiva, culpa vitandæ monita, horribiles animarum etiam purgantium pœnas, ineffabilem triumphantium gloriam. Ibi quicunque multa, varia, & utilia animo recreando, erudiendo, reformando. Notavi aliqua, & præcipuè circa confusam apostatarum Angelorum rempublicam, quæ radio esse poterunt gravissimis difficultatibus &c. Hæc Caramuel, cujus tamen auctoritas apud omnes tanta non erit, ut omnia, quæ Richalmus discipulo in calamum dictavit, Divina esse oracula credere aut velint aut possint. Verùm utinam non quotidianis casibus DEO addictiores animæ experirentur, quæ alii ferociori ingenio, & profanis studiis immersi ceu somnia derident! Addit verò Vischius adservari hoc Opus MS. in Speciosa Valle: reperiri etiam apud Canonicos Regulares Tungris, titulo *visionis & instructionis de impugnatione Dæmonum Richalmi Abbatis*, quem circa annum 1270. floruisse suspicamur.

X. De vita & morte Alani Magni de Insulis, *sacræ Theologiæ Doctoris, cognomento Universalis, & gloriosi Scholæ Ecclesiasticæ Parisiensis Moderatoris, humilis Cisterciensis Conversi Historicam relationem* idem, quem numero præcedente laudavimus, Carolus Vischius conscripsit, eamque Alani Operibus, quotquot quidem reperiri potuerunt, à se in folio Antverpiæ anno 1654 editis præfixit. In ejusdem editionis propylæo habes Catalogum Operum Alani, quem auctiorem & accuratiorem repetiit idem eruditus Vischius in altera Bibliothecæ suæ Cisterciensis, quæ Coloniæ anno 1656. prodiit, publicatione. Ex utroque autem certum habemus insignes & doctissimos hos *Quinque de Arte, seu Articulis* (nam variant Codices) *Catholicæ Fidei Libellos* nunquam typos expertos esse. Carolus quidem Vischius in Bibliotheca *de Articulis Fidei* non nisi Lib. I. recenset, qui apud Canonicos Regulares Tungris adservetur. Ast sequi præstat præter fidem nostrorum Codicum, Gemnicensis, inquam, & Emmerammensis, qui membraneus in 8. quadringentorum annorum est, ipsum Alanum, qui in Prologo *Quinque Libris hoc Opus distinctum esse* testatur. Horum *primus agit de una omnium causa, id est: de uno eodemque trino DEO. Secundus de Mundo, Angelis & Hominis creatione & arbitrii libertate. Tertius de Filio DEI incarnato pro homine redimendo. Quartus de Sacramentis Ecclesiæ. Quintus de resurrectione mortuorum.* Quæ gravissima Catholicæ fidei dogmata, singulorumque necessariam veritatem & consecutionem solis rationibus naturalibus demonstrare satagit Alanus, *ut qui Prophetiæ & Evangelio acquiescere contemnunt, humanis saltem rationibus inducantur.* Cæterum hoc Alani Opus etiam vidimus in Codice Campililiensi, ubi ejusdem quoque Scriptum *de intelligentiis*, nondum editum, extat hoc initio: *summa in hoc capitulo nostræ intentionis est rerum naturalium difficiliora breviter colligere.* Cod. membr. fol. manu seculi XIV. Denique idem Codex amplectitur & aliud Alani hactenus ineditum Opus, cujus hic titulus & initium: *Paradoxa de Maximis generalibus. Sententia Platonis & Aristotelis est* &c. Vischius hujus posterioris Opusculi nusquam meminit. Præterea in bibliotheca Monasterii Sanct-Crucensis habentur præstantes Alani Sermones nondum typis vulgati, *Speculum Ecclesiæ* inscripti. Codex est membraneus in fol. ante quadringentos annos collectus. Incipit Præfatio: *cùm primò in nostro Conventu residerem, & verbum fratribus secundùm datam tibi* &c. Tum sequitur Proëmium, cujus principium: *peritissimi pictores Ambrosius, Augustinus* &c. In ejusdem bibliothecæ Crucensis Codice membr. fol. ante quadringentos annos exarato visitur Alani *Oculus sacræ scripturæ*, sive *Compendium utriusque Testamenti*. Inc. Præf. *Reverendissimo Patri & Domino Ermengando, DEI gratia S. Ægidii Abbati Alanus* &c. Opus: *quoniam juxta publicæ auctoritatis præconium, qui virtutum nominum sunt ignari* &c. Postremò in bibliotheca Cremifanensi extat Alani Magistri *Liber de diversis Sermonibus* (fortè leg. *Pignoribus*) *dictus Theologicarum.* Inc. *quisquis ad sacræ scripturæ notitiam* &c. Cod. chartac. fol. manu seculi XIV. Quæ omnia eo fine à nobis hoc loco relata sunt, ut, si quis olim auctiorem Operum Alani collectionem in se suscipiet, noscat, unde Codices depromendi sint.

ALANI LIBR. V. DE ARTE FIDEI CATHOLICÆ. col 476.

X r 2 XI.

HENRICI DE Hassia LIB. ADVERSUS VATICINIA TELESPHORI &c. col. 505.

XI. *Henricus de Hassia, seu de Langenstein*, inquit Henricus Wharton in Append. ad Historiam Litter. Guilielmi Cavei, *natione Germanus, Sac. Theologiæ Licentiatus in Academia Parisiensi, Ordinis Carthusiani Monachus, & Cœnobii S. Mariæ in Geldria prope Arnheimium Prior, &, si rectè conjicit Trithemius, Ecclesiæ Wormaciensis Canonicus, Viennam tandem evocatus, ut Academicis Theologiam prælegeret, claruit anno 1418. Obiit anno 1428.* &c. Quæ ex Possevino, Bellarmino aliisque conflata, & à recentioribus plerisque Bibliothecariis adoptata totidem ferè continent errata, quot verba. Omnium horum lapsuum scaturigo est, quòd viri docti duos *Henricos de Hassia* inter se non satis distinguant, eaque confusione, quam Jo. Trithemius de Scriptorib. Eccle. cap. cap. 684. & 754. tam studiosè declinavit, omnia præstantium horum virorum scripta perturbent. Duo itaque, seculo decimo quarto & decimo quinto Henrici de Hassia floruerunt, ambo relictis ingenii monumentis clari, sed conditione ac vitæ genere, annoque obitus admodum inter se diversi. Prior enim, qui *senior* dici possit, Langensteinii in Hassia procreatus, in Academia Parisiensi severioribus litteris aliquamdiu operam dedit, & teste Pinio in Append. ad Opera Gersonis ad Theologiæ Licentiatum promotus fuit anno 1375. in eademque Academia perstitit usque ad annum 1381. quo Tractatum, quem *Consilium pacis* vocat, in publicum emisit. Inde ab Alberto III. Austriæ Duce, Rudolphi IV. fratre germano in Austriam evocatus, anno 1384. cum Heinrico de Oyta in Academia Wiennensi Theologicas disciplinas tradere occepit. Tum anno 1393. ejusdem Academiæ Magnificus Rector renuntiatus est, ùt ad hunc annum scribit Georgius Ederus in Catalogo Rectorum & Illustrium Virorum Archigymnasii Viennensis pag 10. Ac tandem obiit anno 1397. Ut adeò erraverit Jo. Trithemius, dum hunc Henricum de Hassia claruisse temporibus Ruperti Regis Romanorum anno Domini MCD. scribit. Porro quæ de Henrici obitus anno asserimus, gravissimè & invictè probat *charta Capituli Generalis Carthusiensis*, anno 1397. in Cartusia Seitzensi, adeoque in Austriæ vicinia celebrati, in qua charta his ad mox dictum annum verbis obitus Henrici de Hassia refertur. *Obiit Reverendus Magister Henricus de Hassia, sacerdos habens tricenarium.* Et additur: *Obiit Reverendus Magister Henricus de Oyta sacerdos habens tricenarium.* In margine coævus hæc addidit: *Obitus Doctorum de Hassia & de Oyta.* Chartæ consentit Codex MS. Carthusiæ Gemnicensis, cujus eruditus Bibliothecarius Ven. P. Leopoldus Wydemannus omnia isthæc nos docuit, in quo *explicit Tractatus de Contractibus editus per Reverendum virum Mag. Henricum de Hassia in Studio Wiennensi anno Dom. MCCCLXXXXV. qui obiit anno MCCCLXXXXVII. in crastino Scholasticæ Virginis, cujus anima requiescat in pace. Ex quibus*, inquit R. P. Leopoldus, rerum domesticarum scientissimus, *liquet, Henricum de Hassia, qui Wiennæ Theologiam docuit, certissimè obiisse anno 1397. & quidem in crastino S. Scholasticæ.* Insuper ex iidem testimoniis colligitur, eum nulli penitus unquam Ordini religioso nomen dedisse. Non *Augustiniano* (Quod quorundam somnium est à Philippo Elssio in Encomiastico Augustiniano multis figmentis & erroribus ornatum) quia hunc Charta Capituli Generalis expressisset. Non Carthusiensi: quia in hoc nulli nisi totius Ordinis Generali compellatio *Reverendi* tribuitur, qua tamen Henricus de Hassia & Henricus de Oyta in ipsa charta, ùt vidimus affecti sunt. Restat igitur, ut, nullo præterea Ordine sibi hunc Henricum de Hassia vendicante, is *Presbyter secularis*, &, ùt Trithemius in quadam ejus epistola reperisse se ait, *Canonicus Ecclesiæ Wormatiensis* extiterit. Ejus Epitaphium in Codice Tegernseensi sic habet:

Mortales cuncti moveat vos tumba sepulti
Hassonis Hainrici vermibus esca dati.
Mors est à tergo: sapiens homo se paret ergo.

De ejus Operibus infra dissseremus. Nunc de altero Henrico de Hassia, *Juniore*, ac Ordinis Carthusiani Monacho agamus, de quo ita Trithemius Lib. de Script. Eccle. c. 754. *Henricus de Hassia Junior Ordinis Carthusiensium, Prior Domus Monachorum Mariæ, vir in Divinis Scripturis eruditus, & secularis Philosophia non ignarus, ingenio subtilis & clarus eloquio, edidit multa elegantissima volumina, quibus nominis sui memoriam posteris*

fleris reliquit, & multa eorum in Gymnasiis universalibus publicè ante Religionis ingressum legit, è quibus ista feruntur:

Super sententias Lib. IV.
In Genesim Lib. I.
In Exodum Lib. I.
In Parabolas Salomonis Lib. I.
In Apocalypsin Johannis Lib. I.
Dialogus inter Episc. & Presbyterum Lib. I.
Sermones utiles Lib. I.
Et quadam alia.

Moritur sub Sigismundo Imperatore, & Martino Papa V. anno Domini MCDVIII. Indict. VI. Hæc Trithemius: quæ omnia sana sunt, si levius erratum in consignando Henrici Monachi emortuali anno excipias. Non enim (ut nos P. Leopoldus Wydemannus monuit) anno 1428. nec anno 1429. ùt vult Carolus Josephus Marotius Abbas Reform. *S.* Bernardi in Tractatu seu Theatro Chronologico Ordinis Carthusiensis, sed præcisè anno 1427. die 12. Aug. è vivis excessit Henricus de Hassia Cartusianus, quod & Charta Capituli Generalis Ord. Carthus. & liber Anniversariorum Cartusiæ Gemnicensis testantur. Errori ansam præbuisse P. Leopoldo ille videtur, qui Ordinis Carthus. consuetudinem non rectè tenuit. Namque in charta anni 1428. his verbis Obitus Heinrici exprimitur: *Obiit D. Heinricus de Hassia Prior Domus Gelriæ, qui habet similem*, id est, *plenum cum Psalteriis Monachatum, cujus obitus dies scribatur in Kalendariis sub Die - - - Ubi nota*, inquit accuratissimus amicus noster, *diem, quo Henrici obitus consignandus erat, ad annum 1428. omitti, quia eo adhuc tempore de illo non constabat. Ast exprimitur ad annum 1429. his verbis*: Obiit D. Heinricus de Hassia Prior Domus Gelriæ, cujus Monachatus anno præterito fuit denuntiatus, & obiit XII. Augusti: cujus anniversarium scribatur in Kalendariis sub die prædicto. *Dum ergo non nemo in Chartis annorum 1428. & 1429. ista de Heinrico legeret, nec adverteret diem obitus ad 12. Augusti exprimi, putabat Henricum altero horum annorum vita functum esse inscius vel immemor Consuetudinis Ordinis, quæ hujusmodi est. Singulis annis ipsa hebdomada, quæ Dominicam Rogationum proximè antecedit, celebratur Capitulum Generale, atque adeo id semper vel mense Majo, vel sub finem Aprilis peragitur. Cùm itaque Henricus de Hassia Cartusianus in Charta anni 1428. obiisse dicatur, & dies obitus ejus duodecima Augusti statuatur, quæ dies post Capitulum mense Majo anno 1428. coactum illuxit, necessariò concludendum est, eundem mortuum fuisse anno 1427. die XII. Augusti. Si enim defunctus esset anno 1428. die XII. Aug. qua ratione ejus obitus denuntiari poterat eodem anno per Capitulum Generale Mense Majo congregatum? Erravit igitur, qui Henricum de Hassia, Carthusiensem Priorem anno 1428. elatum fuisse, Tritbemium docuit. Similis error, ne in emortualibus Henrici de Hassia senioris, Theologi Viennensis, & Henrici de Oyta annis, qui in Charta anni 1397. referuntur, accidat, ad utriusque diem obitus probè attendendum erit. Obiit Henricus de Hassia senior in crastino S. Scholastica, id est: mense Februario, à quo usque ad Majum Wicunâ Seitzium Stiriæ Carthusiam, dies obitus facilè perferri poterat, atque adeo nullum dubium est, quin eodem anno, quo in Charta ejus anni Henrici obitus recensetur, etiam evenerit. Sed cùm Henricus de Oyta die undecima Maji, qua olim etiam apud Gemnicenses anniversaria ejus memoria celebrabatur, inter mortales esse desierit, non potuit dies obitus ejus ad Capituli Generalis, 1396. collecti notitiam commodè pervenire. Unde denuntiatio diei obitus Henrici de Oyta differenda fuit ad annum 1397. tametsi obiisset jam anno 1396. die prædicta.* Hæc Venerabilis P. Leopoldus. Ad Henricum de Hassia Carthusianum redeundum, quem *multa elegantissima volumina in Gymnasiis Universalibus publicè ante religionis ingressum legisse* Trithemius auctor est. Utinam is etiam nobis, quæ illa *universalia Gymnasia* fuerint, edisseruisset! Si omnino fidendum esset Codici Tirnsteinensi, dubitari non posset, Henricum hunc ante susceptum Ordinem Carthusiensem in Academia *Heidelbergensi* Sententias interpretatum fuisse. Ita enim ibi post *Tractatum de-*

Clavibus seu de *Confessione*, qui incipit: *tibi dabo claves regni cælorum* &c. se habet clausula: *explicit Tractatus compendiosus M. Haiurici de Hassia, compositus Heidelbergæ anno 1414.* Verùm cùm Trithemius Heidelbergæ propinquior sub titulo de *eruditione Sacerdotum*, eum Tractatum Henrico de Hassia *Seniori*, dicto de Langenstein, alius autem Codex Tirnsteinensis, uti & Dorotheanus ac Claustroneoburgensis *M. Johanni Cusuo Ord. Præd.* attribuant, theatra illa & *Universalia Gymnasia*, in quibus eruditionem suam Henricus de Hassia *junior* explicuerit, dubia adhuc & incerta sunt. Sed quæcunque ea demum fuerint, certè in universali Gymnasio Wiennensi Henricus hic junior de Hassia, postea Cartusianus nullis unquam disciplinis Theologicis studiosam Juventutem imbuit, utpote cujus nomen & dignitas nec in Catalogo, quem de hujus Archigymnasii Rectoribus aliisque illustribus doctrinâ viris Georgius Ederus edidit, nec in ullo tot MSS. Austriæ Codicum, quos equidem vidimus, excepto uno Tirnsteinensi, occurrit, quod fieri vix potuisset, si tot elegantissimorum voluminum conditor aliquando in Gymnasio Wiennensi claruisset, cùm contra Senioris Henrici de Hassia opusculis propè omnes bibliothecæ refertæ sint extentque non pauci Codices, qui ejus nomen & Magisterii Wiennensis dignitatem inculcent. Ex quibus omnibus, ni fallimur, satis certum fit, non solum Henricum de Hassia, Theologum Wiennensem ab Henrico de Hassia Cartusiano diversissimum esse, sed & omnia, ni aliud certissima ratio suadeat, sub Henrici de Hassia nomine Opera, quæ in Austriacis, viciniorumque regionum bibliothecis adservantur, uni Henrico de Hasia, dicto de Langenstein, seniori, & Theologo Wiennensi, non Henrico de Hasiâ juniori, postea Carthusiensi apud Geldros Priori esse attribuenda. Superest jam, ut de Operibus senioris Henrici de Hassia tractemus, non de omnibus quidem & typis jam excusis, quorum magnam partem Henricus Wharton post Possevinum, Gottefridus Olearius, aliique indicant, sed de ineditis potissimùm & in diversis Austriæ ac Bavariæ Bibliothecis à nobis repertis. Ea verò hæc sunt:

1. *Tractatus contra proprietatem Monachorum.* Inc. *pro salute eorum* &c. Extat in pluribus Codd. Gemnicensibus & Mellic. quorum unus lit. o. num 50. signatus hanc rubricam præfert: *incipit Tractatus de reprobatione proprietariorum Monachorum professorum, effectus, ut fertur & piè creditur per Rev. Mag. Henricum de Hassia.* In alio H. 33. insignito *explicit Tractatus de vitio proprietatis Claustralium Mag. Heurici de Hassia Doctoris in Theologia eximii, studii Wiennensis fundatoris.* In Carthusia Axpacensi habetur Codex, qui præter Johannis Gersonis (huic enim dissertè in Codice ejusdem Carthsiæ sec. XV. tribuitur) Tractatum de proprietate Monachorum: *manifestum est* &c. etiam complectitur Henrici de Hasia ejusdem argumenti Opusculum, de quo præcipuè hìc agimus. In fine utriusque hæc leguntur: *item præscripti duo tractatus de proprietate leguntur ad eruditionem & terrorem juvenum in Refectorio in Domo Septz, & præcipuè secundus, scilicet Henrici de Hassia ante diem Palmarum diebus vacantibus, vid. in festo Annuntiationis Dominicæ, aut Gregorii, Benedicti vel Ambrosii, prout tempus postulat vel admittit.*

2. *Tractatus* seu *sermo* amplus in illud: *ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te &c. Novistis fratres dilectissimi in Domino JEsu regulariter congregati* &c. Extat sub Heinrici de Hassia nomine in bibliotheca Cartusiæ Axpacensis, Gemnicensis & Mellicensis Monasterii. Ab hoc Tractatu seu sermone probè distinguendus est alius ejusdem argumenti sermo, qui incipit: *ecce nos reliquimus omnia &c. Hæc sunt verba Apostolici coetus* &c. ad cujus calcem in Codice Dorotheano notat manus coæva, hunc sermonem *ob stili similitudinem rectiùs Mag. Petro de Pulka, quàm Nicolao de Dinckenspuhel* attribui. Nihilo tamen minus de hoc ipsissimo Sermone hæc habet Codex Tirnsteinensis: Nicolaus de Dinckenspühel *sermo prædicatus in Neuburga Claustrali in electione Georgii Præpositi ibidem.* Nec dubium, quin hunc ipsum sermonem innuerit Trithemius, dum Henricum de Hassia seniorem ait scripsisse *ad Canonicos Regulares librum I. ecce nos reliquimus.* Verùm hic sermo Tractatus ad Canonicos Regulares Claustroneoburgenses non Henrici de Hasia, sed vel Nicolai de Dinckelspühel

hel vel Petri de Pulka est. Nec enim satis nobis ex MSS. Codd. constat, primum ejusdem Thematis sermonem ab Henrico de Hassia ad ullos Canonicos habitum fuisse, licèt id fieri potuisse non negemus.

3. Ejusdem *Tractatus contra proprietatem Religiosorum.* Incip. *regularium sive claustralium sacra religio* &c. Ita Cod. Florianensis membr. in 4. manu seculi XIV. Fortè hic unus unicus de hoc argumento genuinus Henrici de Hassia Tractatus est.

4. Tractatus de Missa. *Quàm brevis fuerit Missa* &c. Extat in Bibliotheca Axpacensi, Tirnsteinensi, Glunicensi, & Mellicensi & Gemnicensi.

5. *Vocabularius Biblicus* hoc titulo: *Henrici de Hassia Vocabularius perutilis terminos Biblie novi & veteris Testamenti pregnantes ac difficiles optimè declarans.* Inc. *Difficiles studio partes, quas Biblia gestat* &c. *A littera. Sicut dicit Isidorus in primo libro Etymol. ideo in omnibus linguis* &c. Vidimus hoc opus typis excusum in Bibliotheca Altenburgensi & Cremifanensi fol. sine certo tempore ac loco editionis, quæ tamen anno 1500. recentior esse vix possit.

6. Sermones IX. Quorum I. est *de Conceptione B. Mariæ V. Ædificavit Dominus DEus costam &c. ad laudem gloriosæ &c.* in Codd. Bibliothecæ Dorotheanæ ac Cremifanensis. II. Ejusdem argumenti hoc initio: *Ave Maria gratia plena &c. Virgo Maria David* &c. in Codice Mellicensi A. 5. ubi tamen notatur hunc sermonem tantùm *ascribi M. Henrico de Hassia.* III. *De assumptione B. Mariæ Virg. Quasi cedrus &c. scribitur Eccli. c. 24.* &c. in Bibliotheca Mariæcellensi. IV. Ejusdem argumenti hoc exordio: *loquente JEsu ad turbas &c. beatus venter* &c. in Codice Mellicensi E. 57. V. *De Nativitate B. Mariæ Virg. Ipse fundavit eam &c. magna utique & gloriosa* &c. in Bibliotheca Mariæcellensi & Cremifanensi. VI. *De SS. Trinitate. Non est similis tui &c. si plebs fidelis* &c. in Bibliotheca Tirnsteinensi Cod. E. 86. & Mellicensi G. 5. VII. *De S. Bernardo. Lex DEI ejus &c. locuturus de lege* &c. in Codice Mariæcellensi. VIII. *In Cœna Domini. Accipite & manducate &c. Quàm difficile est* &c. in Codice Cremifanensi. IX. *In die Animarum. Sancta & salubris est. &c. Statim ante verba* &c. in Codice Mellicensi L. 7. Plures Henrici Sermones in Bibliotheca Gemnicensi extare docuit nos Ven. P. Leopoldus Wydemannus.

7. *Tractatulus de arte prædicandi.* Incipit: *ars prædicandi est scientia docens &c.* Typis expressum vidimus ante annum 1500. *per Johannem Grüninger incerto loco.*

8. *Tractatus de Cognitione peccati*, seu de *Cognitione sui*, vel *de septem* (ita variant Codices) *peccatis capitalibus* lingua Germanica. **Unser HErr JEsus Christus der aller Welt** &c. In Codice Tirnsteinensi C. 19. In fine: *& sic est finis hujus libri, quem Mag. Henricus de Hassia primus Doctor Universitatis Wiennensis de cognitione sui Duci Alberto* [composuit.] Extat & aliquoties in Codd. Mellicensibus.

9. *Expositio Symboli.* Eam duplicem reperimus. Unam hac præfatione: *funiculis triplex* &c. Incipit Opus: *circa scalam, per quam* &c. In Bibliotheca Tirnsteinensi Cod. P. 19. Alteram & à Trithemio memoratam, quæ incipit: *credo in DEum. Interea, quæ* &c in eadem Bibliotheca.

10. *Commentarium in Librum Quartum Sententiarum.* Inc. *quia in quarto Sententiarum* &c Cod. Tirnsteinens. C. 7.

11. *Tractatus de Confessione.* Incipit: *Quia ut ait Ambrosius &c.* Codic. Tirnsteinens.

12. Opus, cui titulus: *Auctoritates S. Theologiæ.* Inc. *Theologia est Regina* &c. in Codice Tirnsteinen. chartaceo 4. sine numero. In alio ejusdem Bibliothecæ Codice signato B. 34. vocatur *Tractatus subtilis scientiæ Divinæ commendatorius.*

13. *Tractatus de X. Præceptis.* Incipit: *audi Israël &c. In verbis propositis Spiritus Sanctus circa divina* &c. In Codice Cremifanens. & Mellicensi G. h. In Codice tamen Tirnsteinensi B. 32. Henrico de Firmaria, seu Vrimaria tribuitur.

14. *Tractatus super Orationem Dominicam*, quem Trithemius ita incipere ait: *Divina sapientia rebus &c.* sic incipit in Codice Tirnsteinensi & Mellic. b. 27. *Reverendo in Christo Patri ac D. Domino* * *Ekardo &c. Divina sapientia rebus* &c.

* *Cod. Mellic.* Erhardo.

15. *Speculum animæ.* Inc. *anima mea novi, quòd curiosa es* &c. In Bibliothecis Tirnsteinensi, Dorotheana, Mellicensi & Gemnicensi, in cujus Codice notatur, opusculum esse *impressum.*

16. *Tractatus de Verbo in Divinis.* Inc. *quis mihi det verbum* &c. In Bibliotheca Dorotheana & Gemnicensi, ubi *explicit 1393.*

17. *Carmen* Epicum, *an castor comedi debeat in diebus jejuniorum.* Incipit in Codice Bibliothecæ Dorotheanæ 91.

Suscipe magne Pater, Præsul cunctis venerande &c.

18. *Lectura super Prologo Bibliorum.* Inc. *ita scribitur in capite totius* &c. in Codice Cremifanensi fol. & Gemnicensi. fol. ch. S 2. & T. 2.

19. *Sermo in illud Genesis 3. in sudore vultus tui* &c. Inc. *Hoc verbum Genesis 3.* &c. In Codice Axpacensi.

20. Aliud vastum Opus in illud Genesis: *in sudore vultus tui &c. Itaque ostensum est in præcedentibus, qualiter primus homo justè afflictus est* &c. In Codd. Mellicens. fol. A. 40. & L. 10. Est sine dubio pars tantum Commentariorum in Genesim. Integra I. II. & IVum volumina extant in Bibliotheca Gemnicensi in fol. IIIium periisse videtur.

20. *Dubia de jejunio Ecclesiastico, & eorum resolutiones.* Inc. *circa illud verbum Jobel, Prophet.* &c. In Cod. Dorotheano n. 89. In fine Operis: *expliciunt dubia bona de jejunio lecta à Mag Henrico Doctore in Theologia in almo studio Wiennensi.*

21. *Quæstiones de blasphemia & peccato in Spiritum Sanctum.* Inc. *omne peccatum & blasphemia &c. postquam Dominus* &c. In Codice Lambacensi chartaceo 4.

22. Resolutio Quæstionis: *utrum mali spiritus sint magis solliciti contra hominem, quàm Angeli boni in contrarium?* Inc. *arguitur, quòd sic. Angeli non &c.* In Codice Axpacensi.

23. *Determinatio quarundam Quæstionum & propositionum de Sacramento Eucharistiæ.* Incipit: *Petrus Apostolus JEsu Christi, Catholici gregis &c.* In Cod. Dorotheano.

24. *Tractatus de Sacramento Eucharistiæ juxta X. Prædicamenta.* Inc. *ad honorem Corporis Dominici, quod tractum est &c.* In Cod. Mellicensi L. 46. & Gemnicensi in 8 num. 16.

25. Tractatus: *Quare DEus permittat suos electos multipliciter in hoc Mundo tribulari.* Inc. *justus quidem tu es Domine &c.* In Codice Carthusiæ Olomucensis & Gemnicensis 8. num. 60. Sed Ven. P. Leopoldus Wydemannus non sine causa suspicatur id Opusculum esse Stephani Prioris Olomucensis, Cartusiani. Extat etiam Mellicii in Cod. h. 28. & L. 39. Fortè hic Tractatulus idem est atque de *conditionibus animæ Soliloquium,* quod sub Henrici de Hassia nomine in Tomo II. Orthodoxograph. p. 1607. editum prostare testatur Wharton in Append. ad Cavei Hist. Litt.

26. *Tractatus de improbatione Epicyclorum & Concentricorum.* Extat acephalum in Cod. Mellic. b. 16. In fine: *explicit Tractatus & de improbatione &c. editus à Mag. Henrico de Hassia Almanno anno Domini 1393.*

27. *Tractatus de pœnis damnatorum.* Inc. *sciendum, quòd in fine temporum &c.* In Cod Mellicens. L. 7.

28. *Tractatus de habitudine causarum & influxu naturæ communis respectu inferiorum.* Inc. *Quia libenter scire vellem &c.* Cod. Mellic. L 9.

29. *Liber IX. Quæstionum de Passione Domini.* Inc. I. Q. *primò quæritur, an Christus tribus vel quatuor clavis cruci fuerit affixus.* Mellicii in Cod. J. 10.

30. *Tractatus de Passione Domini per septem horas Canonicas.* In Cod. Mellic. sic incipit: *septies in die laudem dixi tibi. Rogasti me &c.* quod est initium Opusculi etiam à Trithemio delibatum. Sed in Codice Dorotheano 93. & Gemnicensi num. 28. & 143. ita incipit: *ut Doctorum testatur auctoritas &c.*

31. *Cor-*

31. *Cordiale* seu *Tractatus de Quatuor Novissimis.* Inc. *memorare novissima tua, & in æternum non peccabis Eccli. 7. Sicut dicit beatus Augustinus in libro Medit. &c.* In Codice Mellic. L. 7. *explicit Tractatulus saluberrimus editus à claræ memoriæ Mag. Henrico de Hassia in studio Wiennensi.* In alio tamen Codice Mellic. signato lit. G. num. 18. notat quædam seculi XV. manus, *dubium esse, an Henricus hujus Operis auctor sit.* In Codice Claustroneoburgensi tribuitur Thomæ de Haselbach Sed quisquis hujus operis auctor sit, id ante annum 1500. in 4. maj. typis excusum in pluribus bibliothecis vidimus.

32. *Epistolæ.* I. Sub nomine Luciferi *missa & inscripta Principibus Ecclesiasticis*, Inc. *Lucifer Princeps tenebrarum terrestria profundi regens, Acherontis Imperator, Dux Erebi &c.* Extat sine Henrici nomine in Cod. Mellic. Q. 47. Sed in Codice Tegernseensi disertè Henrico de Hassiæ tribuitur, qui sub Luciferi nomine vitia Ecclesiasticorum acerbè traducit & exagitat. II. *De Contemptu Mundi.* Inc. *Reverendo Domino ac genere præclaro, Domino Johanni de Eberstein, Camerario Moguntino, suus ubique Clericus humillimus, Heinricus Langenstein, dictus de Hassia, post mundana cœlestia, post Marthæ solicitudinem Mariæ sororis requiem. Benigno vestræ charitatis &c.* In pluribus Codd. Mellic in quorum uno H. 28. signato inscribitur *Moralizatio cujusdam picturæ de cursu Mundi.* III. De *Contemptu divitiarum.* Inc. *Amicorum sincerissimo, virtutis & scientiæ meritis reverendo G. de Hippollren. Ecclesiæ Magunt. Decano Heinricus Langenstein dictus de Hassia, suorum minimus, felici prosperitate vivere, & secundum successus semper abundare in Domino. Præcharissime, audiens Imperatoris &c.* In Cod Mellic. O. 25. & in Codice. H. 6. ubi *Epistola de Humilitate* dicitur IV. In Registro librorum Bibliothecæ Mellicensis anno 1517. à fr. Stephano Burckhardi collecto memoratur Codex H. 92. in quo fuerit *Edistola Mag. Hainrici de Hassia ad Canonicos Neuburgenses.* Verùm is nunc nuspiam occurrit.

33. *Meditatio devota Missam cantaturi. Exurge nunc anima mea &c.* In Cod. Gemnicensi manu sec. XV. 4. num. 45.

34. *Epistola* prolixa, veriùs *Tractatus de Contractibus emptionis & venditionis*, viginti sex documenta salutis continens, ad cives Wiennenses. Inc. *Honorabilibus magnæ discretionis viris Magistro civium &c.* In Cod. Gemnicensi manu sec. XIV. fol. lit. S. 2. Ab hoc Opere distinctus est ejusdem Henrici *Tractatus bipertitus de Contractibus*, qui incipit: *in sudore vultus tui &c. tanta erat illius primæ transgressionis &c.*

35. *Carmen invectivum in Schisma sui temporis.* Inc.

Heu frustra scripsi, multos dictamine movi &c.

Sunt ultra octingentos versus Hexametros. In Cod. Gemnicensi 4. num. 44. In fine: *explicit invectiva contra monstrum Babylonis, edita per H. de Hassia anno à nativitate Domini MCCCLXXXXIII. proxima Dominica post Festum Corporis Christi hora completorii.*

36. *Liber* seu *Tractatus adversus Telesphori Eremitæ vaticinia de ultimis temporibus.* Extat MS. in bibliotheca Dorotheana & in Carthusia Gemnicensi, ex cujus Codice operâ Ven. P. Sebastiani Treger erutum hic habes à col. 505. ubi tamen verba illa: *Ordinis Carthus.* ex dictis delenda sunt. Elegantem ac doctum Librum, etiam Trithemio laudatum, Henricus scripsit anno 1392. ut ipse nos docet cap. XXV. XXXIV. &c. In eo totus est Henricus, ut Thelesphori somnia de fortuna Paparum, cessatione gravissimi schismatis, quod seculo XIV. & XV. universam Ecclesiam vexavit, & adventu Antichristi solidis rationibus confutet. Cæterùm hic ipse Thelesphorus ille est, quem Arnoldus Wion. Lib. II. Ligni vitæ cap. 78. inter Benedictinos Scriptores his verbis celebrat: *Thelesphorus Monachus & Eremita, qui floruit anno 1386. scripsit Prophetiarum librum unum: quem MS. vidi Venetiis apud Hieronymum Porrum.* Idem Prophetiarum, seu veriùs ineptiarum liber habetur in Codice Gemnicensi hoc exordio: *in nomine Domini nostri JEsu Christi & gloriosæ Genitricis ejus, ac totius cœlestis curiæ triumphantis. Amen. Incipit libellus fratris Thelosfori Presbyteri Eremitæ secundum auctoritates supra * scriptorum Prophetarum & vera-* * leg. infra.

rum chronicarum de causis, statu, cognitione, ac fine præsentis schismatis, & tribulationum futurarum, maximè tempore futuri regis Aquilonis vocantis se Fridericum Imperatorem tertium, usque ad tempora futuri Papæ, vocati Angelici Pastoris, & Karoli Regis Franciæ futuri Imperatoris post Fridericum tertium supra dictum. Item de summis Pontificibus Romanæ Ecclesiæ, ac statu universalis Ecclesiæ à tempore dicti Angelici pastoris usque ad tempus ultimi Antichristi: item à tempore & per tempus dicti ultimi Antichristi, ac post mortem ipsius usque ad extremum DEI judicium & finem Mundi. Universis & singulis fidelibus Christianis, Ecclesiasticis & secularibus humilis frater Theloforus de Cusentia, pauper Presbyter & Heremita propè Thebas, humiliari sub Divinæ potentia majestatu, ac ipsius gratiam & gloriam. Cùm tristis & dolens de malis præsentis schismatis &c. Universo fabularum plaustro nuncupatoriam Epistolam Thelesphorus præfixit in hunc modum: *Magnifico viro Patri & Domino meo in Christo Antonio, Januensium Duci Clarissimo frater Thelophorus Heremita gratiam Christi JEsu. Præsentem libellum pro animarum salute &c.* Finit epistola: *Datum in Heremo agri Herculani propè Thebas die III. Septembris.* Denique hoc Telesphori opus, quod magnitudine Henricianam confutationem longè superat, etiam in Electorali bibliotheca Monacensi olim extitisse collegimus ex ejusdem Catalogo Codd. MSS. in quo *Theolofori de devotione Religionis Liber I. & alius de futuris schismatibus memorantur.* Sed de his satis.

JOHANNIS AB. DE PROFESS. MONACH. LIBER. col. 565. XII. *Johannis Abbatis* Librum seu Tractatum *de Professione Monachorum Aureum* inscripsimus, nulla alia vel auctoritate vel ratione, quàm ipsius Opusculi præstantia ad id audendum promoti. Nec admodum timemus, ne tanta de illo concepta opinio & honorificum judicium ab ullo, qui quidem in hujus generis doctrina peregrinus non fuerit, nobis exprobrentur. Nihil enim in hoc toto Tractatu est, quod Viris Monasticæ ac religiosæ vitæ addictis die noctuque in oculis & animis, atque *aureum* habendum non sit. Liber hic in tres partes dividitur, *in* quarum *prima forma Professionis Monachorum* (Ordinis S. Benedicti) *declaratur. In secunda profitentium temeritas reprimitur. In tertia jam professorum negligentia excitatur.* Quæ omnia eo vigore, libertate, gravitate ac suavitate brevitateque præstat Johannes noster, ut vel ideo suspicari fas sit, Auctorem *aurei libri de Imitatione Christi* ab auctore hujus Tractatus distinctum non esse. Verùm cùm hæc majoris molis disputatio sit, eam in *Bibliotheca Benedictina*, ubi pro Johanne Gersene, Abbate S. Stephani Vercellis aliunde pugnandum erit, commodiùs quàm hoc loco instituemus, allatis in medium non spernendis rationibus, quibus verò simillimum reddetur, Abbatem hunc nostrum Johannem eundem esse, atque famigeratum illum Johannem Gersenem, cui Libros IV. de Imitatione Christi dudum nostri vindicârunt. Nunc tantùm de Codicibus MSS. in quibus hoc Johannis Opus adservatur, disseremus. Porro in Mellicensi Monasterio IV. ejusmodi Codices extant, ex quibus etiam Johannis Librum in lucem protraxit R. P. Godefridus Depischius, contubernalis noster. Primus est membraneus in 8. signatus Litt. E. num 8. qui, etsi nota anni, quo exaratus est, destitutus sit, ipsa tamen litterarum conformatione ad seculum minimùm XIVtum. apertissimè provocat. In antico assere hæc leguntur: *ego Petrus de Lanczhuta anno 1420. rescripsi omnia, quæ iste libellus continet.* Quæ verba judicium nostrum de hujus Codicis ætate confirmant. Atque hic Codex prima & indubia manu titulum exhibet, quem nos col. 567. fideliter dedimus. Alter Codex itidem membraneus est in 12. notatus Lit. L. num. 24. qui fine dubio is ipse est, quem se Petrus de Lanczhuta anno 1420. exarâsse paulo ante testatus est. Nam præter Tractatum Johannis Abbatis alia omnia, quæ in primo Codice habentur, etiam in hoc altero eodem ordine comparent. Tertius & auctior Codex est chartaceus in 8. signatus Lit. L. num. 73. qui, cùm una eademque perscriptam contineat nostri Johannis de Spira Quæstionem: *utrum Monachus, qui contra præceptum sui Prælati comedit carnes, peccet mortaliter*, complectatur, ante annum 1418. describi non potuit. In hoc verò Codice prima manu sic auctoris titulus expressus est: *Incipit Expositio super professione Monachorum edita à fratre Wilhelmo Ordinis Prædicatorum,*

qui

qui etiam composuit summas Virtutum & Vitiorum. Ubi illa verba: *à fratre Wilhelmo &c.* induxit alia, certissimè tamen seculi XV. manus, substituitque in margine: *Johanne Abbate.* Quartus Codex chartaceus in 4. qui nomen *Johannis Abbatis* præfert, caret quidem nota chronica, sed se seculo XV. antiquiorem non esse, vel solis, quibus exaratus est, characteribus loquitur. In fine: *explicit Tractatus Johannis Abbatis, qui dicitur Speculum Monachorum tractans de professione Monachorum*: quam clausulam alia ejusdem seculi manus induxit. In postico ejusdem Codicis assere, ubi elenchus Opusculorum eodem Codice contentorum comparet, octavo loco recensetur *Tractatus Jo. de Villa Abbatis de professione Monachorum, præsertim nigrorum 168.* Denique in Codice Mellicensi chartaceo in 4. lit. Q. num. 30. notato exhibentur manu nostri Johannis de Spira *Excerpta ex Tractatu Johannis Abbatis de Professione Monachorum*, à nobis vulgato. Nec dissimulandum, in bibliotheca Benedictoburana extare Codicem membraneum in octavo, quem nos seculo XIV. recentiorem esse non posse judicamus, ubi prima manu: *explicit Tractatus fratris Wilhelmi de Professione Monachorum Cistertiensium.* Qui Tractatus is ipse est, quem nostri Codices Johanni Abbati tribuunt. Ex quibus intelligis erudite Lector non minus de hujus aurei *Libri de Professione Monachorum* auctore certamen esse, quàm Librorum *de Imitatione Christi*: ut adeò, si revera utriusque conditor fuerit Johannes Gersen Abbas Vercellensis, singulare sanctissimi viri factum extiterit, ut cujus gemmea scripta, quæ ad conciliandam animorum concordiam, amorem & unionem tantopere conferunt, tantas de genuinis natalibus suis controversias pepererint. Nobis interea nemo succensebit, quòd domesticorum & antiquiorum Codicum fidem secuti hunc Tractatum Johanni potius, quàm ulli alii attribuerimus.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ
IN
PARTEM TERTIAM
PRIMI TOMI
THESAURI ANECDOTORUM
NOVISSIMI.

I.

CUm nos minimè lateret, quanto desiderio in *Diplomata & antiquas Donationum, Complacitationum* &c. *chartas* nostrum seculum, à Cl. & Eruditissimo Zacharia de Uffenbach scitè *Diplomaticum* dictum, ferretur, in bibliothecarum ac Archivorum perlustratione ad comparandam hanc antiquariam supellectilem nostras curas non segniter contulimus. Quo effectum est, ut ingens Diplomatum Chartarumque moles in nostra scrinia transferretur. Illustre specimen præbeat *Codex Diplomaticus Ratisponensis, quo Diplomata Pontificia, Cæsarea, Regia, Chartæ Donationum, Concambiorum, Præstariarum &c. Episcopatum Ratisponensem, & Imperiale ac liberum Monasterium S. Emmerammi spectantia, à seculo Christi Octavo usque ad duodecimum continentur.* Eum ex pervetustis & magnam partem coævis MSS. Codd. Antiquissimi Cœnobii Sanct-Emmerammensis conflavimus, instrumentis singulis, quæ sine ordine temporum membranis inscripta reperimus, secundùm annorum seriem, ùt data videbantur, collocatis: id quod tamen nec semper nec ubique quàm CODEX DIPLOMATICUS RATISPONENS. col. 1.

 accura-

accuratissimè fieri potuit, tum ob alias rationes, tum maximè quòd notis chronicis, quas ejusmodi Diplomata præferebant, non satis fidendum videretur. Nobis id præcipuè curæ fuit, ut omnia eo modo, quo in vetustis exemplis singula reperimus, ad lectorum notitiam & usum perterrentur. Cæterùm nequaquam ignoramus, pluscula hujus Codicis Diplomatici monumenta typis mandata jam apud Jac. Gretserum S. J. & Hundium à Gewoldo illustratum, ac novissime apud V. C. Christianum Lunigium in Spicilegio Eccles. prostare. Verùm cùm ea, quæ ex Codice Diplomatico *Udalrici Babenbergensis* truncata, &, qui Diplomatum nucleus est, nominibus propriis destituta edidit Gretserus, edita dici nequeant: & Hundiana Gewoldianaque nec admodum multa, nec correctissima sint, nemo sanè indigniùs feret, quòd illa omnia, nunc demum Nominibus suis propriis instructa, plena, & ad optimorum vetustorumque Codicum fidem exacta hîc recudenda curaverimus.

CODEX TRADITIONUM SANCT-EMMERAMMENSIUM &c. à col. 79.

II. Non minoris pretii, quàm Codex Diplomaticus Ratisponensis, est *Codex Traditionum Sanct-Emmerammensium, quo itidem Chartæ Donationum, Commutationum, Concambiorum &c. Inclytum & Imperiale Monasterium S. Emmerammi Ratispona spectantes à seculo Christi Octavo usque ad tertium decimum exhibentur*, erutus à nobis in lucem ex veterrimo, & ni valde fallimur, Coævo Codice laudati Monasterii, unde nobis ejus copiam fecit de studiis nostris meritissimus A. R. D. Pater Anselmus Goudinus, alibi à nobis celebratus. Porro ex illo Codice non omnes *traditionum chartas* excerpsimus, sed eas duntaxat, quæ lucem aliquam rebus historicis afferre possint, cujusmodi tam multæ in hoc Traditionum Emmerammensium Codice occurrunt, ut vix ullum antiquius Monasterium, familia, vel locus in Bajoaria sit, cujus res harum chartarum ope in ampliori lumine non collocentur. Columna 187. & seqq. conspicies quasdam chartas, sub *Pavone* seu *Pabone* Sanct-Emmerammensi Abbate adornatas, velut extra ordinem exhibitas, propterea quòd in Catalogis Abbatum Emmerammensium nullus seculo XI. & XII. *Pabo* compareret, indeque nobis suspicio suboriretur, hunc Pabonem vel intrusum, vel alio vitio Abbatem Emmerammensem creatum fuisse. Sed cùm Tomi VI. P. II. Conciliorum Harduini nuper, nescimus, qua causâ evolvissemus, incidimus in Innocentii II. P. M. epistolas, quæ non solùm suspicionem nostram egregiè roborabant, sed etiam apertè demonstrabant, Pabonem legitimis Abbatibus Emmerammensibus accensendum esse, id quod ab Hundio & Reverendissimo D. Abbate Sanct-Emmerammensi Cœlestino in Mausoleo Emmerammensi silentio præteritum fuisse miramur. Epistolas Innocentii II. vide sis loc. cit. à. col. 1179. quarum prima data est ad Conradum Archiepiscopum Salzburgensem, qua præcipit Pontifex, ut *de causa Pabonis seu Pavonis Abbatis S. Emmerammi, simonia accusati, accuratiùs cognoscat*: secunda verò & tertia inscripta est Henrico Episcopo Ratisponensi, in quibus eum ob denegatam Sedi Apostolicæ obedientiam objurgat, atque *hanc ei praecepti legem præfigit, ut infra dies viginti, postquam apices hos acceperit, transgressionem præteritam pleniùs corrigat, ut videlicet Pavonem Abbatem prædicto Monasterio integrè restituat, & ab ejus deinceps infestatione desistat. Alioquin*, inquit Pontifex, *ab omni Episcopali officio te noveris interdictum, donec praceptum hoc efficaciter impleas, & nobis de contemptu nostro justitiam exsequaris.* Hæc Innocentius: ob quæ vellemus traditiones sub Pabone Sancto Emmerammo factas suo ordine ac loco esse collocatas.

ANAMODI SUBDIACONI TRADITION. EMMERAMMENS. LIBRI II. &c. à. col. 191.

III. *Praclarus est*, inquit eruditissimus Mabillonius in Itinere Germanico, Tomo IV. Analectorum præfixo, *Codex Traditionum, scriptus ab Anomoto, dicatusque Ambriconi Episcopo*, vel ùt nobis videtur, Asperto Episcopo Ratisponensi, qui secundùm quosdam anno 886. Carolo Crasso adhuc imperante Ambricho seu Ambriconi in ea sede suffectus est. Certè A. Episcopus, cui Anamodus hoc illustre monumentum dicavit, utrumque admittit. Fuit hic Anamodus Ecclesiæ Ratisponensis Subdiaconus, ùt discimus ex Lib. II. cap. 29. ubi extat Commutatio inter Ambrichonem Episcopum & Anamodum, in qua *placuit cuidam rubitundo Clerico, nomine Anamodo, religioso videlicet Subdiacono quasdam res proprietatis suæ sibi ad tommodum perducere. Talem igitur*, inquit ipse Anamodus, *proprietatem, qualem piissimi Regis Arnulfi*

Arnulfi donatione odem Anamodus in Possessionem accepit in pago Vuestermannomarcha nuncupato juxta Prointala, in loco Reitinpuoch, in Comitatu Engildeonis Comitis, ad S. Petrum, Principem Apostolorum, sanctumque Martyrem Emmerammum cum mancipiis VII. contradidit, atque alligavit, in manum Ambrichonis Ven. Ep. & advocati ejus Gerberti & Gundberti &c. Actum ad Menzinpah. Hæc Anamodus ipse, qui, ut ait in præfatiuncula ad A. Episcopum, *plurimas scedas Traditionum atque Concambiorum, nec non & Commarcarum colligens, in unum Collectarioli hujus corpusculum complexuit atque conclusit, quatenus errore summoto faciliùs, cùm necesse foret, per capitula antenotata nanciscerentur & cognoscerentur.* Codex ex quo hoc monumentum, quo fortè præstantius Bajoaria non possidet, edidimus, sine dubio avtographus & authenticus est, exaratus in membranis in 4. In eo nulla charta seculo IX. recentior reperitur, nec ejus ope res tantùm Bajoaricæ, sed etiam Austriacæ insigniter illustrantur, quod pluribus locis, si otium esset, demonstrari posset. Cæterùm his tribus Diplomaticis Codicibus utique satis iis factum fuerit, qui *Codicis Diplomatici, ab Vdalrico Babenbergensi,* collecti editionem tam vehementer, etiam post repetita cujusdam adversus nos scripta, contenderunt. Nam & lectiorem Vdalriciani Codicis partem, quæ in Germanicis Diplomatibus versatur, longè hìc emendatiorem & pleniorem habent: & reliqua omnia necdum edita, etiam ea, quæ ille in publicum efferri quàm indignissimè tulit, in alio quodam nostro *Codice Diplomatico-Historico-Epistolari*, prelo propemodum jam parato, habebunt. Supprimimus itaque integram Vdalriciani Codicis editionem, nequaquam ob allatas ab adversario rationes, quæ viros doctos & eruditos non potuerunt impedire, quò nos minùs ardenter ad exsequenda prima consilia publicè ac privatim cohortarentur: sed propterea, ne eadem melioris notæ monumenta semel integra & plena, qualia in his tribus Codicibus Emmerammensibus à nobis producta sunt, & iterum mutila & truncata atque adeo inutilia, quo modo ea in Codice Vdalriciano extant, eodem integrè recuso edere cogamur. Quæ ratio nostra si quibus viris eruditis minùs probetur, nulla re alia opus est, quàm ut suam nobis voluntatem publicè demonstrent. Habebunt illico etiam integrum controversum Codicem in aliquo sequentium voluminum, si istis expensis adhuc Reipublicæ nostræ commodum fore judicabunt, quod ante hoc Opus in lucem emissum nos præstaturos polliciti sumus.

IV. Ne diffusiùs hoc loco de S. Hathumodæ, primæ Abbatissæ Gandersheimensis, anno DCCCLXXIV. ad superos translatæ, rebus ageremus, in causa fuit amplissimum Commentarium V. C. & Eruditissimi Georgii, Bibliothecæ Regio-Electoralis Hanoveranæ Præfecti, qui luculentum hoc noni seculi monumentum è nostro hoc primo tomo, typis jam excuso, à nobis acceptum, pro more suo scitè ac doctè illustravit, unaque cum aliis ejusmodi præclaris rebus secundis typis donavit. Collectio hæc Eccardiana *Monumentum Vetus* inscripta est, luci publicæ, dum isthæc litteris mandamus, fortè jam exposita. Ergo Notas Eccardi legat, qui quid exactius & accuratius de sanctissimæ hujus Benedictinæ Abbatissæ ætate, familia & id genus aliis nosse desiderat. De auctore Vitæ nonnulla nobis cum doctissimo Commentatore controversia est, quam hìc erudito Lectori paucis exponemus. Auctor ipse se *Agium, indignum Christi Sacerdotem* in Prologo nominat, quem Eccardus noster non alium fuisse autumat, quàm *Wicbertum*, ex Monacho Corbeiensi anno DCCCLXXX. creatum Episcopum Hildeshemensem, id quod hac potissimùm ratione probat. Ex Vita S. Hadumodæ haud obscurum est, *Agium* medicinæ peritum extitisse. Atqui in Monasterio Corbeiensi, quo viciniùs tunc nullum Gandersheimensi Parthenoni fuit, ea arte præcipuè claruit Wicbertus, cujus nomen in Monachorum Corbeiensium indiculo sub Adalgario Abbate tum apud Meibomium T. 1. Rer. Germ. pag. 755. tum apud Christianum Paullinum Rerum Germ. Syntagm. in Chronico Hüxariensi pag. 29. legitur: igitur Agius à Wicberto distinctus non est, maximè cùm *Wichbertus* in lingua veteri Theodisca idem prorsus sit, quod Agius vel ἅγιος in Græca, id est: *sanctus*, Wihe seu Weihe, nec apud veteres admodum insolens sit, nomina propria Theodisca Latinis vel

S. HATHUMODÆ I. ABBATIS GANDERSHEIMENSIS VITÂ AUCT. AGIO &c. a col. [illegible]

X u Græcis

Græcis vocabulis, quæ idem significent, reddere, cujus quædam exempla in Notis suis affert Eccardus. Verum etsi hæc eruditè dicta sint, nobis tamen nulla necessitas apparet ex *Agio* & *Wicberto* unum hominem conflandi, imò firmiter persuasum habemus, *Agium* auctorem vitæ S. Hadumodæ à *Wicberto* penitus diversum esse. Demus enim, Wicberto in mentem venisse, ut Theodiscum suum natale nomen cum Græco commutaret, verosimilene est, eum è Græcis vocabulis id assumpturum fuisse, quod & scriptum & pronuntiatum nihil prorsus diversum à Theodisco vocabulo haberet? At ejusmodi nomen *Agii* est, inter linguæ Theodiscæ vocabula dudum & passim receptum ac usurpatum. Apud Goldastum Tom. II. Rer. Alaman. pag. 404. inter nomina propria masculina in Alamannia Curiensi & Burgundionensi *Agimo*, *Agimundus*, *Aginaldus*, *Agio*, *Ajo*, *Agioaldus* reperiuntur. Paulus Warnefridi de Gestis Langobardorum Lib. IV. c. 1. *Agilulphum* Regem etiam *Agio* dictum fuisse memoriæ prodidit. Nec eo loco *Ago*, ùt in Bibliotheca PP. Colon. T. VIII. pag. 172. habetur, legendum est, sed *Agio*, ùt in suo Codice conspexit Vitus Arnpeckius, qui Chronici Bajoarici Lib. II. cap. III. Diaconum, & Monachum Cassinensem exscripsit. In Collectione Conciliorum Harduini duo nobis *Agii* occurrunt, quorum prior Episcopus Aurelianensis anno DCCCLIII. Concilio Vermeriensi interfuit: alter Archiepiscopus Narbonensis anno DCCCCXV. Concilium Cabilonense cum aliis Episcopis celebravit. Tom. II. Junii Bollandiani ad XIV. diem inter prætermissos sanctos etiam S. *Agia*, mater S. Lupi Episcopi Senonensis, qui seculo jam VII. claruit, commemoratur. Denique ne multi simus, in illo ipso, quem suprà citavimus, Corbeiensium Cœnobitarum indiculo, sub Warino II. Abbate paulo ante finem *Agicus* quidam differtè ponitur, quem nostrum *Agium* esse quis dubitet? Is itaque à Warino in Monasterium admissus, (id enim sibi vult collocatio & distributio nominum Monachorum sub certis Abbatibus in indiculo) sub Adalgario sanctis moribus & bonis litteris, ac fortè etiam arte medica ita clarere potuit, ut ejus consiliis tum ad corporis tum ad animi curam sanctissima Antistes Hadumoda seu Hathumoda frequentiùs & confidentiùs uti voluerit. Atque hæc de *Agio* S. Hathumodæ biographo nostra sententia est. Eruditorum interea virorum judicio relictum sit, quæ duarum harum disputationum plus similitudinis veri habeat. Cæterùm ipsa hæc Acta nobis conservavit Andreas, S. Michaëlis Abbas Bambergensis, qui ea Syntagmati suo MS. *de Viris & Fœminis Illustribus Ord. S. Ben.* integra inseruit. Hujus porro Andreani Operis apographum pridem utendum nobis misit A. R. & Cl. P. Æmilianus, Imperialis in Suevia Monasterii Ochsenhusani Ordinis nostri Prior Vir nostrorum studiorum cupidissimus, ex quo illa tandem accuratè deprompta prelo aptavit R. P. Benedictus Bonetus sodalis noster, cujus industriæ plura etiam alia monumenta, huic Thesauro illata, in acceptis referenda sunt.

ANONYMI ZWETLENS. HISTORIA ROM. PONTIFICUM &c. à col. 125.

V. Auctor hujus Historiæ, quis aut cujus fortunæ homo fuerit, nec ex ipso ejus Opere, nec ex Codice, ex quod in lucem protraximus, nec aliunde haurire licuit. Illud omnium certissimum, eum seculo duodecimo, quo Codex certo certius exaratus est, inferiorem esse non posse. Præterea eundem in Diœcesi Patavienſi vel Salisburgensi ætatem egisse, illud argumento est, quòd nullum locum prætermittat, ubi de celebris & inveteratæ illius controversiæ, quæ inter Archiepiscopos Salisburgenses & Episcopos Patavienses de prærogativa Metropolitana jam dudum versatur, compositione agere posset, ùt videre est in Pontificatu Agapiti II. & Benedicti VII. aliorumque plurium Præsulum Romanorum. Nos Auctorem *Anonymum Zwetlensem* inscripsimus, non quòd ejus loci Cœnobita Cisterciensis fuerit aut esse potuerit, sed quòd ex *Zwetlensis* Bibliothecæ Codice depromptus sit, id quod eruditorum virorum exemplis non vacat. Jam verò ad ipsam præsentem Historiam quod attinet, ea insignis est, maximè ad illos annos, qui ad auctoris ætatem propiùs accedunt, id est: ad seculum XI. & XIIum. Nam quæ prioribus seculis evenisse narrantur, ea apud alios jam extant, utpote ex veteribus Romanorum Pontificum *catalogis* & *Gestis*, ex confictis Primorum Paparum *Decretalibus Epistolis* ex

Pro-

Prospero &c. decerpta: Tametsi & in his quædam vulgo haudquaquam nota reperire sit. Nec illud observatu indignum, quòd nullum *Johannæ Papissæ*, ineptissimæ scilicet fabulæ vestigium apud nostrum, cæterà in reprehendendis Pontificum vitiis haud segnem, deprehendatur, sed concinno & perpetuo ordine Leoni IV. Benedictus III. inter quos commentitia illa Johanna plerumque collocatur, succedat. Par nostri silentium est de magicis artibus, quibus *Sylvester II.* antea Gerbertus, ad Romanum Pontificatum grassatus fuerit, ut quidam insulsissime commenti sunt, etsi eum *seculari litteratura nimium deditum, & ob hoc curioso Imperatori Ottoni III. amatum* fuisse neutiquam dissimulet. Sed hanc calumniam Sylvestro II. *impactam ab hominum mendacissimo Bennone*, ut verbis eruditissimi Papebrochii S. J. in Conat. Chronolog. ad Catal. Pontificum Roman. pag. 177. utamur, *centum annis ab obitu, & à Martino Polono improvidè renovatam, atque ab hodiernis hæreticis, Pontificii nominis hostibus sæpe decantatam Jacobus Gretserus S. J. argumento quidem negativo, sed efficaci ac decretorio confutavit in examine Mysterii Plessæani cap. 43.* quod videat, qui volet.

VI. Perpaucis, qui in Beatorum Choros recepti sunt, ea sors obtigit, ut adeo doctum & celebrem vitæ scriptorem nanciscerentur, qualem beati Berengerus & Wirnto, inclyti ad Ænum Cœnobii Formbacensis Ord. S. Bened. Abbates nacti sunt. Is est magnus ille Gerhohus, Præpositus Reichersspergensis Ord. Can. Reg. S. Augustini: cujus tamen Opus diu delituit, hodieque veteribus membranis involutum sine dubio delitesceret, nisi Adm. R. & Eruditissimi P. Clari Fasmanni, Formbacensis Prioris industria & humanitate quoddam illius apographum ad manus nostras pervenisset. Id adornatum est ad fidem membranei Codicis, in Archivo Formbacensi adservati, qui quadringentos annos excedere nobis præsentibus videbatur. Aliud ejusdem operis manu exaratum exemplum vidimus in Codice chartaceo bibliothecæ Sanct-Petrensis Salisburgi, sed quod non nisi trecentorum annorum est. Porro quæ Gerhohus hic narrat, tantò fide digniora sunt, quantò multis titulis integrius est ejusdem testimonium, quo in Prologo innuit se scripturum & tractaturum de *signis, quæ suo tempore largiente Domino quasi in propriis laribus oculis suis viderat, & quasi manibus palpaverat, tractaveratque.* Cæterùm ad utriusque hujus Beati cultum, quod attinet, ea de re ad Cl. P. Clarum litteras dedimus, ad quas 10 Decembris 1720. his verbis respondit: *annis abhinc tredecim in fabricanda sepulchrali crypta omne ferme totius nostræ Ecclesiæ pavimentum fuit effossum ea spe, ut fortè aliquod vestigium sepulchri beatorum Berengeri & Wirntonis inveniretur. Sed in vanum laboravimus, etsi satis profundè terram eruerimus. Nec publico nec aliquo alio cultu honorantur beati duo Abbates. In Necrologio tamen nostro sequentia legimus*: VI. Martii sanctus obitus beatissimi Wirntonis secundi hujus loci Abbatis, rarorum miraculorum patratoris, Anno MCXXVII. sui regiminis decimo nono, ante aram S. Crucis sepulti. *Iterum de beato Theoderico in eodem Necrologio legitur*: III. Kal. Julii pius obitus Theoderici, tertii Abbatis nostræ Congregationis, rediens Jerosolyma, cujus depositionis diem tribus miraculosis signis DEus ejus innocentiam manifestans illustravit. *Et demum* IV. Kal. Nov. Beringerus Sanctus nostræ Congregationis Abbas primus anno MCVIII. Præfuit XIV. annis. *Hæc rerum domesticarum scientissimus Pater Clarus, qui nos insuper monuit, turpiculum mendum typographi oscitantiâ in Appendicem ad Vitam B. Wirntonis irrepsisse, ubi col. 422. lin. 5.* annus Domini 1137. *pro* 1127. *perperam excusus est.*

BB. BERENGERI ET WIRNTONIS ABB. FORMBAC. VITÆ AUCTORE GERHOHO PRÆP. REICHERSPERG.

VII. Vitis BB. Abbatum Formbacensium Berngeri & Wirntonis illico subjungere visum fuit *Libros III. Historiæ* ejusdem Monasterii, scriptos ab Angelo Rumplero ejus loci Abbate circa annum Domini MDIV. ut ex peroratione Libri II. col 464. colligitur, idque eo fine, ut res beatorum Abbatum, totiusque Cœnobii Formbacensis in ampliore non nihil luce collocaremus. Monachum in laudato Monasterio Angelus induit anno MCCCCLXXVII. & sequenti vota sollemnia die S. Michaëlis nuncupavit, id quod ipse nos docet Lib II. col. 452. Porro etsi juvenis elegantissimo ingenio præditus in ea tempora inciderit, quibus occulto DEI judicio

ANGELI RUMPLERI ABB. FORM. BAC. HISTORIA MONASTERII SUI &c. col. 425.

dicio veriùs carnifex, quàm Abbas & Pater Monachis Formbacensibus dominabatur (his enim coloribus ipse Angelus hominem depingit Lib. II. col. 451. & sequenti) optimarum tamen disciplinarum, & sanctiorum morum cultui adeo constanter institit, eoque progressus est, ut demum anno MDL licèt reluctans, in Formbacensis Monasterii Abbatem cum omnium gratulatione deligeretur. Quo in munere mirum dictu est, quantas calamitates pertulerit, quas tamen uno cum DEO & Musis commercio lenire consueverat. Fuit is judicio acerrimo, à nulla re quàm ab adulatione ac simulatione alienior: Vitia hominum, eorum etiam, quos fortuna super cæterorum capita extulit, maxima cum libertate reprehendebat. Sua unius conscientia contentus erat, & majorum doctrinas & exempla novis consuetudinibus aut potiùs corruptelis perpetuò opponebat. Quarum dotium & virtutum vestigia in brevi hac Historia passim deprehendas. Præfuit difficillimis temporibus duodecim annis, & relicto maximo sui desiderio obiit anno MDXIII. sepultus in Meridionali abside propè aram S. Benedicti. Præter hanc historiam, quam ex avtographo deprómptam humanitate ac benignitate sæpius laudati A. R. P. Clari Formbaco accepimus, non pauca quoque alia scripsit Abbas doctissimus, quorum elenchum ex Codice Formbacensi à nobis exscriptum hic exhibere operæ pretium videtur:

1. *Super Evangelium in Cœna.* Partes IV. Hoc Opus in eodem Codice vidimus, quo ejusdem Historia Formbacensis comprehendebatur. Incipit Prologus: *multa mihi ac penè infinita consideranti, qua ad benè beateque vivendum conducunt, nihil adeo mentem oblectavit, ut sermo Domini in Cœna &c*
2. *In Epistolas Augustini Carmen.*
3. *Non nulla alia carmina.*
4. *Elogium metricum Wolfgangi Abbatis Lunelacensis.* Extat in Codice Lunælacensi in 4. constans quatuor foliis, ubi ita incipit:

   Si Wolfgange mihi tecum colludere plectro,
   si licet Aonias convocitare Deas &c.

5. *Sermo in Quadragesima.*
6. *Sermo de Sanctis.*
7. *Sermo in die Palmarum.*
8. *Sermo de Passione Domini.*
9. *Epistola ad Fratres in Glocknitz.* Est Glocknitz insignis Præpositura juris Formbacensis, quatuor aut quinque horis Neostadio Austriæ distans, cui describendæ Angelus integrum suæ Formbacensis Historiæ librum III. dicavit.
10. *Sermo de Ascensione.*
11. *Sermo de Pentecoste.*
12. *Oratio metrica.*
13. *Oratio ante Missam prosaica.*
14. *Exilium Religiosorum.*
15. *De Matre Domini Hecatostichum.*
16. *De Matre Domini Jambicum Carmen.*
17. *Item Jambicum de eadem.*
18. *Ad Virginem Saphicum.*
19. *Sex Hecatostieba ad Virginem.*
20. *Oratio ad eandem Heroico Carmine.*
21. *De brevitate vita Hecatostichon.*
22. *Nonnulla Carmina in Libros.*
23. *De Proprietate Monachorum Carmen.*

24. *Epita-*

24. *Epitaphium Leonardi Abbatis.* Id insertum habes Libro II. Hist. Formbacens. col. 461. & 462.
25. *Epistola quadam.*
26. *Alphabetum Grisonis.*
27. *Saphicum de S. Hieronymo.*

Ex his ea duntaxat vidimus, quorum initia dedimus. Præter hæc etiam ab Angelo sequentia fuisse scripta, retulit Doctissimus P. Clarus.

28. *Dialogorum de contemptu Mundi Libb. VI.*
29. *Gestorum Bavariæ Libb. VI.* Hos ipse Angelus sub nomine *Descriptionis regionis Bavariæ* Lib VII. Hist. II. Formbac. col. 453. pollicitus fuisse videtur. Eos ferunt Monachium delatos haud dubiè in Bibliothecam Electoralem, in qua tamen nihil horum invenimus.
30. *Calamitatum Bavariæ Lib. I.*

Hæc de litterariis Angeli Rumpleri monumentis, dignissimis profectò, quæ undecunque conquisita publici juris fiant.

JOHANNIS WIRTZBURGENS. DESCRIPTIO TERRÆ SANCTÆ à col. 485.

VIII. Quidquid certi de Auctore hujus Descriptionis Terræ Sanctæ affirmari potest, id omne primo Proëmii versu continetur, in quo se *Johannem DEI gratia in Wirzburgensi Ecclesia, id quod est*, dicit, ex quibus verbis eum saltem Presbyterii dignitate in Ecclesia Wirzburgensi præditum fuisse statuimus. Ætatem præterea suam nullibi perspicuè signat, licèt vel ex ipso membraneo Codice Tegernseensi, unde non inelegans Opusculum nostro rogatu A. R. &. Cl. R. Romanus Krinner eruit, vero perquam simile reddatur, hunc Johannem circa seculum XIII. quo ille nempe exaratus est, animum ad ea scribenda, quæ suis ipse oculis usurpavit, adpulisse. Præcipua Johannis cura fuit, ut *loca venerabilia, quæ Dominus noster Mundi Salvator unacum gloriosa Genitrice sua Maria, Virgine perpetua, & cum venerando discipulorum suorum collegio corporali sanctificavit præsentia præcipuè in civitate sancta Jerusalem, quantò expressius & studiosius potuit, denotando in eis facta, & epigrammata, sive prosaicè sivè metricè, stili officio colligeret*, ùt ipse post initium Prologi scribit. Egregius gentique nostræ perhonorificus locus est cap. 9. ubi latè Johannes probat, recuperationem Terræ Sanctæ non sine Germanorum injuria solis Francis attribui, *quæ utique Christianitatis Provincia*, inquit, *jam dudum suos terminos ultra Nilum versus meridiem & ultra Damascum versus Orientem extendisset, si tanta copia Alemannorum, quanta & istorum est, adesset. Germano enim milite inde discedente, ac si robur omne Christiani exercitus discessisset, cæteræ nationes omnes parum amplius aut nihil præstiterunt &c.* Cæterum hujusmodi Descriptiones Terræ sanctæ ac Hodœporica plura in Austriæ ac Bavariæ bibliothecis offendimus, quæ cùm à nobis omnia edi nequeant, hic nominatim saltem recenseri merentur. In Bibliotheca Tegernseensi extant Johannis Hess Presbyteri Trajectensis Diœcesis *Narrationes de Transmarinis partibus.* Incipit Opus: *anno Domini DCCCLXXXIX. Johannes Hess Presbyter Trajectensis Diœcesis fuit in Jerusalem* &c. Cod. chart. 4. Ibidem habetur cujusdam *Philippi Liber de peregrinationibus Jerusalem, ac totius terræ sanctæ*, quam auctor peragrâsse se dicit, in Cod. chart. fol. manu seculi XV. Inc. Opus: *ista sunt peregrinationes Jerusalem* &c. In Bibliotheca Sanct-Crucensi adservatur *Anonymi Itinerarium Terræ Sanctæ* hoc initio: *ego ivi de Acon* &c. Codex membraneus quingentorum annorum est. Monasterium Mariæcellense in Austria retinet Codicem chartaceum in fol. trecentorum annorum, qui *Anonymi descriptionem Terræ Sanctæ* continet hoc principio: *cùm in veteribus historiis legamus, sicut dicit beatus Jeronymus* &c. In fine: *explicit liber Descriptionis terræ sanctæ, cujus auctor ignoratur.* Idem opus possidet bibliotheca Mellic. in Cod. membr. 4. signato lit. d. 12. annorum circiter quadringentorum. Nec prætermittenda *Descriptio locorum Terræ Sanctæ* auctore *Fr. Nicolao de Farnad Ord. Min. de Hungaria*, cujus ne verbo meminit Lucas Wadingus in suo Opere de Script. Ord. Min. Ejus exemplum typis ante annum 1500. in 4.

Viennæ excuſum vidimus in Bibliotheca Dorotheana. Inc. Præfatio: *cùm res creata* &c. Opus: *Hieruſalem civitas ſancta* &c. In eadem bibliotheca evolvimus *Ludolphi Rectoris Parochialis Mariæ in Suche Tractatum de Terra Sancta* in Cod chart. ſeculi XIV. Incipit: *Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino ſuo, Domino gratioſo Balderomo de Scenordia Paderwornenſis Eccleſiæ Epiſcopo* &c. Simlerus eum anno 1336. ſcriptum dicit, nullius tamen factæ à quoquam editionis meminit. Ibidem reperimus *Johannis de Mandaville Itinerarium Hieroſolymitanum*, quod incipit: *cùm terra Jeroſolymitana* &c. Ejus pariter meminit Simlerus, qui tamen an & ubi typis expreſſum ſit, non indicat. Certiores ſumus de editione *Bernardi de Breydenbach*, *Fr. Gabrielis de Pech Waradino, natione Ungari Ord. S. Franciſci*, & *Haythoni Ord. Præmonſt.* Nam in laudata ſæpius bibliotheca Dorotheana primi *Transmarinas peregrinationes in terram ſanctam, per Petrum Drach anno* 1502 *Spiræ* in folio excuſas: ſecundi *Compendium Locorum Terræ Sanctæ* incerto loco & anno, ante tamen 1500 in 4. editum: tertii *Librum hiſtoriarum partium Orientis ſive Paſſagium Terræ Sanctæ*, ſcriptum anno 1300, impreſſum Haganoæ per Johannem Sec: anno 1529. in 4. noſtris oculis conſpeximus. In bibliotheca Clauſtroneoburgenſi eſt quidam Codex chartaceus in 4. qui cujusdam *Fratris Vlrici Itinerarium Terræ Sanctæ & aliarum peregrinarum regionum*, quod is *Patavii Fratri Wilhelmo de Balonea Latinè dictâſſe* dicitur. Sed in citato Codice tantùm habetur verſio Germanica, quam *laicus Frater Chuenrat* Der Techel vo Tegernſee Wiennæ anno 1359. adornavit. Incipit: do ich von haym ausfür in dem mut/ daß ich wolt farn yber Mer &c. Porro Frater ille Vlricus vixit anno 1330. Egregium etiam eſt Opus *Burchardi de Monte Syon*, quod *Deſcriptionem Terræ Sanctæ nuncupavit.* Id habetur in Codice chartac. fol. ſignato Lit. H. 17. bibliothecæ Mellicenſis hoc exordio: *dilectiſſimo in Chriſto Patri, Lectori Fratrum Ord. Præd. frater Burchardus de Monte Syon cum omni devotione orationes in Domino JEſu Chriſto. Quid vobis ſcribam Pater chariſſimè?* &c. Manus noſtri Codicis eſt ſeculi XV. De *Georgii Prioris Carthuſiæ Gemnicenſis Ephemeridibus peregrinationis in Terram Sanctam* &c. vide, quæ ad Tomi ſecundi partem tertiam, ubi opus edidimus, præfati ſumus. Poſtremò monemus, *Anſelmi Fratris Ord. Min. Deſcriptionem Terræ Sanctæ*, ab Henrico Caniſio Tom. IV. Antiq. Lect. à pag. 1289. editam, centum ferè annis priùs, quàm vir eruditus putabat, typis commendatam fuiſſe una cum quibusdam Opuſculis Geographicis Æneæ Sylvii. Ejus editionis in 4. Cracoviæ per Florianum Unglerium anno Domini M D XII. adornatæ exemplum extat in bibliotheca Mellicenſi. Sed hoc paucis notâſſe ſatis fuerit.

VITA S. ALBERTI OBERALTAHENSIS &c. à col. 517.

IV. Sancti Alberti, Monachi Altahæ Superioris in Bajoaria laudes dudum celebrârunt Matthæus Raderus Bavar. Sanctæ T. II. à pag. 323. Gabriel Bucelinus in Menologio Benedictino, Ægydius Ranbeck in Calendario Benedict. & Matthæus Huefnagel in libello, quem *de vita & miraculis S. Alberti* lingua vernacula, ſed ſtylo admodum perplexo, edidit Straubingæ apud Chryſoſtomum Haan anno 1699. 8. Sed nemo hactenus integra & ſincera ejus acta publicavit. Quod nobis tantò majorem ad id præſtandum ſtimulum addidit, quantò in melioris notæ Codicem in bibliotheca Emmerammenſi incidimus, qui ſanctiſſimi Viri vitam & miracula complectebatur. Ea rogatu & hortatu Gebhardi Cænobitæ S. Emmerammi Ratisbonenſis conſcripſit *Frater Albertus Prior Eccleſiæ Sancti Petri in Altach Superiori*, ut ſe ipſe in Epiſtola veluti nuncupatoria nominat, ubi etiam apertè teſtatur, *ſe Virum DEI perſonaliter nunquam vidiſſe, ſed vitam ejus ſcripſiſſe*, *ſicut*, inquit, *audivi à ſenioribus meis, ſuis contemporaneis, videlicet à Domino Hartwico, qui ejus confeſſor plus quàm viginti annis fuit: à Domino Chunrado dicto Cantore, ac à Domino Chunrado de Dingolſin, nec non & à Domino Wernhardo cognomento Gundakcher, & ab aliis fide dignis, quorum multi adhuc vivunt, & quorum nomina non eſt neceſſe recitare, cùm ſeniores veſtri Cœnobii & Monaſterii inferioris Altha, nec non Clauſtrorum Reychenbach & in Meten ac multi fratres aliarum Eccleſiarum, Religioſi quoque viri de Ordine Prædicatorum & Minorum ejus ſanctitatem & admirabilem vitam cum noſtræ Eccleſiæ filiis proteſtentur*

ſtentur

flentur pariter & mirentur &c. Ex quibus verbis fides & ætas vitæ Scriptoris satis elucet. Cæterùm Codicem Emmerammensem, etsi is avtographus videretur, cum recentiori tamen apographo Oberaltahensi, quod ab A. R. & Cl. P. Paulo, Ecclesiæ Bogenbergensis Priore, dono accepimus, conferre non prætermisimus additurі etiam S. Alberti miracula usque ad annum 1699. nisi à Matthæo Huefnagel Germanicè conscripta & edita fuissent. Quæ tamen notitia iis proderit, qui Mabillonii Acta SS. Ordinis S. Benedicti, & Bollandiana Sanctorum Acta continuaturi sunt.

X. Etsi principio non nisi eorum Auctorum, qui annum MD. antecesserunt, opuscula & manumenta nostro Thesauro inserere constituerimus, postmodum tamen, cùm diversa præclara & utilissima recentiorum opera in nostras manus incidissent, consilium mutavimus, iis etiam in nostrum censum admissis, qui nostris licèt, temporibus propiores argumentum, quod illustrandum susceperunt, accuratè erudite, ac eleganter pertractârunt, cùm parum referat, qua quis ætate scripserit, dum accuratè modo, ad veterum monumentorum fidem, cum judicio, nec inficetè. Hujus commatis duos Scriptores huic primo Tomo inseruimus, tantò viris doctis, ut speramus, futuros gratiores, quantò amplius & cum universa Historia Ecclesiastica conjunctius est argumentum, de quo eleganter ac doctè agunt. Prior horum est *Jodocus Mezlerus*, cujus deinceps *Libri II. de Viris Illustribus Ducalis Monasterii S. Galli* longè clariores erunt quàm facta. Dedimus quidem dudum nullam non operam, ut ab Adm. R. P. Mauritio Müller, erudito ejus loci bibliothecario, amico nostro in paucis, quidpiam horum nancisceremur. Sed ea spes Helvetici belli tumultibus intercepta fuit. Id unum ex ejus insigni ad Goldastum Epistola de tribus Notkeris & Ekkehardis conjicere licet, eruditionis merito Bibliothecæ Sanct-Gallensi anno MDXCIX. præfuisse. Henricus Canisius, Mezleri amicus, Tom. V. Antiq. Lect. pag 726. eundem vocat *Monasterii S. Galli Professum & Sacrorum Canonum Doctorem*. Quamdiu inter homines fuerit, nobis æquè incompertum est. Vixisse adhuc anno MDCVI. constat ex Præfatione hujus Operis, quod ex bibliotheca Inclyti Monasterii B. M. Virg. Scotorum Viennæ benignitate Reverendissimi & Perillustris Domini, D. Caroli, Amplissimi ejus loci Abbatis ac Fautoris nostri singularis exprompsimus manum commodante R. P. Godefrido Depischio nostro. Ibidem testatur Mezlerus in hoc opere *vorum exemplum se secutum, qui jam olim de Viris Illustribus commentarios conscripsêre, quorum quidem*, inquit, *æmulatione ante annos sex, cùm ferè continuò ægrotarem, & temporis fallendi causâ codices veteres recenserem, opus hoc in manibus meis ita demum excrevit, ut ad justam libelli alicujus magnitudinem videretur evadere. Sed tum ego, quia nec vires, nec ingenium, ut libellos conficerem, habebam*, Memoriale *tantùm earum rerum, quas invenissem, contexendum statueram: adeoque lucubrationem illam* Memoriale de Viris Illustribus Monasterii S. Galli *inscripseram. Verùm ubi viri docti deinde* (juvat enim ipsum Mezlerum de operis sui fatis disserentem audire) *antiquitatisque amantes Opusculum pervidêre, non dicam, extorsêre statim, sed imò rapuêre, & me inscio Ingolstadianis typis libellum tertium totum, multa ex primo & ex secundo descripsêre, & vulgavêre, uti suo loco, antequam librum tertium ingrediar, dicturus sum. Jam autem, quoniam in eam editionem librariorum vitio complura irrepsêre menda, nos ea quidem hoc nostro labore omnia sustulimus. Cætera autem aut elimavimus, aut de novo ad incudem recepta recudimus, ita ut qui fœtum illum imperfectum & rudem libenter olim excepêre, politiorem hunc & maturiorem æquioribus etiam animis (ita spero) admittent.* Hæc Mezlerus, qui, dum typis Ingolstadianis *tertium suum libellum* quo veterum Sanct-Gallensium Patrum Hymni, Lytaniæ, & Carmina continentur, exscriptum esse, dicit, Antiquas H. Canisii Lectiones vult, cujus Tomo V. is excusus prostat. Comparuit is idem etiam in Scotensi apographo. Sed quia variantes lectiones & auctoriola nobis tanti visa non sunt, eô prætermissô priores duntaxat duos libellos, ab ipso auctore castigatos, in lucem efferre placuit.

JODOCI MEZLERI DE VIRIS IL-LUST. S. GALLI à col. 557.

XI. Joan-

JOANNIS EGONIS AUGIENSIS TRACT. DE VIRIS IL-LUST. AUGIENS. à col. 629.


XI. Joannis Egonis *Tractatui* seu *Libro de Viris Illustr. Augiens.* ansam & occasionem dedisse videntur antè recensiti Jodoci Mezleri de Viris illustribus S. Galli duo libelli. Cùm enim horum auctor quosdam Divitis Augiæ Heroës Monasterio S. Galli præsidentiùs tribuisset, ille rem haudquaquam dissimulandam ratus, eosdem Augiæ suæ veluti postliminio restituere ac vindicare aggressus est. Nec infaustis, ùt equidem nobis videtur, avibus. Nam eo rationis & auctoritatis pondere, judicio ac eruditione Augiæ suæ causam hìc agit Egon, ut nemo non à partium studiis alienus illico videat, longè certius jus in quosdam magnos viros Augiensium quàm Sanct-Gallensium esse. Porro Tractatum suum omnem in tres partes Egon dissecat, quarum *primâ tractat de Viris sanctimonia, pietate, cæterisque virtutum ornamentis insignibus: secundâ agit de Viris eruditione, doctrinaque conspicuis, quorum Augia ferax satis, & fœcunda fuit. In tertia verò parte affert multos, qui ob sua merita ad varias non tantùm Episcopales, sed & Metropolitanas sedes & Abbatias sunt* evecti. Opus elegans debemus Plurimùm Reverendo & Clarissimo; Domino Patri Mauro Hummel, Priori Augiensi, à quo etiam Egonis *Chronicon Augiense* nos accepturos speramus. Certè id ab Egone posteris relictum esse, docuit nos Mauri dignissimus Antecessor Joachimus Letter, qui & significavit, Egonem anno 1643. die 25. Julii elatum esse, scripturum haud dubiè plura egregia, si longiorem doctissimo viro DEus vitam indulsisset. Sed observationum in monumenta primi tomi satis. Jam ipsa evolve, ac erratorum, quæ tum nostrâ tum Operarum typographicarum imperitiâ in hoc volumen irrepserunt, elenchum ad tertii tomi calcem vide.

Thesauri Anecdotorum Noviss.
Tomi I. Pars I.

THESAURI ANECDOTO-RUM NOVISSIMI

TOMI I.

PARS I.



B. NOTKERI BALBULI
Sanct. Gallensis,
Ord. S. Bened.

LIBER
DE
INTERPRETIBUS
DIVINARUM SCRIPTURARUM.

Erutus è MS. Cod. Inclyti Monasterii Zwetlensis, Ord. Cist. in Austria ab Adm. Reverend. D. P. Bertrando Gfenger, ejusdem loci Bibliothecario.

NOTATIO NOTKERI
DE
ILLUSTRIBUS VIRIS,
Qui ex intentione Sacras Scripturas exponebant, aut ex occasione quasdam Sententias divinæ auctoritatis explanabant,
Scripta
AD SALAMONEM,
Discipulum suum,
Postea
Constantiensis Ecclesiæ Episcopum.



Um prudens sis, & prudentis nomen hæredites; miror te res ineptas appetere, quod tibi quia dissuadere nequeo, quod hortaris, aggrediar, prius inproperando commonens; quia, si me audisses, omnes Authores nostros notissimos haberes. In hoc autem & meæ stultitiæ, & tuæ verecundiæ consulendum putavi; ut, cùm ego utilia possim scribere, & tu optima sis dignus accipere, in talibus ineptiis nomen utriusque sub clausura silentii premeretur. Vide, ne tu nos diffamare velis vilissimè.

CAPUT I.

De iis, qui in Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium &c. scripserunt.

SI scire desideras, quid Hebræi de Historica Geneseos explanatione (sentiant) scrutare librum Hieronymi, qui intitulatur *Hebraicarum quæstionum* juxta Septuaginta duntaxat Interpretum translationem. Si verò moralitatem requiris; Origeni intende. Si disputationem; Augustini duodecim libros peragrare non lasseris. Si defensionem Creatoris, & antiquorum Patrum contra blasphemias calumniatorum; lege ejusdem Augustini libros duos adversus Manichæos, & alios

A. duos contra Faustum, & undecimum, duodecimum, decimum tertium, decimum quartum ipsius de Civitate DEI, prophetico Spiritu conscriptos. Si creaturarum pulchritudine delectaris; Exameron Ambrosii, ut jocularis es, pro ludo relegere consuescas. Si medulla ejusdem libri dulcissimâ pasci volueris, & ipsius ratione veritatis jocundari cupieris; Bedam tenacissimâ memoriâ retinere labora. Quod si excerptum Paterii, quod de libris beati Gregorii per ordinem singulorum librorum B. deflorando confecit, unquam reperire potueris, illud tibi ad omnimodam sufficiet sapientiam. In Exodum & in Leviticum homilias Origenis mirè disputatas ediscere labora. In totum Eptaticum septem libros Augustini quæstionum, & alios sex locutionum dediversitate Interpretum. Et quod præ omnibus utile tibi puto acquirere, Eugippium, qui ex omnibus libris profundissimi & penetrabilissimi ejusdem Augustini in omnem auctoritatem Scripturæ utilissimum, & valde necessarium C. volumen collegit, in quo multa mysteria de Genesi, de Exodo, de Levitico, de Numero, de Deuteronomii, Josue, & Judicum, Samuele, & Malachim, & Prophetis reserata reperies: Licèt in omnes Prophetas laborantissimus & desudantissimus studioso lectori sufficiat Hieronymus, cujus si volueris esse discipulus, fastidium, quod tibi de librorum tædio coaluit,

luit, reticere debebis, ut ferventissima lectio ferventi congruat discipulo. Hæc de Lege & Prophetis.

CAPUT II.

De his, qui Psalterium, Proverbia, Ecclesiasten, & Cantica Canticorum exposuerunt.

DE Agiographis verò in sequenti doceberis: quorum primum est Psalterium juxta circumcisionem. Apud nos verò propter Christum ex eo natum, David est caput omnium Prophetarum. In cujus librum plurima multi senserunt. De quibus primus & præcipuus est Origenes apud Græcos, Augustinus apud nos, ex cujus libris Prosper, ut accepimus, Aquitanus Episcopus utilissimum volumen studiosis excerpsit, cui multa de aliorum opusculis intexuit; ut statim in principio præfationem de homilia Sancti Basilii posuerit. In eundem librum & Arnobius Rhetor sui nobis ingenii monumentum reliquit. In ipsum & Hilarius Pictaviensis Episcopus scripsit. In cujus explanationē Cassiodorus Senator, cùm multa disseruerit, in hoc tantùm videtur nobis utilis, quòd omnem sæcularem sapientiam, id est, Schematum & Troporum dulcissimam varietatem in eo latere manifestat. Super omnia verò ad intellectum hujus prophetiæ juvat, si quis Psalterium, quod beatus Hieronymus de Hebraico in Latinum vertit, memoriæ commendare voluerit. In Proverbia Salomonis Hieronymus breves sententias dereliquit, quæ quasi paucissima grana causa segetum fuère maximarum; quas Beda noster demessuit, & collegit. Scripsit idem Hieronymus in Ecclesiasten juxta traditionem septuaginta translatorum, hoc est, vulgatam interpretationem. Hebræi enim dicunt, eos non amplius interpretatos fuisse quam Moysi quinque libros. Huic ergò expositioni acutissimè debes intendere; ut eam ad intellectum modernæ lectionis possis derivare: quia nihil aliud apud Latinorum aliquem super eundem librum reperies, nisi tantum pauca testimonia in libris beati Gregorii cum expositione posita. In Cantica Canticorum interpretatur Sanctus Hieronymus duas homilias Adamantii, in quarum præfatione hoc præmisit: *Origenes, cùm in cæteris alios vicerit, in Canticis Canticorum se ipsum vicit.* Quam interpretationem, quia ipse morte præventus, nobis transferre non potuit; hanc tibi vicissitudinem nostri laboris & multimodæ servitutis impono: ut si aliquando sumptibus abundaveris, & alicujus hominis latinâ & Græcâ linguâ eruditi, amicitiâ usus fueris, ab eo extorqueas, ut explanationes Latinis, & Barbaris pro maximo munere, vel prædâ famosissimâ transferre non gravetur. Interim lege libellum Justi Lugdunensis Episcopi in Epithalamium brevem quidem verbis, sed spiritualibus plenum sententiis. Quòd si Romana facundia barbarorum hominum scripta contempserit, nobis barbaris expositio Bedæ in eundem librum sufficere debebit. Quem naturarum dispositor DEus, qui quartâ die mundanæ creationis Solem ab Oriente produxit, in sextâ ætate sæculi novum solem ab occidente ad illuminationem totius orbis direxit. Si verò Romanarum etiam delitiarum opipari convivio delectaris, quicquid Gregorius Papa dulce super hoc respersum latissimè reliquit; idem Beda in brevissimo ferculo avidis glutiendum composuit.

CAPUT III.

De interpretibus Libri Sapientiæ, Jesu Filii Sirach, Job, Tobiæ, Esdræ, Judith, Esther, Paralipomenon, & Machabæorum.

DE libro, qui Sapientia Salomonis inscribitur, nullius authoris expositionem, nisi tantùm per occasionem aliorum librorum pauca testimonia explanata cognovi; quippe qui ab Hebræis penitùs respuitur, & apud nostros quasi incertus habetur: tamen quia priores nostri eum propter utilitatem doctrinæ legere consueverunt, & Judæi eundem non habent, Ecclesiasticus etiam apud nos appellatur. Quod de hoc, id etiam de libro Jesu Filii Sirach sentias, oportet, nisi quod is ab Hebræis & habetur & legitur. Difficillimum librum beati Job Prophetæ ab omnibus Magistris anterioribus intactum Apostolicus noster Gregorius ita exposuit; ut super historiæ fundamentum moralitatis construeret ædificium, & anagoges imposuerit culmen præstantissimum. Cui libro tam multa de omnibus divinæ authoritatis scriptis testimonia intexuit, & intexta dissol-

dissolvit; ut hujus occasione vetus & novum Testamentum videatur exposuisse. Quod si propter inopiam rei familiaris, vel sæcularium rerum occupationem, vel etiam palatii assiduitatem, & militiæ laborem tibi aspirare non suppetit, aut vacare, excerptum Ladkeni Hybernensis inquire, & post explanationem testimoniorum in medium adductorum, nihil tibi invenies ad plenum intellectum deesse. In diversis etiam locis diversa tum collecta, tum excerpta de hoc, & aliis scriptis, si requisieris, invenire poteris, de quibus postea dicetur. In librum Tobiæ & Esdræ Beda presbyter aliqua scripsit magis jucunda, quàm necessaria, quippe qui simplicem historiam vertere conatus est in allegoriam. De libro Judith & Esther, & Paralipomenon quid dicam, à quibus, vel qualiter exponantur, cum etiam ipsa in eis littera non pro auctoritate, sed tantum pro memoria & admiratione habeatur? Idem de libris Machabæorum suspicari poteris.

CAPUT IV.

Quinam Novi Testamenti libros ex professo interpretati sint?

De novo autem Testamento scite debebis, quia licet remotis litteræ grossioris integumentis lucidum cunctis ad intelligendum videatur: nusquam tamen periculosiùs erratur, nisi reverentissimâ humilitate discatur. Ergo in Matthæum Hieronymus tibi sufficiat; in Marcum, pedissequum Matthæi, Beda pedissequus Hieronymi; in Lucam soligradum Beda latigradus adeò, ut omne, quod ipsum reperit Evangelium, volumen compingeret in unum. Joannem Cælipetam nubivolus Augustinus paribus alis insecutus est. Præter hæc est liber Augustini de Sermone D. Domini in monte secundum Matthæum. Alius quæstionum in totum Evangelium. Insuper & Eugippi Collectarium. Prætere homiliæ Joannis Chrysostomi, Origenis, Augustini, Gregorii, Maximi, Leonis, Bedæ & Responsiones Hieronymi ad interrogationes Algasiæ & Denobiæ: si tamen mox Sacerdos futurus, dignaris legere libros ad eruditionem fœminarum directos. Sed tu juvenculus non dedigneris legere, quod Hieronymus senex dignatus est scribere. In Epistolam ad Ro-

A. manos multa & mira scripsit Origenes, quibus adversarii ejusdem prava quædam inseruerunt: quorum unum, sicut nuper tibi in aurem diffudi, ipse in eodem volumine acerrimè condemnat. Ambrosius Mediolanensis Episcopus in Evangelium secundum Lucam, & in omnes Epistolas Pauli breves Commentarios reliquit: sed explanationem ad Hebræos Epistolæ ejus volumini insertam, non eum scripsisse multi contendunt, quod & veritas comprobat. Item Pelagius breves Sententiolas in easdem scripsit epistolas. Hieronymus latissimos Tractatus ad Galatas, ad Titum, B. ad Philemonem dereliquit. Idemque Hieronymus, & Augustinus Episcopus, prout interrogati fuerant, de diversis in Apostolum quæstionibus valde proficuas conscripserunt epistolas. Super Actus Apostolorum lege Bedam presbyterum. In Epistolam Joannis Augustinum, in quâ explanatione, qui sit Christianus, agnosces. In septem Epistolas (quæ dicuntur Canonicæ) interpretationem Bedæ presbyteri require, & ejusdem dilucidationem obscurissimæ visionis potiùs, quàm revelationis beati Joannis; cujus tamen expositionis Augustinum, Hieronymum, C. & Gregorium seminaria esse noveris; licet idem Beda sæpissimè Tychonii Donatistæ se dicat explanationem suo volumini inseruisse; in quo multa quoque Primasii Discipuli Sancti Augustini, dicta posuit, ut facilè poterit advertere, qui eosdem tractatores curaverit recitare. Si Glossulas volueris in totam Scripturam divinam, sufficit Rabanus Mogonciacensis Archiepiscopus.

CAPUT V.

De iis, qui ex occasione disputationis propriæ quasdam sententias Divinæ auctoritate explanaverunt.

Hactenus de his Scriptoribus dixisse sufficiat, qui ex intentione Sacras Scripturas elucidare conati sunt. Nunc autem de his doceberis, qui ex occasione disputationis propriæ quasdam sententias divinæ auctoritatis explanaverunt. Augustinus in libris innumeris, quos conscripsit, prout se locorum & rerum obtulit occasio, omnem penè, imò verè, sanctam Scripturam exposuit. Cujus rei probamenta sunt libri Confessionum ejus, numero

mero tredecim. Liber optimus de bono naturæ. De utilitate credendi. Quæstiones de Proverbiis Salomonis, & cæteris Scripturis. Item de gratia, de libero arbitrio, & Enchiridion, hoc est: de fide, spe, & charitate, in quibus vel maximè intellectus Scripturarum elucet, & in aliis mille libris ipsius, sicut ante nos dictum est: *si Augustinus adest, sufficit ipse tibi.* Speculum ejus require. Quid dicam de Cassiano? Si tamen aliquando Monachos fastidire desieris, qui in viginti quatuor libris Collationum, quos totidem Senioribus Apocalypseos Joannis comparat, ita & propter octo principalium vitiorum occasionem de lege & Prophetis disputat, ut eum omnia tractanda suscepisse, non dubites. Qualiter verò Evangelia & Apostolorum scripta differuerit, nullus credere poterit, nisi qui lectioni earundem Collationum studiosus institerit. Quam tamen doctrinam professionis suæ memor, Patrum sanctitati, non suæ scribit industriæ. Libri Isidori Hispaniensis Episcopi, Etymologiarum nomine titulati, omnimoda te perficiunt scientia. Item sententiarum ejus utilissimus liber occurrit. Item alius de Patribus veteris & novi Testamenti. Item alius de officiis, & Ordinibus Ecclesiasticis, qui tibi mox DEI gratiâ futuro Sacerdoti maximè sunt necessarii, in quibus omnem rationem, & nomina singularum festivitatum, & jejuniorum reperies, ut præco DEI populis futuras stationes prænuntiare possis in Keniki; quia si non annuntiaveris populo, qui speculatoris officium desideras, veneritque gladius, & tulerit eum, ipse in iniquitate sua morietur, sanguis autem ejus de manu tua requiretur.

CAPUT VI.

De Libris ornando Sacerdotio necessariis, Epistolographis &c.

ERgo quia sese obtulit occasio, ut in hoc loco de ministerio, quod subiturus es, te attentius instruere debeam, & me imparem tantæ rei agnosco, quippe qui nec vitam propriam custodire, nec, quæ aliquantum sentio, idoneè valeo proferre; mitto te ad librum beati Gregorii Papæ, qui appellatur Regula pastoralis, sed meo, imò ut credo, ejus & omnium sapientium judicio meliùs & veriùs *Speculum* nuncu-
A. pari potuisset; in quo omnis homo seipsum inveniet quasi depictum, & præcipuè Episcopi & Presbyteri, ita ut omnis homo non solum sermones, & opera, sed & cogitationes & affectus, quos quisque vel antea, vel in ipso Sacerdotio conceperit, quasi viventes vel ambulantes, ostenderit. In quo libro tam multa de novo & veteri Testamento posuit, & exposuit; ut si eum memoriæ commendaveris, omnium librorum scientia refertus esse videaris. Ex hoc ergo trutinari debes, & examinari, utrùm ob animæ tuæ salutem
B. Sacerdotium declinare, & eorum periculum, quos corrigere nequiveris, fugere; vel propter tui custodiam, quia ministerium ipsum vitiis te subjacere prohibet, & eorum, quos convertere poteris, lucrum subire debeas, vel ambire; licèt hoc verbum periculosissimum sit & fœdissimum, nedum etiam in efficientiam apud Christianos veniat, & maximè Sacerdotes. Habes Eucherium, nescio, utrum ipsum, quem beatissimus Augustinus presbyterum ex Hispania veteri morbo calculi laborantem, per sanctissimum Stephanum in libro vigesimo secundo de Civitate DEI narrat curatum; an alium Episcopum vel Doctorem, qui multas & utilissimas inter-
C. pretationes, Tropologias, & Anagoges sacrarum Scripturarum proposuit, & dissolvit. Quid dicam de Albino, Magistro Caroli Imperatoris? qui ut tu ipse fateri solitus es, nulli secundus esse voluit, sed in gentilibus & sacris litteris omnes superare contendit. Ille talem Grammaticam condidit; ut Donatus, Nicomachus, Dositheus, & noster Priscianus in ejus comparatione nihil esse videantur. Sed tibi stulto idem de Dialectica, Fide, & Spe, & Charitate multa disputavit, adeo ut etiam in Evangelium Joannis manum mittere
D. præsumeret. Scripsit enim ad amicos plurima, præcipuè ad Witonem. Epistolas verò ejus tibi commendare non audeo, quia tibi puerulo cum supercilio scriptæ videntur. Sed ego ita non sentio; quia ille juxta authoritatem suam (quâ omnes post Regum potentissimum præcellebat) & locutus est, & vixit, & scripsit. Commendo epistolas Hieronymi non illius Græci pagani idololatræ, sed nostri Ecclesiastici cultoris veri DEI; in quibus omnem serietatem, miram joculationem, Scripturarum Sacrarum explanationem, virgini-

virginitatis & viduitatis exhortationem, A
lapsorum sublevationem, Clericorum & Monachorum ac Virginum, imò & fornicariarum modernarum insectationem tam vehementem reperies, ut, si te ipsum Clericum esse memineris, non sit, quòd Monachis & Sanctimonialibus objicere possis. Sed unam illam ætati, progenitoribus, & proximis, indoli, & ministerio tuo congruentissimam commendo epistolam ad Nepotianum, cognatum Heliodori Episcopi, qui futurus post avunculum suum sperabatur Episcopus, & subità morte præreptus est: ut secundum talem institutionem, quali eum instruxit, vivere B
studeas, & non post matris tuæ consobrinum anhelare ad Episcopatum, sed timere & præparare te satagas ad conspectum DEI, quia, sicut omnibus, incerta est tibi hora exitus tui.

CAPUT VII.

De Metrorum, Hymnorum, Epigrammatumque conditoribus.

SI verò etiam metra requisieris, non sunt tibi necessariæ Gentilium fabulæ, sed habes in Christianitate prudentissimum Prudentium de mundi exordio, de C
Martyribus, de laudibus DEI, de Patribus novi & veteris Testamenti dulcissimè modulantem, virtutum & vitiorum inter se conflictus tropologica dulcedine suavissimè proferentem, contra hæreticos & paganos acerrimè pugnantem: Alcwinus vero nomine Avitus, licèt historiam Geneseos quasi solam assumpserit, tamen omnia nostra dulcissimo carmine decantavit, & pulcherrimum librum de virginitate ad sororem suam descripsit, & alium de institutione mortalium, pro quo tu legisti Catonianum; sed quantocyùs facito tuum esse. Juvencum & Se- D
dulum Oratorem, Hymnosque Ambrosianos, scio, quia jam memoriæ commendasti. Quod si Scriptores Ecclesiasticos nosse desideras, inani labore tabescis, cùm hodieque & usque in finem sæculi non desint, qui utilia scribere possint. Si tamen antiquos Authores nosse volueris, lege librum beati Hieronymi de illustribus Viris à Sancto Petro usque ad se ipsum, & Gennadii Toletani Episcopi ab Ambrosio usque ad eundem Gennadium. Vale, & aliquando tibi satis sit exhausti.

Ex Cod. alias Alcinus.

Sed quid tibi aviditatem tuam imputo, cùm meam socordiam ipse reprehendo? Modo DEus, qui omnia tibi prosperat, Prosperum mihi perduxit ad memoriam, cujus Epigrammata, licèt invitus, habes in corde descripta. Libros autem ejus de vita activa & contemplativa nescis adhuc, quos, si didiceris, & observaveris (ut tandem aliquando aperiam, quid jugiter Sacerdotii nomine significem) Episcopatu dignissimus eris. Eheu! sed mihi tùm quàm molliter ossa quiescent! Iterum iterumque valeto.

CAPUT VIII.

De Libro Consensûs Evangelistarum, & de Fide ad Petrum S. Augustini.

LErnææ paludi, Hydrino capiti, seu certè rogo flagranti te comparaverim, quorum singula aliud, quò crebrius obturatur, sæpius erumpit. Aliud succiso uno mille capitibus pullulascit; alius, quò plura ligna voraverit, amplius voranda desiderat: Ita & tu, cùm in uno tibi satisfecero, alia & alia nova & impossibilia debilissimæ cervici subeunda non exhorrescis, non times, non exavescis, non saltem misericordiâ motus desinis imponere. Apto ergo infirmos humeros gravi sarcinæ: pii provisoris mei est, hâc me quandocumque relevare. Quod tamen ita dictum noveris ante DEum, ut si quæ mihi fraternè injungere, & non imperatoriè volueris imponere, quoad vivam, ad voluntatem tuam cupio promptissimus esse. Ordinatione DEI (ut credo) non humana voluntate factum est, quod libri Sancti Augustini de Symphonia, ut ipse illis nomen imposuit, vel Anaphonia Evangelistarum, ut adversarii garriunt, incommemoratos reliqui, quatenus de his modo latiùs aliquid instruere te occasionem capiam. Primus itaque ex eis non de sui materia, sed de sequentibus nomen accepit; ipse enim, quodcunque ei vocabulum imposueris, omnia supergreditur. Quod si enim galeam vel thoracem veteris ac novi Testamenti nuncupare volueris, hoc nomen ipsi minùs idoneum reperies, cùm eum contra Hæreticos & omnes idololatras, sed & falsos fratres clypeum æreum, clavis aureis compactum, & argento purissimo vestitum esse, seu nimium ignitum contra ligna arida, fœnum, stipulamque didice-

didiceris, vel armamentarium omnimodi A generis telorum adversùs humanæ spiritualisque nequitiæ cœtum, oculis & experimento probaveris. De sequentibus autem quid loquar? qui ita veritatis ipsius ratione subnixi sunt, ut si eos memoriæ commendaveris, omnibus semper & ubique Evangelii contradictoribus ipse jam Filius Evangelii contradicere possis: in quibus & multas sententias cum lucidissimis explanationibus positas invenies. Est etiam alius liber ejusdem Augustini de Fide ad Petrum Diaconem ita dispositus, ut, si eum firmiter comprehenderis, in- B victum te adversùs omnes hæreses, quæ hactenus exortæ, vel post orituræ sunt, reddat, victorémque constituat.

CAPUT IX.

De Libris S. Prosperi Aquit.

PUlcherrimo operi Prosperi de promissis & prædictis DEI operam impende; quòd ipsum noveris regulam omnium divinarum Scripturarum, quid in his tantùm historicè factum, quid historicè quidem factum, sed quomodo moraliter, vel juxta Anagogen sit factum, quid tan- C tummodo futurum, & quid in hoc tempore, quid sub Antichristo, vel post ejus perditionem, quid in futuro sæculo reprobis & electis communiter prædictum, quid solis electis specialiter sit promissum. In quo volumine multa vera etiam ex libris Ethnicorum de consummatione sæculi & commutabilium translatione utiliter inserta reperies. Item libris ejusdem de gratia & libero arbitrio acutissimè intende, quos ille ex innumeris Sancti Augustini, & aliorum Patrum libris quasi in brevissima tabula quandam, vel potiùs D veram Cosmographiam depinxit; quia videlicet homo non juxta Philosophos minor est mundus, sed major; cùm non homo propter mundum, sed mundus propter hominem sit factus.

CAPUT X.

De iis, qui vitas & passiones Apostolorum, ac Martyrum conscripserunt.

PRæterea debes agones & victorias Sanctorum Martyrum diligentissimè perquirere; ut eorum exemplo non tantùm illecebras mundi respuere, sed & animam pro Christo ponere, & cruciatus corporis pro nihilo ducere, DEI gratia, & Sancti Spiritus inhabitatione consuescas: primùmque præcipuorum Apostolorum Petri & Pauli, Andreæ & Jacobi fratris Joannis, sed & Jacobi fratris Domini. Historiis verò, quæ sunt de Andrea & Joanne, sed & passionibus reliquorum Apostolorum, auctoritatem derogat Ecclesia. Quarum tamen passionum Bartholomæi verisimillimam, seu certè veracissimam noveris. Historia verò de Petro & Paulo, & eorum discipulis Processo & Martiniano carcerariis, Nicomede presbytero, Nereo & Achileo, Marone, Victorino, Euticete, Marcello, Petronella, Felicula, Domitilla, Potentia & Euphrosyna, pro omnium ædificatione legitur. Sed & liber Hermæ, qui Pastor inscribitur. Liber autem sub nomine Clementis respuitur. Post Apostolos sequitur passio de Sancto Clemente. Dehinc mirabilis liber de Sancto Alexandro, Eventio & Theodulo, Hermete, Quirino, & cæteris.

CAPUT XI.

De Chronographis Ecclesiasticis & Bibliothecariis.

EST & historia, quæ dicitur Ecclesiastica Eusebii Episcopi Cæsariensis, & Hieronymi nostri à Nativitate Domini, non solùm omnimodas per orbem terrarum Sanctorum passiones continens; sed & alia quæcunque memoriâ digna videbantur, usque ad ipsum Hieronymum, qui, quod mihi injunxisti, de paucis, ipse scripsit librum de illustribus viris omnium à se ipso usque ad Sanctum Petrum, commemorans quid singuli scriptum reliquerunt. Post quem Gennadius Toletanus Episcopus alium non dissimilem usque ad semetipsum composuit. Est & alia historia, quæ Tripartita nuncupatur pro eo, quod Cassiodorus Senator Romanus de tribus scriptoribus, Socrate videlicet, Sozomeno, & Theodorito, quæ præcipua videbantur, in unum volumen compegit. Passionem Sancti Laurentii si integram & non particulatim reperire quiveris, quanta bella, & quot victorias Martyrum invenies? Polychronii videlicet Babylonii Episcopi de Perside cum Presbyteris & Diaconibus, Regulorum quoque Abdon & Sennen, quando etiam non

non persecutione, sed vastitate per Decium factâ Cæsarem, abolita est in illis partibus Religio Christiana. Qui Romam regressus ibi omnes Christianos, quos invenire posset, diversis poenis interemit: Sed, quod molliebatur, Christianum nomen auferre, tantâ cæde non potuit; quin etiam in Perside, licet multò post tempore Christianitatis cultus per Cyriacum Diaconem Romanum est recuperatus, temporibus scilicet Diocletiani Cæsaris, & Filiorum ejus, Maximini scilicet in Oriente, & Maximiniani in Occidente, qui super omnes nostræ fidei fuère persecutores. Sed Ecclesiam super firmitatem fundatam petræ, licet concutere, tamen, quod præcipuè cupierunt, dejicere nequiverunt; sicut neque post eos detestandus Apostata Julianus. Quo cœlitùs interempto, quasi post rigidissimam hyemem verni flores in terra nostra apparere cæperunt, qui priùs quasi in theca vel cortice clausi tenebantur. Basilius scilicet Cappadocum Episcopus & fratres ejus mirabiles, Gregorius, Athanasius Alexandrinus Episcopus, Joannes Constantinopolitanus Episcopus. Deserta quoque omnia novos fructus edidêre. Paulos quoque & Antonios, Macarios utique & Serapionas, & viginti quatuor Seniores cum infinita multitudine sub eorum umbraculo germinantium.

CAPUT XII.

Ecclesiam Occidentalem Sanctorum multitudine Orientali nequaquam inferiorem esse docet. Commendat lectionem Prisciani, Josephi, & Hegesippi.

A. Occidens etiam ipse, licèt serò, tandem tamen aliquando in germen erupit: Martinum Pannoniis ortum, & non solùm Germaniam, vel Italiam, seu Gallias suâ præsentiâ illuminantem, sed etiam omnes Orientales, ipsis testibus, claritate luminis superantem. Quos etiam magister ejus Hilarius corporaliter illustrandos adiit. DEO gratias. Credo, quia æquiparaverit nostra tarditas eorum priorατum, cùm intueor Ambrosium, Hieronymum, Augustinum viventem nostrum, defunctum nostrum, ne sterilis B. Africa de tantâ fœcunditate se audeat jactitare, Maximum, Clarum, Simplicianum, Eusebium, Aurelium, Severum, Severinum, Briccium, Paulinum Treverensem, & Nolanum, quasi astra simul procedentes, & circa finem noctis alios multò plures, quorum etiam nomina virtutum sunt præsaga: Congellos scilicet, qui interpretantur Fausti; Columbas, Columbanos, Gallos, Gregorium quintum, nomen Chrysostomi Græcis auferentem: Benedictos, Honoratos, Libertinos, C. Othmaros, nostrum & Belgicum. Cæterum, si & Gentilium Authores nosse desideras, Priscianum lege. Josephi verò Judaici historias, & Hegesippi nostri legendas. - - - Et finem libello impono. Amen. Explicit.



B. NOT-

B. NOTKERI BALBULI
Sanct. Gallensis,
Ord. S. Bened.

LIBER SEQUENTIARUM.

In lucem editus è MS. Cod. Imperialis Monasterii S. Emmerammi Ratisbon. Ord. S. Bened. à R. P. Bernardo Pez, Bibliothec. Mellicensi.

INCIPIT PRÆFATIO NOTKERI IN LIBRUM SEQUENTIARUM.

Cum adhuc juvenculus essem, & A.
melodiæ longissimæ sæpiùs memoriæ commendatæ, instabile corculum aufugerent; cæpi tacitus mecum volvere, quonam modo eas potuerim colligare. Interim verò contigit, ut Presbyter quidam de Gemidia, nuper à Nordmannis vastata, veniret ad nos, Antiphonarium suum secum deferens, in quo aliqui versus ad sequentias erant modulati, sed jam tunc nimium vitiati. Quorum, ut visu delectatus, ita sum gustu amaricatus. Ad imitationem tamen eorundem cœpi scribere: *Laudes DEO concinat Orbis universus, qui gratis est li-* B.
beratus. Et infra: *Coluber Adæ malesuasor.* Quos cùm Magistro meo Ysoni obtulissem; ille studio meo congratulatus, imperitiæque compassus, quæ placuerunt, laudavit; quæ autem minùs, emendare curavit, dicens: Singulæ motus cantilenæ singulas Syllabas debent habere. Quod autem audiens, ea quidem, quæ in *ia* veniebant, ad liquidum correxi: quæ verò in *le*, vel *lu*, quasi impossibilia vel attemperare neglexi: cùm & illud postea visu facillimum deprehenderim, ut testes sunt: *Dominus in Syna.* Et: *Mater.* Hocque modo instructus, secunda mox voce di- C.
ctavi: *Psallat Ecclesia, mater intibata.*

Quos versiculos cùm Magistro meo Marcello præsentarem, ille gaudio meo repletus, in rotulas eos congessit, & pueris cantandos, alius alios insinuavit. Cumque mihi dixisset, ut in libellum compactos, alicui Primorum illos pro munere offerrem, ego pudore retractus, nunquam ad hoc cogi poteram. Nuper autem à fratre meo Othario rogatus, ut aliquid in laude vestra conscribere curarem, & ego me ad hoc opus imparem non immerito judicarem; vix tandem aliquando, ægreque ad hoc animatus sum, ut hunc minimum, vilissimumque codicellum vestræ Celsitudini consecrare præsumerem. Quæ si in eo placitum vestræ pietati comperero, ut ipsi fratri meo apud Dominum Imperatorem sitis adminiculo, metrum, quod de vita Sancti Galli elaborare pertinaciter insisto, quamvis illud fratri Salomoni priùs pollicitus fuerim, vobis examinandum, habendum, ipsique per vos explanandum dirigere festinabo.

Incipit Liber Sequentiarum.

CAPUT I.

In galli cantu.

Eja recolamus
laudibus piis digna
Hujus diei carmina, in qua
nobis lux oritur gratissima.
Noctis inter nebulosa pereunt
nostri criminis umbracula.
Hodie seculo maris stella
est enixa novæ salutis
gaudia.
Quem tremunt barathra,
mors cruenta pavet ipsa,
à quo peribit mortua.
Gemit capta pestis antiqua,
coluber lividus perdit spolia.
Homo lapsus, ovis abducta
revocatur ad æterna gaudia.
Gaudent in hac die agmina
Angelorum cælestia:
Quia erat drachma decima
perdita, & est inventa.
O Virgo nimium beata,
qua redempta est natura!
DEUS, qui creavit omnia,
nascitur ex fœmina!
Mirabilis natura mirificè
induta, assumens, quod
non erat, manens, quod erat!

Indui-

Induitur naturâ Divinitas
humanâ: quis audivit
talia, dic, rogo, facta?
Quærere venerat Pastor
pius, quod perierat:
Induit galeam, certat
ut miles armatura.
Prostratus in sua propria
ruit hostis spicula.
Auferuntur tela,
In quibus fidebat: divisa
sunt illius spolia,
capta præda sua.
Christi pugna fortissima
salus nostra est vera.
Qui nos suam ad patriam
duxit post victoriam,
In qua sibi laus est æterna.

CAPUT II.

In primo mane.

GRates nunc omnes
reddamus Domino DEO,
qui sua nativitate
Nos liberavit
de Diabolica potestate.
Huic oportet, ut canamus
cum Angelis semper:
gloria in excelsis.

CAPUT III.

In Natale Domini.

NAtus ante secula DEI Filius,
invisibilis, interminus,
Per quem fit machina cœli, ac terræ,
maris, & in his degentium:
Per quem dies, & horæ labant,
& se iterum reciprocant.
Quem Angeli in arce Poli
voce consona semper canunt,
Hic corpus assumpserat fragile
Sine labe originalis criminis
de carne MARIÆ Virginis,
quò primi parentis culpam
Evæque lasciviam tergeret.
Hoc præsens diecula loquitur,
Prælucida, adaucta longitudine,
quòd Sol verus radio sui luminis
vetustas Mundi depulerit
genitus tenebras.
Nec nox vacat novi Syderis
luce, quod Magorum
oculos terruit scios.

A. Nec gregum Magistris defuit
lumen, quos præstrinxit
claritas militum DEI.
Gaude DEI Genitrix, quam
circumstant obstetricum vice
concinentes Angeli gloriam DEO.
Christe, Patris unice, qui humanam
nostri causâ formam assumpsisti,
refove supplices tuos:
Et quorum participem te fore
dignatus es, JESU, dignanter,
eorum suscipe preces:
Ut ipsos Divinitatis tuæ
participes, DEUS, facere
B. digneris unice DEI.

CAPUT IV.

In Natale Sancti Stephani Martyris.

HAnc concordi famulatu
colamus sollemnitatem,
Auctoris illius exemplo
docti benigno,
Pro persecutorum precantis fraude
suorum,
O Stephane, signifer Regis
summè boni nos exaudi,
Proficuè qui es pro tuis
exauditus inimicis.
C. Paulus tuis precibus, Stephane, te
quondam persecutus Christo credit,
Et tecum tripudiat in regno, cui
nullus persecutor appropinquat.
Nos proinde, nos supplices, ad te
clamantes, & precibus te pulsantes,
Oratio sanctissima nos tua semper
Conciliet DEO nostro.
Te Petrus Christi ministrum statuit:
Tu Petro normam credendi astruis,
ad dextram summi Patris ostendendo,
D. quem plebs furens crucifixit.
Te sibi Christus elegit Stephane,
Per quem fideles suos corroboret,
se tibi inter rotatus saxorum
solatio manifestans.
Nunc inter inclytas Martyrum
purpuras coruscas coronatus.

CAPUT V.

In Natale Sancti Joannis Evangelistæ.

JOannes JESU Christo multum
dilecte Virgo!
Tu ejus amore carnalem
In navi parentem liquisti:

Tu leve conjugis pectus A.
respuisti, Messiam secutus,
Ut ejus pectoris sacra
meruisses fluenta potare.
Tuque in terra positus, gloriam
conspexisti Filii DEI,
Quæ solùm Sanctis in vita creditur
contuenda esse perenni.
Te Christus in cruce triumphans,
Matri suæ dedit custodem;
Ut Virgo Virginem servares,
atque curam suppeditares.
Tute carcere, flagrisque fractus,
testimonio pro Christi es gavisus.
Idem mortuos suscitas, inque B.
JEsu nomine venenum forte vincis.
Tibi summus tacitum cæteris
Verbum suum Pater revelat.
Tu nos omnes sedulis precibus
apud DEUM semper commendans
Joannes Christi chare.

CAPUT VI.

In Natale Sanctorum Innocentum.

LAus tibi Christe Patris
optimi nate, DEus omnipotentiæ,
Quem cælitus jubilat super Astra
manentis plebis decus harmoniæ.
Quem agmina infantium sonoris
hymnis conlaudant ætheris in arce: C.
Quos impius ob nominis odium tui
misero straverat vulnere.
Quos piè nunc remuneras in cœlis
Christe pro pœnis nitide:
Solita usus gratia qui tuos ornas
coronis splendidè.
Quorum precibus sacris dele, precamur,
nostræ piè crimina vitæ:
Et quos laudibus tuis junxeras nobis,
istic dones clemens favere.
Illis æternæ dans lumen gloriæ
Nobis terrea concede vincere;
Ut liceat serenis actibus pleniter
adipisci dona tuæ gratiæ. D.
Herodis ut non fiat socius, quisquis
in horum laude se exercet properè;
Sed æternaliter cum eisdem catervis
tecum sit, Domine.

CAPUT VII.

In Epiphania Domini.

FEsta Christi omnis
Christianitas celebret,
Quæ miris sunt modis ornata,
cunctisque veneranda populis
Per omnitenentis adventum,
atque vocationem gentium,
Ut natus est Christus, est stella
Magis visa lucida.
At illi non cassam putantes
tanti signi gloriam
Secum munera deferunt,
parvulo offerant, ut Regi,
Cœli quem Sydus prædicat.
Atque aureo tumidi principis
lectulo transito Christi
præsepe quæritant.
Hinc ira sævi Herodis fervida
Invidi recens rectori genito
Bethlehem parvulos præcipit
ense crudeli perdere.
O Christe, quantum Patri exercitum
Juvenis doctus ad bella maxima
populis prædicans colligis
sugens cum tantum miseris.
Anno hominis tricesimo
Subtus famuli se inclyti
inclinaverat manus Deus consecrans
nobis Baptisma in absolutionem criminum.
Ecce Spiritus in specie
Ipsum alitis innocuæ uncturus Sanctis
præ omnibus visitat, semper ipsius
contentus mansione pectoris.
Patris etiam insonuit vox pia,
veteris oblita sermonis:
pœnitet me fecisse hominem.
Verè Filius es tu meus, mihimet
placitus, in quo sum placatus:
hodie te mi Fili genui.
Huic omnes auscultate
populi Præceptori.

CAPUT VIII.

In Purificatione Sanctæ Mariæ.

COnceptu parili hic te
Maria veneratur populus,
teque piis colit cordibus.
Generosi Abraham tu filia,
veneranda regia de Davidis
stirpe genita.
Lætare Mater, & Virgo nobilis,
Gabrielis Archangelico,
quæ oraculo credula
genuisti clausa filium.
In cujus sacratissimo sanguine
emundatur universitas
perditissimi generis,
ut promisit DEus Abrahæ.

Te

Te virga arida Aaron flore
Speciosa te figurat, Maria, sine
viri semine nato floridam.
Tu porta jugiter serata, quam
Ezechielis vox testatur; Maria
Soli DEO pervia esse crederis.
Sed tu tamen Matris virtutum
dum nobis exemplum cupîsti
commendare, subîsti remedium,
pollutis statutum matribus.
Ad templum detulisti tecum
mundandum, qui tibi integritatis
decus DEus, homo genitus
adauxit, intacta genitrix.
Lætare, quam scrutator cordis
& renum probat habitatu proprio,
singulariter dignam, sanctam MARIAM.
Exulta, cui parvus arrisit tunc,
Maria, qui lætari omnibus
& consistere suo nutu tribuit.
Ergo quique colimus festa
parvuli Christi propter nos facti
ejusque piæ Matris Mariæ:
Si non DEI possumus tantam
exsequi tardi, humilitatis
forma sit nobis ejus genitrix.
Laus Patri gloriæ, qui suum
Filium gentibus, & populo
revelans Israël nos sociat.
Laus ejus Filio, qui suo
sanguine nos Patri concilians,
supernis sociavit civibus:
laus quoque Sancto Spiritui sit per
ævum.

CAPUT IX.

In Die Sancto Paschæ.

LAudes Salvatoris voce modulemur
supplici,
Et devotis melodiis cœlesti
Domino jubilemus Messiæ:
Qui se ipsum exinanivit, ut nos
perditos liberaret homines.
Carne gloriam Deitatis occulens
Pannis tegitur in præsepi, miserans
præcepti transgressorem, pulsum
patriâ Paradisi nudulum.
Joseph, Mariæ, Simeoni subditur,
Circumciditur, & legali hostia
mundatur, ut peccator, nostra
qui solet relaxare crimina.
A. Servi subiit manus baptizandus,
& persert fraudes tentatoris,
fugit persequentum lapides.
Famem patitur, dormit, & tristatur,
ac lavat discipulis pedes,
DEus homo, summus humilis.
Sed tamen inter hæc abjecta corporis
Ejus Deitas nequaquam
quivit latere, signis variis,
& doctrinis prodita.
Aquam nuptiis dat saporis vinei.
Cæcos oculos claro lumine
vestivit. Lepram luridam
tactu fugat placido.
B. Putres suscitat mortuos,
membraque curat debilia.
Fluxum sanguinis constrinxit,
& saturavit quinque de panibus
quina millia.
Stagnum peragrat fluctuans, ceu
siccum littus, ventos sedat.
Linguam reserat constrictam,
reclusit aures privatas
vocibus; febres depulit.
Post hæc mira miracula taliaque
Sponte sua comprehenditur, & damnatur,
Et se crucifigi non despexit;
C. Sed Sol ejus mortem non aspexit.
Illuxit dies, quam fecit Dominus,
Mortem devastans, & victor suis
apparens dilectoribus vivus,
Primo Mariæ, dehinc Apostolis
Docens Scripturas, cor aperiens,
ut clausa de ipso referarent.
Favent igitur resurgenti
Christo cuncta gaudiis,
Flores, segetes redivivo fructu
vernant, & volucres gelu trist[illegible]
terso dulce jubilant.
Lucent clariùs sol, & luna
D. morte Christi turbida.
Tellus herbida resurgenti
plaudit Christo, quæ tremula ejus
morte se casuram minitat.
Ergo die ista exultemus, qua nobis
viam vitæ resurgens patefecit JEsus.
Astra, solum, mare jocundentur,
& cuncti gratulentur in cœlis
spiritales chori Trinitati.

CAPUT X.

Feria II.

PAngamus Creatoris,
Atque Redemptoris gloriam,
Qui

Qui benè creatos, sed seductos astutiâ A.
Callidi serpentis suâ refecit gratiâ,
Prædicens, futurum ut germen
sancta proferret fœmina.
Quod hostis antiqui nociva
exsuperaret capita.
Quod primitus perdita, seriùs
nostra cernunt secula.
Cùm splendida flosculo virgula
novo pollet Maria.
Qui editus mirè edidit miracula.
Nec juvenis tantùm, sed statim inter
Suæ nativitatis primordia
Per syderis lumen, vel Simeonis verba
Judaica ad se vel corda, vel munera
adtrahens nutu gentilia. B.
Quem Pater in voce, atque Spiritus
Sanctus specie glorificat.
Visentes Doctorem, vel Archiatrum
docent auctoritate sua.
Qui postquam salutis dona dedit
multa, doctrinæque perplura verba
ore suo promulgavit saluberrima,
Ad probra, sputa, colaphos, & flagella,
vestem quoq; ludo quæsitam, & spineum
venit sertum ad crucis brachia.
Qui hodie triumphali à mortuis
resurgens sprevit victoriâ,
Ducens secum primitiva C.
ad cœlos membra, & nuper
dispersa revocans ovilia.
Quæ & nobis in fine speranda,
licet ultima membra simus,
spondet dona.

CAPUT XI.
Feria III.

Agni Paschalis esu
Potuque dignas
Moribus sinceris præbeant
omnes se Christianæ animæ.
Pro quibus se DEO hostiam obtulit
ipse summus Pontifex. D.
ſic Cod. Quarum frons in postis est *modum
ejus illita sacrosancto cruore,
& tuta à clade Canopica.
Quarum crudeles hostes
in mari rubro sunt obruti.
Renes constringant ad pudicitiam:
Pedes tutentur adversus viperas,
Baculosque spiritales contra
canes jugiter manu bajulent;
Ut Pascha JEsu mereantur sequi,
quo de Barathro victor redit.

En redivivus mundus ornatibus
Christo consurgens fideles admonet,
Post mortem melius cum eo victuros.

CAPUT XII.
Feria IV.

GRates Salvatori, ac
Regi Christo DeO solvant
Omnes incolarum incolæ,
Quem spectatum diu jam tenent,
Et leges ejus mentibus
captent promptulis.
Quos derelicto populo delegit
Judæo, de Abrahæ carne genito;
Et per fidem, quos Abrahæ
natos fecit, & cognatos suum
sanctum per sanguinem.
O Christe consanguinee naturæ
nostræ nos fove,
Atque per Divinam potentiam
tuere ab omni incursu
inimici, & insidiis.
Quem per carnis edulium
delusisti hamo tuæ Majestatis, Fili Dei.
Tu resurgens imperitas
non moriturus ampliùs.
Tu mortalem nostram, & terream
naturam resurgens incorruptivam
fecisti, atque cœlis invexisti.

CAPUT XIII.
In Ascensione Domini.

SUmmi triumphum
Regis prosequamur laude,
Qui cœli, qui terræ regit
sceptra, inferni jure domito:
Qui sese pro nobis redimendis
permagnum dedit pretium.
Huic nomen extat conveniens Idithun:
Nam transilivit omnes strenuè
montes, colliculosque Bethel.
Saltum de cœlo dedit in virginalem
ventrem, inde in Pelagus sæculi.
Postquam illud suo mitigavit
potentatu, terras Phlegethontis
assiliit tenebras.
Principis illius disturbato imperio,
Maniplis plurimis inde erutis
Mundum illustrat suo jubare:
Captivitatemque detentam tibi
victor duxit secum,
Et redivivum jam suis se
præbuit servis, & amicis.
Denique saltum dederat hodie
maximum, nubes, polosque
cursu præpeti transiens. Ce-

Celebret ergo populus hunc diem
credulus, cujus morbida Idithun
corpora in semetipso altis sedibus
cœli invexit DEI Filius:
Et tremens judicem exspectet
affuturum, ut duo Angeli
fratres docuerunt.
Qui JEsus à vobis assumptus est in cœlũ,
iterum veniet, ùt vidistis eum.
Nam Idithum nostrum vocibus
Sedulis omnes imploremus;
Ut à dextris Patris, qui sedet,
Spiritum mittat nobis Sanctum.
In finem sæculi ipse quoque
semper sit nobiscum.

CAPUT XIV.

In die Sancto Pentecostes.

SAncti Spiritus
adsit nobis gratia,
Quæ corda nostra sibi
faciat habitaculum.
Expulsis inde cunctis
vitijs Spiritalibus.
Spiritus alme, illustrator hominum,
Horridas nostræ mentis
purga tenebras.
Amator sanctè sensatorum
semper cogitatuum,
Infunde unctionem tuam
clemens nostris sensibus.
Tu purificator omnium
flagitiorum Spiritus
Purifica nostri oculum
interioris hominis;
Ut videri supremus
Genitor possit à nobis,
Mundi cordis, quem soli
cernere possunt oculi.
Prophetas tu inspiràsti, ut præconia
Christi præcinuissent inclyta.
Apostolos confortàsti, ut trophæum
Christi per totum Mundum veherent.
Quando machinam per verbum suum
fecit DEus cœli, terræ, Maris,
Tu super aquas foturus eas, Numen
tuum expandit: Spiritus.
Tu animabus vivificandis
aquas fœcundas.
Tu aspirando da Spiritales
esse homines.
Tu divisum per linguas Mundum,
& ritus adunasti Spiritus.
Idololatras ad cultum DEI revocas.
magistrorum optime.

A. Ergo nos supplicantes tibi
exaudi propitius Sancte Spiritus,
Sine quo preces omnes cassæ
creduntur, & indignæ DEI auribus.
Tu, qui omnium sæculorum Sanctos,
Tui Numinis docuisti instinctu
amplectendo Spiritus;
Ipse hodie Apostolos Christi
Donans munere insolito,
& cunctis inaudito seclis,
Hunc diem gloriosum fecisti.

CAPUT XV.

B. *In Natale Sancti Johannis Baptistæ.*

SAncti Baptistæ, Christi præconis,
sollemnia celebrantes,
moribus ipsum sequamur;
Ut ad viam, quam prædixit,
asseclas suos perducat.
Devoti te sanctissime hominum
amice JEsu Christi flagitamus,
ut gaudia percipiamus,
Apparens quæ Zachariæ Gabriel
repromisit, qui tuam celebrarent
obsequiis nativitatem.
Et per hæc festa æterna gaudia
C. adipiscamur,
Qua sancti DEI sacris delicijs
læti congaudent.
Te, qui præparas fidelium corda,
Ne quid devium, vel lubricum
DEus in eis inveniat,
Te deposcimus, ut crimina nostra,
Et facinora continua prece
studeas absolvere;
Placatus ut ipse suos semper
invisere fideles,
Et mansionem in eis facere dignetur,
Et Agni vellere, quem tuo digito
Mundi monstraveras tollere
crimina, nos velit inducere,
D. Ut ipsum mereamur, Angelis associj
In alba veste sequi per portam clarissimam,
Amice Christi Johannes.

CAPUT XVI.

In natalitiis Apostolorum Petri, & Pauli.

PEtre, summe Christi Pastor,
& Paule gentium Doctor,

Ecclesiam vestris doctrinis illuminatam
Per circulũ terræ precatus adjuvet vester.
Nam Dominus, Petre, cœlorum
tibi claves dono dedit.
Armigerum Benjamin Christus
te fecit suum, vasq; electum.
Mare plantâ te, Petre, Christus
conculcare tuæ dedit charitati.
Umbram tui corporis infirmis,
debilibusq; fecit medicinam.
Spermologon Philosophos te
Paule, Christus dat vincere sua voce.
Multiplices victorias tu Paule
Christo per populos adquisisti.
Postremo victis omnibus barbaris
Ad arcem summi pergitis culminis,
germanos discordes sub jugum
Christi pacatos jam coacturi.
Ibi Neronis feritas Principes
Apostolorum prælijs plurimis victores
diversæ te Petre, & Paule,
addixerat pœnæ mortis.
Te crux associat, te verò gladius
cruentus mittit Christo.

CAPUT XVII.

De Natale Sancti Benedicti Abbatis.

SAncti merita
Benedicti inclyta
Verendæ sanctitatis ac
Monachorum Præsulis
Pro posse, atq; nosse organa
nostra concrepent.
Nursia felix tulit natum genitrix;
Domina Mundi Roma fovit altrix.
Hic ergo præventus optimo Sancti Spiritus dono,
Sophiam despexit humanam,
nactus & Angelicam.
Hic fide subnixus integrâ
redintegravit confracta.
Incendia carnis edomat;
cruce venenum effugat.
Vagæ mentis Monachum
reparat, fontem rivulat.
Ejus jussu de laci abdito ferrum enatat.
Discipulus super aquas siccis pedibus
currit, corvus mandatum peragit.
Ingentem lævigat petram. Fratrum
revocat oculos, jam delusos ignibus.
Lapium Monachum per membra tritum
sua prece redonavit animæ.
Culpam prodidit præsumpti cibi,
& hospitem nota culpat simili.

A. Perfidi Regis machinamenta
sagax denudat.
Post decem annos per spiritum
finem vitæ nuntiat.
Qui Clericum hoste pervasum liberat,
& cautelam demandat.
Qui secretam superbi mentem increpat,
atq; famem mitigat.
Verbo carne solutas ligat jam
animas; sed absolvit pane mystico.
Cautes absq; periculo servant vas
vitreum. Ipse pressum plangit æmulũ.
Solo intuitu enodavit rusticum,
Sed oramine jam extinctum
rustici suscitavit filium.

B. Ipse nos pio conciliet Christo,
Poscens veniam delictorum, & partem
in quietis sedibus,
In quibus gloriosus triumphat.

CAPUT XVIII.

In Natale Sancti Laurentii Martyris.

LAurenti David Magni
Martyr, milesq; fortis,
Tu Imperatoris tribunal,
Tu manus tortorum cruentas
Sprevisti, secutus desiderabilem,
atq; manu fortem,
Qui solus potuit regna
superare tyranni crudelis;

C. Cujusq; sanctus sanguinis prodigos
facit amor milites ejus,
Dummodo illum liceat cernere
dispendio vitæ præsentis.
Cæsaris tu fasces contemnis
& judicis minas derides.
Carnifex ungulas, & ustor
craticulam vanè consumunt.
Dolet impius Urbis Præfectus
victus à pisce assato, Christi cibo.
Gaudet Domini conviva favo
conresurgendi cum ipso saturatus.
O Laurenti, militum David
invictissime Regis æterni.

D. Apud illum servulis ipsius
deprecare veniam semper,
Martyr, milesq; fortis.

CAPUT XIX.

In Assumptione Sanctæ Mariæ.

COngaudent Angelorum
chori gloriosæ Virgini,
Quæ sine virili commixtione genuit
Filium, qui suo Mundũ cruore medicat.
Nam ipsa lætatur, quo cœli jam
conspicatur Principem,

In

In terris cui quondam fugendas
virgo mammillas præbuit.
Quam celebris Angelis MARIA
JESU Mater creditur,
Qui filij illius debitos
se cognoscunt famulos!
Qua gloria in cœlis ista Virgo colitur,
Quæ Domino cœli præbuit hospitium
sui sanctissimi corporis?
Quàm splendida Polo
Stella maris rutilat,
Quæ omnium lumen astrorum,
& hominum atq; spirituum genuit!
Te cœli Regina hæc plebecula
pijs concelebrat mentibus.
Te cantu melodo super Æthera
una cum Angelis elevat.
Te libri, Virgo, concinunt
Prophetarum, chorus jubilat
Sacerdotum, Apostoli, Christiq;
martyres prædicant.
Te plebes sexûs sequitur utriusq;,
vitam diligens virginalem,
cœlicolas in castimonia æmulans.
Ecclesia ergo cuncta te cordibus,
teq; carminibus celebrans,
Tibi suam manifestat devotionem,
precatu te supplici implorans, MARIA:
Ut sibi auxilio circa Christum Dominum
esse digneris per ævum.

CAPUT XX.

In Nativitate Sanctæ MARIÆ.

STirpe MARIA regia
procreata regem generans JESum
Laude dignum Angelorum sanctorum,
Et nos peccatores, tibi devotos
intuere benigna.
Tu pios patrum mores ostentas
in te, sed excellis eosdem.
Patris tui Salomonis
in te lucet sophia,
Et Ezechiæ apud DEUM cor rectum,
sed nunquam in te corrumpendum.
Patris Josiæ adimplevit
te religiositas,
Summi etiam Patriarchæ te fides
totam possedit patris tui.
Sed quid nos istos recensemus heroas;
Cùm tuus natus omnes præcellat illos,
atq; cunctos per Orbem?
Nos hac die tibi gregatos serva
Virgo in lucem Mundi, qua
prodisti paritura cœlorum lumen.

A.

CAPUT XXI.

De Sancto Emmerammo.

GAudens Ecclesia
hanc dieculam venerando celebret,
atq; canat altis vocibus:
Qua beatus superi promeruit
regna regis lucida Emmerammus
flatu scandere.
Quem carne mater Pictavis gravida
civitatum Aquitaniæ, felicissima
omnium, enixa est dulcem filium.
Qui ipsa pueritiæ tempora rerum
quoq; refutaverat transeuntium
gaudia meditando jam cœlestia.

B

Tum stola gloriæ teguntur colla
speciosa, huic & caput, & corda
spiritalis unctio mox impleverat.
Quem suis ovibus pastorem pastor
subrogarat, ne mansuetum ovile
circuiret callide lupi rabies.
Tunc instructo grege commisso
accinxit vir sese alacriter
studio dilatandi semina
fidei in campo sterili.
Sic peragrans loca jam plura,
& linguens ubiq; memoriam
suavem, Radasponam venerat,
ad sedem Regalem Noricæ.

C.

O quam gens fortunata tali tunc
peregrino ministrando terrea,
qui te pasceret spiritali copia!
Ipse te confortavit suo cruore
suo, & ornavit tumulo: nunc
amplectitur adjuvando sedulò.
Nam ad lectum illius cæci lumine
claro videre solent; vocem
hauriunt surdi liquidam.
Restituto debiles ovant corpore,
salit ut cervus, claudus:
dæmoniacus liber jubilat.
Laus ergo personet ab ore consono
Principum, ac plebium pro tanto
medicinæ gaudio.

D.

Cunctique pariter precemur Dominum,
quatenus concedere dignetur
nos potiri requie
Cum Emmeramo, jam cœli sede locato.

CAPUT XXII.

In Dedicatione Ecclesiæ.

PSallat Ecclesia mater
illibata, & virgo sine ruga
honorem hujus Ecclesiæ.
Hæc domus aulæ cœlestis
probatur particeps

In laude regis cœlorum
& ceremonijs,
Et lumine continuo æmulans
civitatem sine tenebris,
Et corpora in gremio confovens
animarum, quæ in cœlo vivunt.
Quam dextra protegat DEI
Ad laudem ipsius diu.
Hic novam prolem gratia parturit
fœcunda Spiritu Sancto.
Angeli cives visitant hic suos,
& corpus sumitur JESU.
Fugiunt universa corpori nocua.
Pereunt peccatricis animæ crimina.
Hîc vox lætitiæ personat.
Hîc pax, & gaudia redundant.
Hac domo Trinitati laus,
& gloria semper resultant.

CAPUT XXIII.

In festivitate Sancti Michaëlis Archangeli.

MAgnum te Michaëlem
habentem pignus,
Civium nostrorum, si tamen
servi studeamus esse DEI,
Poscimus; ut tuis precibus
consortes mereamur fieri.
Eorum beatitudinis ineffabilis,
quam in DEI conspectu eos
habere confidimus,
Qui est beatitudo vera
Sanctorum perpetua.
Quod quia scimus non posse fieri,
Nisi bonis studeatur meritis;
Poscimus, ut DEum sanctos mores nos
instruere semper postules:
Ut intrare valeamus aulam,
quæ non recipit ullam maculam.
Tu, qui DEI charitatem retines
Immortalis perdurâsti Michaël,
post mortem requiem nobis deprecare.

CAPUT XXIV.

Alia.

AD celebres Rex cœlice
laudes cuncta
Pangat jam canora caterva symphonia,
Odas, atque solvat concio tibi nostra;
Cùm jam renovantur Michaëlis
inclyta valde festa,
Per quæ lætabunda perornatur
machina mundi tota.
Novies distincta Spirituum sunt
agmina per te facta.

A. Sed cùm vis, facis hæc flammea
per Angelicas officinas.
Inter primæva sunt hæc nam
creata tua, cùm simus nos ultima
factura, sed imago tua.
Theologica categorizant
Symbola nobis hæc ter tripertita
per privata officia.
Plebs Angelica, phalanx & Archangelica principans turma.
virtus Uranica, ac
potestas almiphona.
Dominantia Numina, Divinaque
subsellia Cherubim Ætherea,
B. ac Seraphim ignicoma.
Vos, ô Michaël, cœli Satrapa,
Gabrielque, vera dans
Verbi nuntia,
Atque Raphaël, vitæ vernula
transferte nos inter Paradisicolas.
Per vos Patris cuncta
complentur mandata, quæ dat.
Ejusdem Sophia compar quoque
Pnevma, una permanens in usia,
cui estis administrantia
DEO millia millium sacra.
Vices per bis quinas bis atque
quingenta vestra
C. Centena millena assistunt
in aula, ad quam Rex ovem
centesimam Verbigena,
drachmamque decimam
vestra duxit ad agalmata.
Vos per Æthra, nos per rura terrea
pars electa harmonia vota
damus hinc per Lyricas cytharas;
Quò post bella Michaëlis inclyta
nostra DEO sint accepta auream
super aram thymiamata:
Quò in coæva jam gloria
Condecantemus alleluja.

D.

CAPUT XXV.

De Sancto Gallo.

DIlecte DEO Galle perenni
Hominibusq;, & cœtibus Angelorũ,
Qui JEsu Christi obediens
arduæ suasioni,
Prædia patris, gremium matris,
Conjugis curam, ludicra nati
Sprevisti, pauperem pauper
Dominum sequens:
Et crucem gaudijs prætulisti lubricis.
Sed Christus precio centuplicato

Hæc

Hæc compensat, ut dies iste
testatur,
Dum tibi nos omnes filios
dulci subdit affectu,
Sueviamque, suavem patriam
tibi Galle donavit:
Nec non & judicem in cœlis Apostolorũ
choro junctum te fecit sedere.
Te nunc suppliciter precamur, ut nobis
JEsum Christum Galle postules favere:
Et locum corporis ejus
pace repleas,
Ac tuos supplices crebra
prece subleves;
Ut tibi debitam honorificentiam
Lætabundi semper mereamur solvere,
O Galle DEO dilecte.

CAPUT XXVI.

In festo Omnium Sanctorum.

OMnes sancti Seraphim,
Cherubim, Throni quoq;
Dominationesq;, Principatus,
Potestates, Virtutes,
Archangeli, Angeli vos decet
laus, & honores.
Ordines Novenos Spirituum beatorum,
Vos in DEI laudibus firmavit charitas.
Nos fragiles homines firmate precibus;
Ut spiritales pravitates vestro
juvamine vincentes fortiter
Nunc, & in ævum vestri simus digni
sollemnijs interesse sacris.
Vos, quos DEI gratia vincere terrea,
Et Angelis socios fecit esse Polo,
Vos Patriarchæ, Prophetæ,
Apostoli, confessores, martyres,
Monachi, virgines.
Et viduarum sanctarum omniumq;
placentium populos supremo Domino
Nos adjutorium
Nunc, & perenniter
Foveat, protegat, ut vestrum in die
poscimus gaudiorum vestrorum.

CAPUT XXVII.

In Natale Sancti Martini Episcopi.

SAcerdotem Christi
Martinum cuncta per Orbem
canat Ecclesia pacis Catholicæ,
Atq; illius nomen omnis
hæreticus fugiat pallidus.
Pannonia lætetur genitrix
talis filij:

A. Italia exultet alitrix
tanti juvenis;
Et Galliæ trina divisio sacro certet
litigio, cujus esse debeat Præsul.
Sed pariter habere se patrem omnes
gaudeant Turoni soli,
ejus corpus foveant.
Huic Francorum, atq; Germaniæ
plebs omnis plaudat,
Quibus videndum invexit
Dominum in sua veste.
Hic celebris est Ægyti patribus, Græciæ
quoq; cunctis sapientibus,
Qui impares se Martini meritis
sentiunt quoq; ejus medicamine.
B. Nam febres sedat, dæmonesque fugat,
paralytica membra glutinat,
Et mortuorum sua prece trium
reddit corpora vitæ pristinæ.
Hic ritus sacrilegos destruit,
& ad Christi gloriam
dat ignibus idola.
Hic nudis mysteria brachijs
conficiens prædit⁹ est cœlesti lumine.
Hic oculis, ac manibus in cœlum,
& totis viribus suspensus,
terrena cuncta respuit.
Ejus ori nunquam Christus abfuit,
sive justitia, vel quicquid
C. ad veram vitam pertinet.
Igitur te cuncti poscimus
O Martine, ut qui multa
mira hic ostendisti,
Etiam de cœlo gratiam Christi nobis
supplicatu tuo semper infundas.

CAPUT XXVIII.

In Natale sancti Otmari Abbatis.

LAude dignum Sanctum canat
Otmarum Suevia, mater
Tales nati profectu gratulans semper.
Hic velut Sydus eximium
placitus DEO
D. Inter fraternas caligines
rutilans micat.
Hic JEsuChristi præceptis paruit promptus.
Hic ejus membris subvenit
minimis largus.
Nunc suæ perfectæ vitæ se
testem exhibet
Debiles curando, atq;
fovendo supplices.
Hunc jam cætibus conjunctum
Sanctorum cuncti precemur:

Ut nos fragiles semper conciliet Domino DEO, A.
qui regnat Trinitas sancta.

CAPUT XXIX.

De Natale sancti Columbani Abbatis.

A Solis occasu
usque ad exortum
Est cunctis nomen tuum,
DEus, laudabile.
Qui inde novum Solem
mittis mira lege,
Qui lustrat Orbem radijs,
Et fotu terras vegetet.
Hic Columbanus nomine
columbinæ vitæ fuit,
Dignus habere Spiritus Sancti
pignus in hac vita.
Hic terram cum Abraham reliquit,
& cognatos propter DEum.
Hic cum Johanne regis incestum
increpare non metuit.
Huic pastum dat DEus
in deserto cum Moyse.
Huic cœlum obsequi est
paratum cum Josue.
Hic feras mansuefecit, & corvos
ut Helias, & Daniel.
Hic persecutionem cum Apostolis
Christi perpetitur.
Huic ipse veritatis hostis nutu DEI,
Testatur quod hic veritatis
cultor foret.
Nos ergo te deposcimus.
Beate, quò nos Domino tu commendas.

CAPUT XXX.

In Natale Sancti Andreæ Apostoli.

DEus in tua virtute
sanctus Andreas gaudet, & lætatur,
eandem comitatus.
Piscatio nati tui ipse primum
factus piscator populorum.
Myrmidones idololatras diu
fluctivagos rite cœpit fidei.
Iis legibus Achajam tuis DEus
victor illius subjugavit.
Et trophæum Christi tui fixit
ibi, bonum se ostentans militem.
Miraculis, virtutibus, doctrinis
quacumque quæsita spolia
tibi ô Rex attulit,
Atque suo cruore triumphi inscripsit titulos
tui regum Domine.

Istum crucis socium & regni credimus
Christi filij tui, atque fraterculum.
Nos igitur peccatis nostris
gravati te DEus poscimus:
Ut illius, qui tua semper
sectatus præcepta tibi placet,
nos intercessione tuearis
in æternum.

CAPUT XXXI.

De Apostolis.

Clare sanctorum
senatus Apostolorum, Princeps
orbis terrarum, rectorque regnorum,
B. Ecclesiarum mores, & vitam
moderare,
Quæ per doctrinam tuam
fideles sunt ubique.
Antiochus, & Remus concedunt
tibi Petre regni solium.
Tyrannidem tu Paule Alexandrinam
invasisti Græciam.
Æthiopes horridos Matthæe
agnelli vellere,
Qui maculas nesciat aliquas
vestisti candido.
Thoma, Bartholomæe,
Johannes, Philippe, Simon,
C. Jacobique pariles,
Andrea, Tathæe, DEI bellatores inclyti
En vos Occidens, & Oriens,
Imò teres Mundi
circulus se patres habere
gaudet, & expectat judices.
Et idcirco Mundus omnis laudes
vobis, & honorem, sanctis debitum,
supplex impendit.

CAPUT XXXII.

De Martyribus.

AGone triumphali
militum Regis summi dies iste
celebris est populis, Christo regi cre-
D. dulis.
Hi delectamentum respuerant
mundanorum,
Et crucem tunc turpem cottidie
bajularunt.
Hos nullius feritas à Christo separat,
Quin ad eum mortibus
millenis properent.
Non carcer ullus, aut catena
molliunt fortia in Christo pectora.
Sed nec ferarum morsus diri Martyrum
solidum excavant animum.

Non

Non imminens capiti
gladius territat
Fortissimos milites optimi Domini.
Nunc manu DEI complexi persequentum
insultant furoribus,
quondam crudelibus;
Et Christi plebi solamen
suppeditant in cunctis
laboribus lubrici sæculi.
Vos Christi Martyres
Nos valde fragiles
Precibus nos justo Judici sinceris
jugiter commendare curate.

CAPUT XXXIII.

De uno Martyre.

QUid tu Virgo Mater
ploras Rachel formosa,
Cujus vultus Jacob delectat?
Ceu sororis annicula
Lippitudo eum juvat.
Terge mater fluentes oculos.
Quàm te decent genarum timulæ!
Heu, heu, heu! quid me incusatis
fletus incassum fudisse,
Cùm sim orbata natô, paupertatem
meam, qui solus curaret?
Qui non hostibus, cederet angustos
terminos, quos mihi Jacob adquisivit,
Quique stolidis fratribus, quos multum
proh dolor! extuli, esset profuturus.
Numquid flendus est iste,
Qui regnum possedit cœleste,
Quique prece frequenti miseris
fratribus apud DEum auxilietur?

CAPUT XXXIV.

De uno Confessore.

REx regum DEus noster colende,
Tu moderaris militiam Christianam,
Bellandi gnaros horribili
prælio destinando.
Consules scios Reipublicæ,
Dando Magistros tuis populis.
Nec enim falleris eligendi sapiens,
Quem cui subroges ministerio DEus.
Ex quibus est sacer iste Sacerdos,
Qui in pace degens Ecclesiæ sanctæ
Consiliarius est, qualiter
hostis irruptionem,
Quæ solet incautos depopulari,
præmunivisset.
Iste hæreticis invisus, atque paganis
necnon * rei omnium malorum, *sic cod.*

A. Gaudet se Domini participatum tenere,
hostes ejus perferens cum illo.
Tu nobis triticum
dipensator optime
Doctrinæ Domini impertire jugiter,
Cœlestem quatenus
remeare patriam
Possimus abundantibus
alimoniis
O miles DEI præcelse.

CAPUT XXXV.

De Virginibus.

B. VIrginis venerandæ
de numero sapientum
festa celebremus socij.
Filiæ matris summi regis
Sacrosanctæ MARIÆ,
Quam sibi in sororem DEI
adoptavit Filius.
Hæc corpus suum domuit
freno jejunij,
Et luxuriam secuit
ense agoniæ.
Isthæc contra cunctos mortis
dimicavit impetus,
Et hostem cruentum freta Christi
dextrà straverat.
C. Hæc Sponsum ab aula cœli
sese invisentem alacris
Corde jocundo secuta, ejus
est ingressa thalamum.
Tute jam dulcibus plena delicijs
Christo miserias nostras suggeriro,
Nobis consolationem precando.

CAPUT XXXVI.

De Sancta Trinitate.

BEnedicta semper Sancta
sit Trinitas, Deitas scilicet
unica, coæqualis gloria,
Pater, Filius, Spiritus Sanctus, tria sunt
D. nomina, omnia eadem substantia.
DEus Genitor, DEus genitus, in utroq;
Sacer Spiritus, Deitate socius.
Non tres tamen Dij sunt.
Deus verè unus est Sic Pater Dominus,
Filius, Spiritusque Sanctus.
Proprietas in personis, unitas
est & in essentia.
Majestas par, & potestas, decus,
honor æquè per omnia.
Sydera, maria, continens arva,
simul & universa condita.

Quem

Quem tremunt impia Tartara,
colit quoque quem & abyssus infima.
Nunc omnis vox, atque lingua
fateatur hunc laude debita.
Quem laudat Sol, atque luna:
dignitas adorat Angelica.
Et nos voce præcelsa nunc omnes
jubilemus altithrono Domino
laudes in excelsis.
Eja, & eja omnes simul
modulemur organica cantica
dulce melodiâ.
O veneranda Trinitas!
O adoranda Unitas!
Per te sumus creati vera
Æternitas:
Per te sumus redempti.
Summa tu Charitas.
Populum cunctum tu protege, salva,
libera, eripe, & emunda.
Te adoramus Omnipotens, tibi canimus,
tibi laus, & gloria.

CAPUT XXXVII.
Alia.

ALma chorus Domini
compangat nomina Summi.
Messias, Soter, Emanuel,
Sabaoth, Adonai.
Est Unigenitus via, vita,
manus, homousion.
Principium, Primogenitus
Sapientia, virtus.
Alpha, Caput, finisque simul
vocitatus adest ω.
Fons, & Origo boni, Paraclitus,
ac mediator.
Agnus, Ovis, Vitulus, Serpens,
Aries, Leo, Vermis:
Os, Verbum, Splendor, Sol,
Gloria, Lux, & imago.
Panis, Flos, Vitis, Mons, Janua,
Petra, Lapisque.
Angelus, & Sponsus, Pastorque,
Propheta, Sacerdos:
Athanatos, Ischyros, o Theos,
Pantocrator, Iſus.
Salvificet nos, sit cui secla
per omnia δόξα.

CAPUT XXXVIII.
In Natale Sancti Dionysii, Ariopagitæ, & Episcopi, Sociorumque ejus.

EXultemus in ista
fratres sollemnitate, gaudeat pariter
omnis Ecclesia,

A. Diem annuum colens,
qua Dionysius, * Præsul magnificus
Cum Rustico, & Eleutherio
suis socijs
Martyrij corona splendidus
cœlum petijt.
Hic Athenis quondam Philosophus, &
Ariopagita dictus,
inter suos extitit primus.
Sed istius primatus apicem,
cunctamque gloriam Mundi
Sprevit sancti monitis Pauli;
A quo instructus, atque Baptismatis
gratia lotus

B. Præsul, & Doctor plebi præponitur
Atheniensi,
Quam Lucifer velut quidam
radiens omnibus exuit
errorum tenebris.
Ac dogmatis sacri lumen
nunciat patriæ, nec non
& vicinis gentibus.
Post hæc instinctus amore
Divino, & à Præsule Apostolico,
Visitat gentes, procul habitantes,
& ferocia regna Galliæ.
In quibus continuò prædicans,
ac plurimos hominum

C. convertens ad Dominum.
Postremo ab impijs capitur,
& pro Christi nomine
cum socijs plectitur.
O quam felix Parisiæ civitas,
qua tanti Martyris sepulta
noscuntur ossa coporis!
Sed non minus Radaspona beata,
quæ nutu supero translata
nunc ossa tenet eadem.
Ergo jam utrumque populum,
nec non omnes adjuvamen
tuum ritè quærentes,
Precibus commenda sedulis

D. summo Regi venerande
Martyr ô Dionysi.

F I N I S.

* *Alia manus, non tamen sæculo XII, inferior addidit in margine sequentia.*

In cœnobium istud transtulerat
Mortalium rex invictissimus regum
Arnolfus
sanctissimi thesarum corporis Dionysij.

ANGE-

ANGELOMI MONACHI,

&

Diaconi Luxovienſis,

Ord. S. Bened.

COMMENTARIUS.

IN

GENESIN.

Prodit nunc primùm in lucem ex
MS. Cod. Celeber. Monaſterij ad S. Petrum Salisburg.
O.S. Bened., diligenter collatus cum Cod. M.S.
Inclyti Cœnobii Zwetlenſis, Ord. Ciſtercienſ.
in Auſtria.

INCIPIT
PROEMIUM SEQUENTIS OPUSCULI ANGELOMI DIACONI.*

Sequentes versus absunt à Cod. Zwetl.

Istius egregii seriem percurre libelli, A.
Quem dictante DEO libuit depingere lector,
Ut prosam referet, nec non tibi mystica pandat;
Propellat nocuas, nocuoque ex corde tenebras,
Vitalesque legens crebrò decerpere sensus,
Atque satis valeas mentis pinguescere fibras.
Historiæ hic Genesis referantur opuscula sacra.
Omnia quæ pandunt grandævi condita Mundi B.
Scilicet Æthereique poli, telluris, aquæque
Condidit, Æthralique DEus qui regnat in arce.
Materia in species informi transtulit aptas,
Conspicuumque manet visu, & palpabile quicquid
Nostris, exceptumque quidem seu visibus atque
Cum socia Patris, virtute & flaminis almi
Olim condiderat pariter ratione potenti.
Nam referunt etiam nostræ primordia vitæ, C.
Cùm hominem narrant Paradisi in sede locatum,
Unde Draco sævus detraxit lividus, atque
Tartaream sedem, vetitum quia tollere pomum
Ambro quin voluit, solus nec pertulit iram;
Sed genus humanum pœnas heu sensit Averni,
Quod genuit totum proprio de fœmore lapsus
Hic sex annorum mansit per millia trusus,
Filius ille DEi donec descendit ab aula
Sumere nomen Adæ voluit qui ac omnia membra
Solvit sic miserum miserans indigna ferendo;
Ut caperet plorans tandem cœlestia regna,
Quæ tacto poterat sine Christo perdere pomo.
Hìc Patriarcharum clarissima gesta leguntur,
Mystica quæ nimium gravidis typicisque figuris
Signantur Christi, nostræque & dona salutis.
Hic sacra nam sacræ cernuntur dyndima legis,
Atque Evangelica salpix * typicè intonat Orbi, *leg. salpinx.*
Texitur eloquium Sanctorum hinc puriùs auro,
Clariùs argento, formosius undique electro,
Quod nobis pandit typicè moderamina vitæ.
Mystica depromit, promittit & alta Polorum:
Dorica nam Hebræa fari, nec lingua Latina
Possunt, quæ gremio retinet sacra iste libellus.
Ergo age jam talles rutilos discurre libenter,
Istius ut capias sacra tot charismata lector,
E quibus altithronum possis dignoscere Christum,
Et merearis ovans cœli conscendere limen,
Quoque metas felix multarum gaudia rerum,
Cernendo Dominum semper per secula verum. Amen.

Ex-

Cod. Zw. Incipit prologus beati Angelomi Monachi, & Levitæ ad Leodricum Sacerdotem super Genes. Patri moribus virt. fulc. *Zw.*

Expliciunt versus.

*Item Præfatio in Opusculis ex libro Genesis, Angelomi Diaconi.**

EXimio Patri, & floribus virtutum fulcito, sapientiæque nitore ornato Leotrico Sacerdoti, Angelomus humilis Levita. Postquam gazophylacia, ac thesauros quatuor Evangeliorum, quæ omnibus Divinarum Scripturarum paginis sua meritò auctoritate præcellunt, scilicet egregio Domino permittente, ac imperante Abbate, subtili indagatione, Domino largiente, in quantum quivimus, rimati sumus, videlicet Magistro, viro quidem eruditissimo * Mellino Sacerdote sermone lampabili, ac toto Catholico propalante spiritalem aurem accommodante intelligentiam libenter hausimus, tandem, ùt nosti, ad abyssos veteris testamenti, Christo præsule, prædicto Patre imperante, quamquam pavidi, ovantes appulimus, atque alta Pelagi reumâq; gurgitum Divinæ historiæ nostram carinam avidi scrutatores immersimus. Cùm enim auctore lucis afflante, etiam Evangelicum clypeum læva gestantes, gladiumque ancipitem Divini verbi dextra ferentes, in tam vastissimos, ac mysticos quoque sensus tegmine sublato didascalicæ promulgatione testimoniis Divinarum cincta potissimo labore desudantes, proficuaque collatione meditantes ea, quæ ab ore Doctoris libentissimè hausimus, memoriæ sensus commendaremus, inter colloquia cœlestis oraculi cœpisti affabili, pioque affamine crebrò suggerere, ut ea, quæ ubertim, ac mirabiliter Divinarum auctoritatibus approbata exponi videbantur, & thesauro pectoris juxta fragilitatem sensus recondebantur, in membranulis meo stilo digerere non abnuerem, ut haberetur, unde in futuro frequentata lectione memoria recrearetur. Quod ego tantæ rei pondus pertractans, omnimodis delitescendo facere distuli. Sed nos in cæpto opere gravi labore desudantes, subitò Domino annuente, in onus curæ pastoralis, à qua te excusare minimè licuit, pro aliorum salute suffectus es. Ergo inibi te subrogatum, quo sub gravi falce depressum etiam lacrimabili ore declamas, eo quod salutaria dicta, & mella animarum sedula meditatione, ùt prius inbibere non licet, rursus me accersito auctoritate prælationiis cœpisti non suggerendo, ut dudū, sed quodamodo intentando imperare, ut aliqua opuscula ex libro Geneseos, maximè sex dierum opera, à Domino patrata juxta litterā, quæ valde difficillima videntur, sicut à Doctore tradita fuerant, liquido sermone depromerem; quoniam spiritalem intelligentiam, quæ in nonnullis locis magnam obtinet nebulositatem, in libris Patrum te habere, & maximè à beato Isidoro, viro eruditissimo enucleatum testaris, licèt omnia, quæ in præfato volumine continentur mysteria, non ab eo inveniantur conpacta, * & etiam, quod est gravius, ea, quæ à tanto Doctore prætermissa sunt, secundum * quod tradita mihi fuerant, & per me invenire potuissem, ut suis insererem locis, libera auctoritate imperasti. Cujus præceptionis censuram pertimescens, tacita cogitatione assensum præbere decrevi. Sed quamquam multa forent, si quidem præ omnibus duo sunt, quæ me ab hoc opere maximè deterrent. Unum, quod huic oneri me imparem reperio, præsertim cùm nulla sim scientia liberalium artium oppletus, non Syllogismorum, schematumque, ac tropórum figuris ornatus, licèt aliquid prælibassem. Non etiam flore veteris scientiæ fultus, sed indoctus eloquio, exsors elogio. Aliud, quòd tanta obscuritate obnubilatur, ut mihi vix aliquid interlucere videatur. Unde miror, quare tantus vir, non solùm sapientiam artium indeptus, verùm etiam sacrarum Scripturarum divitias nactus, ut meritò illud epithalamium decantare gratulabundus valeas: (*a*) *introduxit me rex in cellaria sua*, & reliqua, mihi viribus destituto, acerrima jussione molem tanti ponderis imponere studueris.

Zw. Mellifluo.

in Cod. Zw. omitt. &

quæ *Zw.*

Veruntamen, ùt affatus sum, perpendens, quòd tuis me obsecundare oportebat imperiis, memorans illius Dominici præcepti, quo ait (*b*) *qui vos audit, me audit &c.* diu multumque dubitans, virium mearum impossibilitatem anxio animo trutinans, velut nauta naufragus fluctuum procellis turbatus, tandem portum orationis, pavens fateor, petii; ut largitor rerum, unica spes, Orbis Dominus, vires, licèt indigno tribueret, quatenus hoc

(*a*) Cant. 1. v. 4. (*b*) Luc. 10. v. 16.

Zw. tato. hoc * recto tramite, immò intemerata fide A. ocyus lustrare quivisses libellum, quem explere potuissem. Denique ipso inspirante, quamvis pavido conatu, tamen tuis jussionibus parere studui; ac sex dierum opera juxta historiam, licèt tropica permixta sint, pauca prout mihi tradita fuerant, impolito sermone enucleavi. Cumque jam finem desigere ultima dictando decreverim, & super hac re reticere ultra penitus disposuissem, repentè Magister ingressus, his me verbis blandè alloquitur: quid, inquit, affabilis fili? Zw. quod *quid cum tanto studio edisseras? Quod cum celare non auderem teste conscientia, humili ore deprompsi. Ipse verò B. nosse gestiens, ut est sagacis ingenii sollers, si quid utilitatis ediidissem, coram se relegi præcepit. Quæ perlecta, ùt ita dicam, laudavit, atque, inquam, approbavit, contulitque etiam mihi librum beati Augustini contra Manichæos super hac re luculento sermone exaratum, unde ea, quæ digesseram, comprobare quivissem. Quo ferventi astu lustrato, Christo præduce, non solùm in sensu, verùm etiam in quibusdam locis, syllabisque concordantem inveni. * Deinde imperat juxta suum Zw. Dein nomen locutione melliflua, ut ignavia temporis non pigrescerem, & cœptum C. opus non finerem, sed sollerti studio peragere tentarem. Rursus pertractans, ne fortè ad aliquorum profectum, saltim parvulorum fieri juberetur, jam Divino auxilio fisus, tuis, Pater, ejusdemque magistri præconiis provocatus, orationumque vestrarum suffragiis fretus, opus imperatum, quanquam sermone inculto texere sum aggressus. At verò ne quis mea inserta conjiceret, Sanctorum Patrum hinc inde volumina aggregans, *ut ex eo- In Cod. Petr. deest aggregans. rum dictis corroborarem ea, quæ describerem; unde nonnulla ex eorum quodamodo magnis fluminibus, profundisque D. gurgitibus in rivulum derivavi exiguum, præcipua, & propria eorum indidi dicta. Nonnulla quippe causa brevitatis sensum eorum sequens, propriis intuli verbis: Aliqua verò, quæ ex traditione didici, & in tomis penes nos invenire non potui, constipulata exemplis subnectere præsumpsi, & in libelli modum finire decrevi, ut qui diversis causarum tumultibus occupatus, latissimos Doctorum non vacat percurrere campos, hunc admodum brevitate collectum

peto, ut sagaci examinatione percurras, & tuis phaleramentis facetæ urbanitatis decorare studeas, ne sciolis fastidium generet, & aures sapientium sermo incultior commaculet.

Sed antequam isagoge ad calcem perveniat, notandum est, quòd in quibusdam locis veritatem videlicet historiæ semper pandens, spiritalem, moralemque intelligentiam inserere nisi sumus, inibi scilicet, ubi prædixisti; ut historia veritatem factorum, ac fidem relationis inculcet, & Spiritalis intelligentia ad cœlestium figurarum secreta perducat, & moralis persuasio ad meliorationem vitæ invitet; ne solummodo * historia pressus, Zw. historiæ. sed spiritalis, immò * moralisque dulcedine captus Lector, excusationis inveni- Zw. moralis. re possit anfractus. sed ex hoc cùm ambrosios cœperit decerpere gustus, magis libenter campos doctorum satagat lustrare ovans latissimos. Vale.

Explicit Præfatio.* Zw. Explicit prologus Angel. Levitæ ad Leodricû Sacerdotem super Genesim.

Incipit textus Opusculi in Genesim. In principio creavit DEUS cælum & terram.

ADminiculante divina gratia, quæ parvulis confidentiam, mutis præstat locutionem, descripturus opusculum in libro Genesis, antequam * contextum historiæ, & enthecas Spiritalis oraculi attin- Zw. textum. gam, libet inquirere, quare volumen istud specialiter Genesis vocetur, cùm in eo multa commemorantur, quæ ad generationem non pertinere noscuntur, nisi quia consuetudo est Hebræorum, ex principiis nomina librorum inponere; sicut Exodus, & multi alii nuncupantur. Unde Bresith hebraicè, latinè, non immerito Genesis interpretatur: eò quòd in ipso exordio de creatione cœli, ac terræ, & generatione hominum, animantiumque narrantur. A nonnullis etiam quæritur, quis scriptor hujus libri habeatur? licèt supervacuè moveatur, cùm tamen auctor illius Spiritus Sanctus fideliter credatur: quia nemo facta ante homines describere poterat, nisi Spiritus Sanctus dictaret, & per scribentis vocem hominibus in principio gesta narraret. Sed sciendum est, quanquam in eo scriptum sit (c) *erat Moyses mitissimus super omnes homines, qui mora-*

(c) Num. 12. v. 3.

morabantur in terra. Et: *locutus est Dominus ad Moysen*, & mille talia; tamen sicut à Doctoribus traditur, & multis exemplis comprobatur, unde est: (d) *unum scripsit Moyses canticum, & docuit filios Israel*, & alia hujusmodi, ipse Moyses scriptor divinæ historiæ extitit. Moris enim Scripturæ Sacræ est, ut ipsi, qui scribunt, sic de se in illa quasi de aliis loquantur, quia Spiritu Sancto impelluntur.

Deinde simul quosdam etiam movet, quæ causa accidit, ut historiam divinæ legis idem Moyses suo tempore describeret, & non olim exarata à quoquam fuerit, nisi quia primis hominibus ante diluvium cognitio DEI, & lex naturalis, atque mira DEI opera in exordio patrata cognita fuerant. Sed post diluvium ista omnia ita oblivioni tradita erant, & maximè temporibus Moysi, ut planè homines ignorarent, * quòd ante acta fuissent. Unde etiam Philosophi principium hujus mundi ignorantes dicebant, Mundum esse coæternum, ac coævum. Et fortè hoc audiens Moyses, * quia cuncta taliter abolita erat à sensibus hominum, instructus divino Spiritu, ratum duxit texere creationes cœli, & terræ, cæterarumque creaturarum, atque legem litteræ, Domino imperante, filiis Israël tradere; ut eosdem pleniùs instrueret de DEO, ne ad idola Ægyptiorum redirent, & Mundum creatum ostenderet. Unde quia jam sicut in primis hominibus lex bonæ naturæ non servabatur, sed penè abolita erat, per Moysen lex litteræ descripta, & data est; ut bona, quæ sciebantur, auctoritatem haberent, & quæ latere cœperant, manifestarentur, & ut terror disciplinæ corrigeret delinquentes, & fidem reformaret in DEUM. Et nunquid Moyses ibi erat, quando DEUS cuncta creavit? Minimè; sed ipsa coæterna sapientia DEI Patris, per quem facta sunt omnia, eidem Moysi, famulo suo revelavit tempore, quo voluit, ut olim facta conscriberet. Et quomodo ei fidem accommodare possumus, vera dixisse, nisi quia futuris sæpe probantur præterita, & præteritus futura, sicut in Daniele comprobatur, & in hoc libro ostenditur? Denique de illo tempore Moyses scripsit homo, quando non erat homo, cùm ait: *In principio creavit DEus cœlum, & terram*. Sicut enim de illo tempore scripsit homo, quando non erat homo; ita etiam futura scripsit eo tempore, quando erat homo, quæ postea expleta conprobantur in veritate, sicut in Patriarchæ Jacob benedictione declaratur, juxta quod ipse ait dicens: (e) *non auferetur sceptrum de Juda &c.* quæ in figura Christi prædicta fuerant, sed jam in veritate creduntur completa. Si enim de futuro verum non dixisset, de præterito, quod certum scripserit, nemo credere voluisset. Nec non etiam interrogatur, ubi Moyses libros suos ediderit? Dicunt enim nonnulli, quod Genesim, & Exodum usque: cantemus Domino, in Ægypto conscripserit, cætera verò in solitudine. Alii vero asserunt, quòd transito mari rubro, per quadraginta annos in deserto descripserit, quod * & ratione comprobari potest. Hæc enim scire volentibus pauca dicta sufficiant. Nunc Domino * favente ad historiæ seriem transeamus. Ait enim Moyses.

Zw. quod antea actū fuerat.

Zw. vel quia.

Zw. per rationem probari.

Zw. largiente.

CAPUT I.

V. 1. *IN principio creavit DEus cœlum, & terram*. Primum notandum, quòd mox Scriptura primo verbo æternitatem, atque potentiam DEI creatoris ostendit. Quem enim in principio temporum Mundum creasse perhibet, ipsum profectò ante tempora æternaliter extitisse designat; & quem in ipso conditionis initio cœlum, & terram creasse narrat, tanta celeritate operationis omnipotentem declarat, cui voluisse, fecisse est. Et in hoc apertè datur intelligi, quia utrumque simul ab eo factum est, quamvis utrumque ab homine dici non possit. *In principio*. Quod duobus modis accipi potest: *in principio* scilicet * primum omnium, hoc est: in initio creaturarum, quod LXX. interpretes, & Symmachus, & Theodocion similiter transtulerunt. Et in Hebræo scriptum est: *Bresith*, quod Aquila interpretatur: *in capitulo*, sive quod ait: *in principio*, intelligendum est, in Filio, qui de semetipso ait: (f) *principium qui & loquor vobis*. Et de quo Johannes dicit: (g) *in principio erat Verbum* & reliqua. Unde & in Psalmo de ipso Psalmista ait: (h) *in capi-*

Zw. primo.

(d) Deu. 31. v. 22. (e) Gen. 49. v. 10. (f) Joan. 8. v. 25. (g) id. 1. v. 1. (h) Ps. 39. v. 8.

Sonus enim formatus fit cantus, & non solùm cantus, sed etiam suavis ac dulcis; ideoque sola origine sonus præcedit cantum. Sic quippe informis materia non æternitate præcedit formatas creaturas, sicut DEUS ipsam. Non tempore; quia tempora non fuerunt, nisi post formatas creaturas. Nec electione cum penderet extremior; quia potiores sunt formatæ creaturæ, quàm informis substantia; sed sola sua origine præcedit formatas creaturas. DEus enim ex nihilo condidit informem materiam, & ex ipsa cuncta
Zv.quia. creavit, juxta quod scriptum est in Libro sapientiæ: (*k*) *non enim erat manus tua* B. *Domine invalida, quæ creâsti Mundum ex informi materia.* Unde Philosophi, prout jam dictum est, non valentes penetrare, quemadmodum divina sapientia Mundum creavit ex nihilo, æstimabant, coæternum esse Mundum. Ista propterea dicunt, quia attendunt fabrum, & non DEum. Ajunt enim: lignum adjuvat fabrum, & argentum argentarium, & aurum aurificem. His enim quamvis indigeant, tamen creare nequeunt. Dominus autem nihil horum indiguit, sed ex informi materia condidit omnia, non extra se tamquam faber (non enim faber C. facit lignum, sed de ligno aliquid facit) omnipotens autem nulla re adjuvandus erat, quam ipse non fecerat, ut quod volebat, efficeret, alioquin DEUS non esset.

Sed quæritur, cur ita dictum est: *In principio fecit DEUS cœlum, & terram*, & non dictum est: *In principio dixit DEUS: Fiat cœlum, & terra*, sicut de luce narratur: *Dixit DEUS, fiat lux*, & reliqua? Nisi quia prius universaliter nomine cœli, & terræ comprehendendum erat, & commendandum, quod fecit, & deinde per partes exsequendum, sicuti actum legi- D. tur. Sequitur:

ỳ.2. *Terra autem erat inanis, & vacua.* Cùm superiùs ait: *Creavit DEus cœlum & terram*, cur dicitur: *Terra autem erat inanis, & vacua?* Nisi quia ipsa informis materies, quæ nomine terræ dicta est; inanis erat, & vacua. *Inanis* videlicet, id est, incomposita, & necdum coadunata in species suas. *Vacua* verò, quia vacabat à gignendis fructibus. Unde alia translatio dicit: *Invisa, & incomposita, Invi-* A. *sa* propter obscuritatem. *Incomposita* propter deformitatem; quia adhuc tota abysso, id est: inmensa profunditate tegebatur aquarum. Unde per hoc, quòd ait: *Terra autem erat inanis, & vacua*, quale sit cœlum, quod primum condiderat, potest intelligi, videlicet quod ab omni hujus Mundi volubili statu secretum, Divinæ præsentiæ manet semper quietum. Nam de nostro cœlo, in quo sunt posita luminaria, qualiter, vel quando sit factum, in sequentibus declaratur. Non ergo superius illud cœlum inane creatum est, & vacuum, ùt terra, *quoniam nihil creatione protulit, quia mox beatissi- Zv.quæ nihil creationis. mis Angelorum agminibus impletum est, de quibus superius diximus, quos in principio cum cœlo, & terra ad laudationem sui creavit, sicut ipse ad beatum Job dicit: (*l*) *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ.* Et paulo post: *Cùm me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes filii DEI.* E quibus uni dicitur: (*m*) *quomodo cecidisti de cœlo* & reliq. Si adhuc in cœlo erat positus, quomodo dicit: *In cœlum conscendam?* Sed quia legimus: (*n*) *cœlum cœli Domino*, cùm esset in cœlo, id est: In firmamento, in cœlum, ubi solium DEI erat, cupiebat ascendere. Seu sicut diximus superiùs, aut ipsa Angelica dignitas, aut ipsa informis materia cœlum intelligitur.

Et tenebræ erant super faciem abyssi. Abyssi nomine illa informis materia accipitur, eo quod obscura erat, & profunda. Ait enim: *& tenebræ*, & reliq. Quare ergo nominantur tenebræ, cùm superius non commemorantur creatæ? Ergo si conditæ non sunt, nunquid æternæ sunt? Absit. Sed sciendum est, quia tenebræ non est res substantialis, sed propriè nominantur tenebræ absentia lucis. Sicut enim silentium non est substantia, sed absentia vocis; & nuditas nihil est aliud, nisi absentia tegumenti, & cætera talia, sicquippe tenebræ* est ipsa privatio lucis, Zv.sunt. & non aliquid sunt; sed ubi lux non est, tenebræ dicuntur. Benè namque dicitur: *Tenebræ erant super faciem abyssi*; quia nondum erat illuminata, & manifestata supradicta informis materia. Seu etiam dicere possumus, quod DEUS non tenebras in aqua, aut in aëre fecit ullas, sed ordine distincto providentiæ suæ, prius

(*k*) Sap. 11. v. 18. (*l*) Job. 38. v. 4. (*m*) Isa. 14. v. 12. (*n*) Ps. 113. v. 16.

prius aquas cum cœlo creavit, ac terra, * & has postmodum, cum voluit ipse lucis gratia venustavit. Quod usque modo eum & in aqua ipsa, & in aëre per cotidianum solis accessum, ac discessum facere videmus. Ubi notandum, quia cum duobus elementis, aqua vid. & terra duo condidit, ignem vid. & aërem. Ignem in ferro, & lapidibus, * quoniam terræ viscere jam latebant condita, quod calidi aquarum fontes * produnt. Aërem verò in ipsa terra, cui esse permixtus ex eo cognoscitur, quòd, cùm fuerit humectata, & temperiem Solis acceperit, mox vapores exhalat largissimos.

Sed Zw. — Zw. quæ. — Petr. producunt.

Et Spiritus DEI ferebatur super aquas. Quid est, quod dicitur: *ferebatur?* Numquid tali modo, quemadmodum Sol terræ superfertur? Minimè. Sed *ferebatur* non localiter, sed potentialiter, regendo, & sustentando ipsam informem materiam; sicut superfertur rebus fabricandis voluntas artificis. Unde benè alia translatio dicit: * *Incumbebat*, seu *confovebat*, in similitudine volucris, ova calore animantis, ut manifestè intelligatur de Spiritu Sancto, & non de spiritu hujus mundi, sicut hæretici putaverunt. Quia sicut avis confovet, ut fœtus in species producat; ita Spiritus Sanctus fovebat ipsam informem substantiam, ut cuncta conderet ex ea. Veruntamen quærendum est, quare nominantur aquæ, cùm supra non legantur creatæ? Ergo numquid æternæ sunt, sicut Manichæi suspicati sunt? Non. Sed * ipsi semetipsos fallunt, quia non intelligunt, quòd vocabulo aquæ ipsa invisibilis substantia nominetur, & congruè aqua signatur; quia fluida erat, & voluntati divinæ adjacebat; ut omnia humorem habentia ex ipsa procrearentur. Cuncta siquidem, quæ nascuntur, & nutriuntur, humore aquæ concrescunt, atque coalescunt. Sed sciendum est, quoniam idcirco aquæ appellatione notatur ipsa prædicta informis substantia, quia de illa non poteramus aliquid scire, nisi Sacra Scriptura nostro more loqueretur. Una quippe res est, sed diversis nominibus distinguitur; ne si solummodo uno nomine appellaretur, hoc tantummodo crederetur. Et ideo varijs nominibus nuncupatur, quia ex ipsa cuncta formanda erant, ut res ignotis vocabulis insinuaretur inperitioribus. Dicitur enim cœlum, terra, abyssus, & aqua, quia futurum erat, ut ex ipsa gignerentur. Sicut enim in parvo grano arboris variæ species latent, sic profectò, prout jam prælibavimus, in hac informi materia cuncta occultabantur. Sed notandum est, quia in capite hujus voluminis tota Trinitas declaratur. Nam subditur:

Zw. incubabat. — Zw. ipsi per semetipsos falluntur.

ỳ. 3. Dixitque DEUS: *fiat lux*, & reliqua. Quid est enim, quod ait: *dixit DEUS?* Nunquid sonando transeuntibus sonis locutus est? minimè. Ipse enim incorporeus est, & si loquitur, nunquid lingua Hebræa, Græca, aut Latina loquitur? Non. Sed quod ait: *dixit DEUS*, non ipse sonus accipitur locutionum *, sed illud, quod intelligitur in sono. Apud DEum purus intellectus est sine strepitu, & diversitate linguarum. Dicere itaque DEI facere est, sicut scriptum est: (o) *ipse dixit, & facta sunt*, & cætera. Verbum verò DEI unigenitus Filius est, Johanne attestante, qui ait: *in principio erat verbum* & reliq. Porro quod ait: *dixit*, id est: in Verbo suo æternaliter manente fecit. Cæterum quod ait: *fiat lux*, ob celeritatem Divinæ potentiæ dicitur. Si enim quarta die describuntur Luminaria facta, quæ lucem administrant, quid est, quod dixit: *fiat lux?* An forsitan jam erat aliqua lux creata supra firmamentum, quo lumine Sol inluminaretur? Sed nomine lucis Angelica dignitas figuratur, quæ profectò per superius cœlum significatur, nunc lux dicitur. Prius itaque condita est, sed postea convertendo ad contuendam gloriam sui creatoris lux effecta. Et ideo dictum est: *fiat lux & facta est lux.* An si manifestè diceretur: Convertatur ad contemplandum incessabiliter me. Decebat autem, ut ipsa Angelica dignitas, quæ * sua dignitate cunctis creaturis excellebat, inhærendo summæ luci lux vocaretur, licèt mutabilis esset condita. Si enim inmutabilis esset condita, nullatenus alii merito superbiæ ab illa æterna visione corruerent. Sed quæ * mutabilis extitit natura, cæteris ruentibus, gratia divinæ largitionis fecit inmutabilem. Sed notandum, quòd quidam Doctorum juxta fidem historiæ simpliciter hoc intelligi vo-

Zw. locutionis. — Zw. quia. — Zw. quia.

(o) Ps. 148. v. 5.

volunt. Ajunt enim', quod in superioribus ejusdem terræ partibus, quas & nunc diurna Solis lux inlustrare consuevit, principalis hæc lux emicuit, cujus visione beatissimi Angeli frui cœperant.

Non est Zw. * Nec mirandum, divina operatione lucem in aquis posse resplendere; cùm & hominum operatione constat eas sæpiùs

Zw. videlicet more. inlustrari, nautarum * videlicet, qui in profundo maris demersi emisso ex ore oleo perspicuum sibi hoc, ac lucidum reddunt. Si enim homo talia per oleum sui oris potest; quantam DEUS per Spiritum oris sui lucem creare posse credendus est? Lege Hexameron Bedæ moderni Doctoris, si ita volueris. Nos quidem beati Augustini, prout priùs inseruimus, dicta sequi decrevimus.

ỷ. 4. *Et vidit Deus lucem, quod esset bona, & reliq.* Cur dicitur: *vidit Deus*, quasi novum aliquid accidisset, cùm nequaquam crearet, nisi æternaliter videret? Sed *vidit Deus* pro eo, quod est, vide-

Zw. videri. re * fecit. Sæpè enim per efficientem id, quod efficitur, designatur. Dicitur læta domus, & læta epistola, & ef-

Zw. hydria fundens hydriam * in canalibus, & cætera talia: quod genus locutionis à Grammaticis metonymia vocatur. Vidit ergo

Zw. videri. DEus, id est: videre * fecit ipsi Angelicæ creaturæ, quàm bona à DEO condita est. Seu in hoc, quod ait, *vidit*,

Zw. videri, in prædestinatione nobis * videre fecit, quàm bona a DEO creata esset. Tali modo verbis præteriti temporis rem futuram indicavit, quali modo Apostolis ait (p) *omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis:* quod futurum erat, ut faceret. Cæterùm dum dicit: *divisitque lucem à tenebris*, ostendit, quia distinctio facta est inter lucem, & tenebras, non tenebræ factæ, quemadmodum clamando vocem, silentium autem non clamando dicimus: quia cessatio vocis silentium est. Distinguimus tamen sensu quodam inter ea, & illud vocamus vocem, istud silentium. Quemadmodum ergo rectè dicimus facere silentium; sic rectè DEus dicitur facere tenebras; quia lucem, quibus vult, temporibus, & locis vel dat, vel detrahit. Quia, ùt Clemens ait:

Zw. imam. * unam, inquit, Mundi partem inlustrans aliam reliquit obscuram. Lucem videlicet in superiore Orbis parte diffundendo,

(p) Joan. 15. v. 15.

A. in qua humana erat conversatio futura; inferiora verò ejus priscis in tenebris remanendo. Sicui hoc accipere placuerit, nos, ùt cœpimus, B. Augustini * sequi, & expositionem Magistri nisi sumus. Supl. ex Zw dicta.

*Et divisit Deus lucem, * ac tenebras & reliq.* Id est, cœlestes Angelorum cives ab inmundis Spiritibus, quando Lucifer avertendo à creatore, & convertendo ad se, æstimans sibi sufficere, superbia tumidus, sine auxilio sui conditoris, ejectus est cum suis sequacibus à cœlestibus, & cæteri in sua stabilitate permanserunt, hos nuncupans diem, illos noctem juxta quod sequi- Zw. à tenebris.

B. tur: *appellavitque lucem diem, & tenebras noctem* Quia ruina ruentium æterna facta est stabilitas permanentium, licet quidam dicant, quòd divisio lucis à tenebris distinctio sit formatæ rei ab informi; appellatio autem diei, & noctis, inquiunt, insinuatio distributionis est, qua significetur, nihil DEum inordinatum relinquere. Sed quod ait: *vocavit*, dicitur: vocari fecit. Quia sic distinxit omnia, & ordinavit, ut discerni possent, & nomen accipere. Sequitur:

Factumque est vespere, & mane dies unus. ỷ. 5.

Quærendum est, cur dicatur: *vespere, &*

C. *mane*, cùm adhuc non erat Sol in firmamento, cujus occasu *vespere*, & ortu *mane* efficerentur? An fortè tantum spatium prima, & secunda, & tertia dies habuit, quantum est ab ortu Solis usque ad occasum, & iterum Aquilonem girando revertitur ad Orientem; ut suo fulgore tenebras Mundi propellat, & quod spatium illi, qui in antris, & in ergastulis, licèt luce careant, sentire per nisum possunt; quod fortassis ita intelligi valeret, nisi adderetur: *vespere & mane.* Unde restat, ùt * in vespera intelligatur perfectio præce- in desf. in Cod. Zw.

D. dentis operis, & mane inchoatio subsequentis. Loquitur enim more nostro Scriptura; ut distinctio operum DEI intelligatur. Porro quod ait: *vespere & mane dies unus*, potest referri ad Angelicam creaturam. Quando enim intuitum avertebat à DEO, & convertebatur ad contuendam creaturam, quodammodo *vespere* erat; cùm vero ad creatorem convertebatur, ut in ipso clarius intelligeret creaturam, *mane* erat. Verumtamen si permansisset in consideratione creaturæ, non solùm *vespere*, sed etiam nox esset. *Dies unus*

benè additur propter unitatem Angelicæ A.
dignitatis quæ ita uni DEO contemplando inhæret, ut nunquam intuitum amoveat à contemplatione.

ỳ.6. *Dixit quoque Deus: fiat firmamentum*, & cætera. Firmamenti nomine cœlum conspicuum appellatur, jam distinctum ab illa informi materia, de quo in sequentibus dicitur: *vocavitque Deus firmamentum cœlum.* Sed quærendum est, quale sit firmamentum, quod dividat aquas superiores ab inferioribus? Nam nonnulli dicunt, firmamentum esse cœlum aëreum, à quo aves cœli nominantur, quod dividat aquas nubium ab aquis fluminum. Alij verò in- B.
telligi volunt cœlum sydereum, sive Æthereum, eo quod dividat aquas superiores ab inferioribus. Neque enim incredibile est, invisibiles aquas consistere super firmamentum, sed si sunt non fluidæ, quia non fluitant, sicut istæ visibiles. Unde aliqui glaciali soliditate persistere æstimant, non vaporali tenuitate, sicut ex stella Saturni, quæ frigidissima est, autumant. Quia, inquiunt, ex his aquis frigidam esse, eo quod juxta summum cœlum per XXX. annos cursum suum peragat; licèt hoc negare velint, qui de ponderibus disputant. Nec propriis distinctæ lo- C.
cis locatæ tamquam flumina, & non locorum sedibus, sed dignitate naturæ superare cœlum dicunt; quia cùm sit cœlum corpus pulcherrimum, omnis invisibilis creatura, ùt B. Augustinus ait, excedit etiā pulchritudinem cœli. Ideoque, ùt idem Doctor eximius putat, aquæ super cœlos sunt. Ait enim: quomodo autem, & qualeslibet aquæ ibi sint? esse ibi eas minimè dubitemus; quia major est, inquit, Scripturæ hujus auctoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas. Quæ aquæ universam terræ superficiem in tantam tegebant altitudinem, sicut alij Do- D.
ctores ajunt, ut usque ad illos locos pertingerent, ubi nunc usque super firmamentum cœli ex parte residentes, nomen DEi creatoris cum cœlis cœlorum laudare non desinunt. Denique si aliquis hoc negare voluerit, iste, si hominem crearet, ùt DEUS, epitimam non poneret in capite, sed in stomacho. Attamen de hac re non est nostrum temere definire, quia remota est à nostris visibus. Quidam autem aquas supernas accipiunt populos Angelorum, de quibus scriptum est: (q) *& aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Inferiores verò aquas homines terræ degentes, de quibus dicitur: *aquas, &c.* terra. *quas vidisti, populi sunt, & gentes*, quas utique cœlum sydereum ab invicem segregat.

Dixit quoque Deus: congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt. in locum unum, & appareat arida, & reliqua. ỳ.9.

Si enim totus Mundus erat aquis plenus, ubi congregatæ sunt, nisi quod ait: congregentur in locum unum? ac si diceret: distinguat, atque producat jam ex se species suas illa informis materies, & appareat species aquarum, & species terræ. Ipsa enim congregatio in unum ipsa est aquarum formatio, quas videmus, & tangimus. Et quod ait: *appareat arida*, quid aliud dici intelligendum est, nisi materies accipiat visibilem formam, quam nunc habet terra ista? Quæ benè, inquam, terra arida vocatur: quia sicut ignis propriè calorem, & aqua humorem; ita quoque terra ariditatem habet.

Congregationesque aquarum appellavit maria. Notandum, quod omnes congregationes aquarum sive dulces sint, sive salsæ, juxta idioma linguæ Hebraicæ maria nuncupantur. Sed in Hexameron jam dicti doctoris Bedæ ita legimus: fieri, inquit, potuit, ut terra ipsa longè, lateque jussu creatoris subsidens alias partes præberet concavas, quibus fluentes aquæ reciperentur, ut appareret arida. Potest etiam non absurdè intelligi, ac credi, rariores primarias fuisse aquas, quæ velut nebula terras tegerent, congregatione autem esse spissatas, quæ datis sibi locis capi possent, apparente arida in reliquis. Et benè ait: *in locum unum*; quia jugi unda atque continua Oceano, ac mari junguntur magno. Sequitur: ỳ.10.

Germinet terra herbam virentem, & reliqua usque: *cujus semen sit in semetipso.* Cur ait: *in semetipso*, cùm multæ arbores non proferant fructum, ut in ipso habeant semen? Sed sciendum est, quia si non habent in fructu, habent in radice, ex qua germinentur. ỳ.11.

Et vidit Deus, quòd esset bonum, & cætera. Si ergo herbæ, & fructus terræ, & ligna pomifera bona sunt, & dictum est: *vidit*

(q) Ps. 148. v. 4.

vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, & ad extremum subjungitur: *requievit DEUS ab omnibus operibus*; quid de herbis venenosis, & lignis nocivis dicendum est? Et quid est, quod ad Adam ait de spinis, & tribulis: *Terra tua spinas, & tribulos germinabit tibi?* Nisi ut intelligat, qui proponit, quia non absolutè dictum est: Terra spinas, & tribulos germinabit, sed ait: *tibi*; ac si diceret: incipiat tibi germinare ad exercitium laboris, quæ prius germinavit pabulum ad usus jumentorum, & bestiarum. Nisi enim peccasset, nequaquam noxia illa terra germinaret. Unde apparet, quia post peccatum illius cœpit terra spinas gignere. Nam de herbis, arboribusque venenosis, & nocuis sciendum, quia valde bona condita sunt; quia si non præbent escam, administrant medicinam; & si nobis noxia videntur, feris, & avibus innoxiæ sunt, quia eis præbent pabulum, licèt nobis non præbeant alimentum. Et ideo sicut dictum est, omnis creatura valde bona condita est, sed post peccatum primi parentis actum est; ut aliquæ infructuosæ arbores, & steriles apparerent, & herbæ venenosæ; ut ex ipsis homo peccatum suum quodamodo consideraret, & commoneretur aliquando averti à peccatis, & ad DEI præcepta converti, & expavesceret amittere culturam DEI, & sterilis apparere in agro Ecclesiæ, si non esset arbor fructuosa. Seu propterea arbores infructuosæ, & herbæ nocivæ creatæ; ut
Zw. ministeria. nulla indignis aperiantur * mysteria, neque ostendatur, in qua figura futurorum ista dicta sunt.

℣.14. *Dixit autem * DEUS: fiant luminaria*
Zw. itaque *in firmamento cœli*, & cætera. Si quarta
Zw. prius. die facta sunt luminaria, quare * superius dictum est *vespere*, *& mane*, nisi, prout jam dictum est, in *vespere* accipitur expletio præcedentis operis, in *mane* inchoatio subsequentis?

Et sint in signa. & tempora, & annos, & dies. In signa, juxta quod Dominus ait: (r) *erunt signa in Sole, & Luna, & stellis.* Signa dicuntur, eo quod in futurum aliquid signant; quia sunt talia signa in syderibus, quæ tempestates, & pluvias, & bella denuntiant, & etiam nonnulla navigantibus in mari viam ostendunt.

A. *Et in tempora*; quia suis vicissitudinibus tempora distinguunt, veris vid. & æstatis, autumni, & hyemis. *Dies & anni* ad cursum Solis, & Lunæ; quia sunt Solares dies, sunt & Lunares juxta calculatores. Seu quia antequam formarentur, non erat, unde diei, noctisque horæ signarentur. Nam scriptum est: (s) *fecit Lunam in tempora * ; Sol cognovit occasum suum.* Sed quærendum est, si cœpta hic sunt tempora, & incipiunt dies articulis, & momentis horarum decerni, quid dicendum est de illo spatio, quod fuit usque ad quartum diem? Nun- Zw. tempore.

B. quid * non tempora fuerunt? Sed quodamodo tempora fuerunt; sed non est illud spatium distinctum articulis horarum, ut modo * distinguitur, sed pertransit; quia Sol non erat, quo discernerentur. Tali modo factum est quodammodo, sicut nunc agitur, quando Sol nube tegitur, & tempora non possunt distingui; sed tamen spatium diei transit. non abest à Cod. Zw. Zw. distinguuntur.

Dixit igitur DEUS: producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile, usque: *benedixit eis DEUS dicens: crescite*, & cætera. ℣.20.

C. Hic ostenditur, quia reptilia, & volatilia unius naturæ sunt, atque originis; sed nomine aquæ etiam aër iste intelligitur, qui * & à sapientibus aquis deputatur, eo quod exhalatione aquarum evaporando pinguescit, & volatus avium suscipit. Nisi enim quandam crassitudinem haberet, volatus illorum non sustineret. Unde æstivo tempore, quando serenum est, terram inrorat, & guttæ apparent. Et nisi aqua aliquod solidamentum haberet, corpora hominum natantia, & volucrum non ferret; & ideo quicquid undosum est, & * confluidum, piscibus; quidquid verò crassum est, & exhalat, avi- Zw. qui à sapientibus aqua disputatur. Zw. fluidum.

D. bus deputatur. Quod enim aër pinguis sit, & ventosus, & flatum præbeat, Philosophi in monte Olympo probaverunt: quia, inquiunt, quod in ejus cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes colligantur, quoniam excessit altitudine sua totum istum aërem humidum, in quo aves volitant, & ideo nec aves ibi volitare asseverantur, solebant per singulos annos causa sacrificiorum cacumen ejus ascendere, & aliquas notas in pulvere scribere, quas alio anno integras inveniebant;

(r) Luc.21.v.25. (s) Ps.103.v.19.

quod fieri non poſſet, ſi ventos, aut A. pluvias locus ille pateretur: & ſpongias humectatas naribus applicabant, unde craſſiorem, & confuetum ſpiritum ducerent: quia tenuitas illius aëris non eos inſpirabat. Qui etiam nullam ſe avem in eo loco aliquando vidiſſe aſſerunt. Nam quod ait: *benedixit eis dicens: creſcite* & reliq. Hic primum ideo benedictionem intulit, quia animantia creata ſunt, ſive quia futurum erat; ut per aquam Baptiſmi homines benedictionem conſequerentur.

℣.24. *Dixit autem DEus: producat terra animam viventem*, & reliqua uſque: *& vidit DEus, quòd eſſet bonum.*

Si enim DEUS vidit, quod eſſet bonum, quid dicendum de putredine arborum, & infirmitatibus diverſarum creaturarum? Niſi quoniam cum creata ſunt, non apparebant iſtæ infirmitates, ſed in ſua origine acceperunt, ut in futuro haberent. Sed quid eſt, quod ait: *vidit Deus, quòd eſſet bonum*, id eſt: in ea bonitate placuit, ut maneret, in qua placuit, ut fieret, quod fecit. Sequitur.

℣.26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.*

Quid eſt, quod ait: *faciamus hominem ad imaginem noſtram?* Niſi, quia jam rationabilis creatura condebatur, ut quodammodo cum conſilio facere videretur, & ut nobilitas ejus oſtenderetur. Ideo ait: *faciamus.* Sed quare ſuperius dictum eſt: *dixitque Deus: fiat;* & hic ait: *faciamus hominem ad imaginem*, & reliqua, pluraliter? Ut oſtenderet, quia trinus eſt DEUS in perſonis, & unus * in Deitatis natura. Inde eſt, quòd in conſequentibus dicitur: *& creavit Deus hominem ad imaginem ſuam*, & reliqua. D. Homo quippe ad imaginem DEI dicitur, ſecundum quod animam habet inviſibilem, & inmortalem in ſua natura. Sed ſi imago DEI eſt ipſa ratio animæ, ſimilitudo verò ipſius eſt æterna vita, quam daturus eſt omnibus electis, quando erit illud, quod Johannes ait: (*t*) *ſimiles, ei erimus*, & reliqua, non æquales facti Divinitati, ſed ſociati æternitati. Aliter: ſi imago DEI eſt in interiori homine, ſimilitudo in moribus: ſed imaginem

Zw. in Deitate natura.

DEI omnes habent, ſimilitudinem verò pauci. Illi enim ſpecialiter ſimilitudinem illius tenent, qui ſunt imitatores ejus, & illud adimplent, quod ait: (*u*) *ſancti eſtote, quia ego ſanctus ſum*, & rel. Nam ſubditur: *& præſit piſcibus maris*, & cætera. Igitur ſi cuncta animantia, & volatilia ad hoc creata ſunt, ur homini ſubjecta eſſent, quid eſt, quod multa noxia patitur à beſtijs? Ecce vult abigere aves nonnullas, & non valet; ſuperare * beſtias, & non poteſt, & etiam *in Cod. Zw. deeſt* beſtias
ſæpe pro fragilitate humana ab ipſis inte- B. rimitur. Et licèt omnibus dominari non queat, * tamen nullatenus dominatur à beſtiis. Sed quisquis iſta proponit, attendit, qualis factus eſt homo poſt peccatum; & non conſiderar, qualis extitit, antequam peccaret. Conditus namque ad imaginem DEI, ſi perſiſteret in ſuo ordine, omnia ei ſubdita manerent. Veruntamen quia prævaricaror factus eſt mandatorum DEI, quædam ei ad utilitatem conceſſa ſunt, quædam verò in flagellum converſa juxta quod ipſe per Prophetam ait: (*w*) *ego Dominus faciens pacem, & creans malum.* Creare videtur DEUS malum, quando homo à creaturis, quæ ſibi ſubjectæ eſſe debue- C. rant, flagella patitur. Igitur ſi homo teneret ordinem ſuum, ſervarent & beſtiæ obedientiam ſuam, juxta quod in beato Daniele oſtenditur, cui leones ſubjecti etiam tempore famis fuerunt.

Zw. nullatenus dominatur beſtiis.

* Notandum, quia quod homo ad imaginem DEI conditus ſit, & beſtijs præeſſe, in ipſa creatione ſui & creaturarum oſtenſum eſt. Homo namque creatus eſt erectus, ut cœleſtia conſideraret; beſtiæ verò pronæ, ut oſtenderent obedientiam ſuam. Creavit igitur * DEI Filius hominem ad imaginem ſuam, & creavit ad imaginem Patris, quia ipſe eſt imago DEI Patris, ad cujus imaginem etiam conditus eſt homo. Secundùm enim, prout jam dictum eſt, * interiorem hominem, quia rationalis eſt, & animam habet in ſua natura, & inmortalis factus eſt. Unde Apoſtolus ait: (*x*) *vir non debet velare caput, * quia imago DEI eſt: mulier autem velet caput ſuum, quia imago eſt viri.* In quantum enim homo ad cœleſtia tendit, & Divina contemplatur, non debet velare caput, id eſt: obſtacu-

Zw. Notandumq; quod. ℣.27.

Zw. DEus Filius.

Zw. in interiore homine.

Zw. caput ſuum.

(*t*) Joan.3.v.2. (*u*) Lev.11.v.44. (*w*) Iſ.45.v.7. (*x*) 1.Cor.11.v.7.

ſtaculum peccati menti opponere. Si autem amiſerit Divina meditari, & converterit ad terrena ſuperfluè, non jam vir, ſed fæmina dicitur, & ideo velet caput ùt mulier, id eſt: ponat obſtaculum juſtitiæ, ne dum licita cogitare cœperit, ad inlicita prorumpat, & totum ſe ad exteriora diffundat, unde DEUM offendat.

Maſculum, & fæminam creavit eos. Cur dicitur, fæminam creatam eſſe, cùm poſtmodnm narratur *formata*. Niſi quia [Zw. quæ] per originem in viro creavit eam, * quia ex viro formanda erat? Maſculum autem unum, & fæminam inprimis creavit DEUS unam, non ùt animalia, & cætera plura, ut humanum genus ardore ad invicem charitatis conſtringeret, quod [Zw. ortum eſſe] ſe ex uno parente ortum * meminiſſet. Unde mulierem ex viri latere formavit, ut mutua illorum conjunctione terram eſſe implendam doceret.

℣.28. *Benedixitque illis dicens: creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam*

Hanc ſententiam nonnulli hiſtorialiter ſentiunt, quidam verò ſpiritaliter; ſed melius, qui utroque modo. Sed ſciendum, quoniam non eſt incredibile, ſecundum benedictionem DEI poſſe creſcere, & multiplicari eos per coitum, ſi obtemperantes fuiſſent præceptis Divinis, ita verò, ut membra genitalia moverentur natura, non aliqua inſtigante concupiſcentia libidinis, ut tot videlicet procrearentur ex eis electi, quot eligendi ſunt ex omnibus gentibus ad inſtaurandum numerum Angelorum, & nequaquam ſibi ſuccederent moriendo; ſed completo numero electorum à corporali Paradyſo ſine morte ad cœleſtem tranſirent. Sed quibusdam hoc impoſſibile videtur, ut membra potuiſſent moveri abſque libidine: cùm membra, inquiunt, concupiſcentiâ moventur. Sed attendant, quia non ſolùm in hominibus, ſed etiam in beſtijs inrationabilibus aliqua membra moventur, & cætera immobilia permanent; quæ eis, ſi dicerentur, non crederent, niſi cernerent. Sæpe namque cutis animalis, muſcis ſtimulata movetur ſola, ut muſcas excutiat; cætera membra

(5) Gal. 5. v. 24.

A. immobilia perſeverant. Sic etiam & auris una movetur, & cætera quieſcunt, & multa alia, quæ incredibilia forent, niſi viderentur. Si itaque iſta poſſunt fieri in membris inrationabilium, quantò magis ex benedictione Domini membra naturâ, non concupiſcentiâ ad procreandum moveri quiverant? Et ſicuti in cultu ruris agitur ad ſegetes procreandas; ita Adam ſine concupiſcentia in illa muliere valuit prolem procreare.

Salva hiſtoriali narratione poteſt referri ad fœcunditatem animæ: *creſcite*, id eſt: multiplicamini augmentando virtu-B. tes, & *replete terram* ſub carnis virtutibus fœcundate, & ſubjicite ſpiritui, & dominamini beſtijs, hoc eſt: moribus, quos ſimiles beſtiis, * per temperantiam; [Zw. habetis per intemperantiam] qui ſi erumpunt in perniciolas delectationes, ſimiles ſunt beſtiis, ſi autem reguntur, omnino manſueſcunt. Hinc Paulus ait: (5) *qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt.* Se quæritur, in quam utilitatem dominationem accepit homo in piſces, & volatilia, & cætera, vel ad quos uſus? Non enim comederet, ſi non peccâſſet, ſed ad eſcam ſolùm arborum ſunt fructus in prima C. conditione conceſſi. Niſi fortè dicendum eſt, quia peccaturum præſciebat eum DEUS, & mortalem peccando futurum. Ideoque ſolatia primordialiter inſtituit, quibus ſuam fragilitatem poſſit tueri, ſeu alimentum ex his, vel cætera neceſſaria.

Dixitque DEUS: ecce dedi vobis omnem herbam, & univerſa ligna &c. uſque, *ut ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ.* ℣.29.

Cur enim herbæ, & fructus lignorum dicuntur dati in eſcam cunctis animanti-D. bus terræ, & volatilibus, cùm multæ * ſint [Par. ſunt] beſtiæ, & volatilia, quæ carnes comedunt, & non aluntur frugibus terræ, ſicut ſunt Leones, & cætera, niſi aut ſpecialiter illa poſita ſunt, quæ his paſcuntur eſcis; aut etiamſi carnes comedunt, ex his aluntur, quia corpora eorum comedunt, quæ his herbis, aut frugibus paſcuntur, ſicuti ſerpentes, qui morantur in arenoſis locis; ſed mortes animantium ſunt eis in eſcam.

℣. 31. *Vidit Deus cuncta, quæ fecit, & erant valde bona.*

Cùm enim superius multa creata sunt, & dictum est per singula: *& vidit DEus, quòd esset bonum*, cur in fine dicitur: *& erant valde bona;* nisi quia in suis speciebus divisa bona sunt; juncta autem simul non solùm bona, sed etiam in sua generalitate valde bona sunt? v. g. laudas oculum in corpore per se, &c.; alia membra specialiter; conjuncta autem, ut sit unum corpus, non solùm bona dicis, sed etiam valde bona; & in tantum generalitas laudatur in corpore; ut etiam si aliquod membrum inde præcidatur, non solùm est inutile, sed etiam fœdat corpus. Seu ideo homine condito benè singulariter non dicitur: *vidit DEUS, quod esset bonum*, sicut de cæteris creaturis, sed *post cuncta creata* dictum est: *& erant valde bona;* quia propter hominem creata sunt. Nam antea quasi singula erant bona; homine autem, propter quem condita sunt, creato, jam dicitur; *valde bona;* quia omnia in decorem hominis creata sunt; homo verò in gloriam & laudem conditoris sui factus est.

CAPUT II.

℣. 1. *Igitur perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum.*

Benè pluraliter cœli ponuntur, quia secundum auctoritatem Scripturarum tres esse comprobantur; primum videlicet aëreum, à quo aves cœli nominantur. Secundum Æthereum, vel Sydereum, ubi luminaria continentur. Tertium spiritale, quod proprium est Angelorum, de quo Paulus Apostolus ait: (z) *scio hominem raptum usque ad tertium cœlum.* Unde post pauca subdidit: *raptum in Paradisum.* Quod enim præmisit: tertium cœlum, hoc iterum iteravit, cùm ait: *in Paradisum.* Sed sciendum est, quia ornatus cœli Spiritalis sunt Angeli, Archangeli, Throni &c. ornatus verò Ætherei cœli Sol, & Luna, & Stellæ: ornatus autem aërei cœli nubes, venti, pluviæ, volatilia diversi generis. Terræ namque ornatus * est mare, juga montium, subducta vallium, * tenia camporum, vicissitudines temporum, species fructuum, decursus aquarum, & cætera. Sequitur.

Petr. ornatus in ære. *Zw.* densa.

℣. 2. *Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo*, & cætera.

Ideo juxta historiam senario numero Mundi creationem perfecit, quia ille numerus perfectus juxta Arithmeticæ disciplinæ legitur rationem, ut ostenderet DEUS omnia perfecta, & valde bona eum condidisse. Cæterùm altius requiritur, quid est, quod hic dicitur: *requievit*, cùm ipse in Evangelio ait: (a) *Pater meus usque modo operatur, & ego operor?* Sed de requie DEI trimoda * expositio à Doctoribus ponitur. Primum quod hic ait: *requievit*, id est: à condendis novarum creaturarum generibus cessavit; quia deinceps nihil novi creavit per originem. Sed tamen usque modo operatur regendo & ministrando creaturam suam, quam ex informi materia condiderat. Aliter: quod ait: *requievit*, ideo dictum est; quia futurum erat, ut ipse, per quem facta sunt omnia, pro nostra redemptione ipso septimo die * quiesceret in sepulchro. Seu translato genere locutionis potest referri ad membra capitis. Dicitur namque: *Deus requievit*, pro eo, quod est, requiescere fecit, quia nimirum in ipso electi perfectam obtinent requiem post hanc vitam ærumnosam, quæ per sex dies figuratur velut in septimo die in requie cœlesti, quæ interim alia in vita suscipit animas electorum, donec tandem adveniat octava dies futuræ resurrectionis. Benè namque dictum est: requievit DEus post valde bona opera; ut ostenderet, quia aliter electi non valent pertingere ad septimam diem, ad requiem scilicet beatam, nisi post opera valde bona. Movet denique ad quærendum, qua ex causa sex diebus operari voluit omnia opera sua, & septimo quiescere; nisi quia istenumerus magnum retinet mysterium. Si enim dividatur in duo, id est: in unum, & sex, in uno signatur unitas divinitatis, seu * unio charitatis; in sex verò perfectio bonorum operum, & in septimo æterna requies animarum. Voluit namque DEus idcirco opera sua sex diebus agere, & septimo

Petr. tribus modis.

Zw. requiesceret.

Zw. unitas.

(z) 2. Cor. 12. v. 2. (a) Joan. 5. v. 17.

septimo requiescere, ostendens, quod illi, qui modo unitatem charitatis, perfectionemque bonorum operum exhibent, pervenient ad requiem cœlestem, ut contemplentur unitatem divinæ majestatis, licet dicatur & altius. Senarius verò numerus primus opere, & actu perfectus est; quia in sex diebus creavit DEus cœlum, & terram, & partibus suis impletur. Nam unus, duo, tres, fiunt sex. Significatur enim in requie diei septimi, quod DEus ante creationem Mundi in se ipso natura, & potestate perfectus est, & æternaliter in seipso habet requiem; creaturæ verò actu ab ipso creationis accepto habent per ipsum in suis naturis perfectionem quandam; quia unaquæque creatura creata est perfecta à creatore, & requiem in operatione obedientiæ, & maximè rationabiles creaturæ eo bono beatæ sunt, ut in conditore suo requiescant. Sequitur:

ỳ.3. *Benedixitque diei septimo. & sanctificavit illum.* Cur de die Sabbato dicitur: *Benedixit DEus diei septimo, & sanctificavit illum*, dum de aliis diebus hoc non legitur eum dixisse? Ideo, ut ostenderet Sanctorum requiem post sex hujus sæculi ætatum labores in æterno Sabbato, & benedicta requie quieturos, sicut dicturus erit: (b) *venite benedicti Patris mei*, & reliq. Ideo & illa dies sine vespera legitur; quia ultima requies Sanctorum sempiterna erit. Et congruè quippe dicitur: *Sanctificavit, & benedixit*, quia sancti ex benedictione Domini æternam percipiunt requiem.

Sed his prælibatis notandum est, quòd operatio divina quatuor modis distinguitur. Primò, quod in * verbi DEI dispensatione omnia æterna sunt. Secundo, quod in materia informi, qui vivit in æternum, creavit omnia simul. Tertio, quod per opera dierum sex varias distinxit creaturas. Quarto quod ex primordialibus seminibus non incognitæ naturæ oriuntur, sed notæ sæpiùs, ne pereant, reformantur. Hactenus historiam succinctè tetigimus, licèt pauca intermixta sint, quæ ad spiritalem pertinere videantur sensum. Sed spiritalem intelligentiam prætermittimus causa brevitatis; quam si quis cognoscere desiderat, librum Isidori legat, cæterorumque Doctorum campos percurrat; quia nimirum historia divinæ legis non est sine mystica significatione conscripta teste Paulo Apostolo, qui ait: (c) *lex enim figuram habet futurorum bonorum*, non ipsam imaginem rerum. Et alibi: (d) *hæc omnia in figura contingebant illis.* Quod etiam exponens exemplum huius historiæ, ubi dictum est: *propter hoc relinquet homo patrem, & matrem*, & cætera. Manifestavit inibi sacramentum esse, cùm dicit: (e) *sacramentum hoc magnum; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Sed historiam veteris testamenti, atque Prophetarum ita accipere debemus; ut neque mysticam significationem in omnibus requiramus, neque etiam historialem, sed partim mysticum sensum, partim etiam superficiem historiæ. Ubicunque enim historialis intelligentia ponitur, tantummodo propterea fit; ut in ea contineatur spiritalis intellectus, sicut in vasis Musicorum agitur. Ponuntur enim ibi ligna, ponuntur & chordæ, ut his contineantur, & suaviter sonare possint. Sic & historia ponitur, ut in connectendo spiritalem intelligentiam contineat. Sequitur:

Zw. verbo

Istæ generationes cœli, & terræ, quando creatæ sunt in die, quo fecit Dominus Deus cœlum, & terram, ỳ.4.

Sequitur hìc recapitulatio sex dierum operum DEI propter illos, qui Mundum coæternum dixerunt, & sine initio eum semper fuisse adfirmant, ut ore conticescant, atque penitus confundantur. Sed requirendum est, quid est, quod hic ait: *in die, quo fecit cœlum, & terram*, cùm superiùs sex diebus omnia opera sua distinctè patrâsse legitur, nisi quod rerum omnium origo simul creata est in substantia, quæ varias restabat producenda formarum in species, juxta quod scriptum est (f) *qui vivit in æternum, creavit omnia simul* ? Potest & altius intelligi. Diem namque quo tempore primordialis creaturæ posuit, sicut * & Apostolus: (g) *ecce nunc dies salutis*, diem totum tempus intelligi voluit, quo sancti in hac vita pro æterna salute laboranr. Sequitur:

Zw. sicut dicit Ap.

(b) Matth. 25. v. 34. (c) Col. 2. v. 17. (d) 1. Cor. 10. v. 11. (e) Ephes. 5. v. 32. (f) Eccl. 18. v. 1. (g) 2. Cor. 6. v. 2.

Et

℣. 5. *Et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret.*

Quomodo herba, & virentia agri, antequam exorirentur, condita sunt? Et si non erat exorta, quomodo erant * facta, nisi quod causaliter, & originaliter tunc condita sunt, quando dictum est: *producat terra herbam virentem?* Tunc eam constat producendi accepisse virtutem, & in ea virtute tanquam in radicibus, ut ita dixerim, temporum facta erant, quæ tempora erant orienda. Et benè ait: *omne virgultum agri &c.* ut celeritatem operis DEI insinuaret, id est: antequam aliqui fructus ex terra crescendo orirentur, aut germinarent, repente omnes campi, & colles herbis erant, & arboribus cooperti. *Non enim pluerat Dominus super terram, & homo non erat, qui operaretur terram.* Cur de homine, qui jam sexta die factus fuerat, hoc recapitulatur, nisi quando fecit DEUS omne virgultum agri, nondum pluerat, & nondum homo factus erat?

Petr. sexta.

℣. 6. *Sed fons ascendebat è terra irrigans universam superficiem terræ.*

Hic meritò quæritur, si fons irrigabat extensa camporum, superficiemque universam terrarum, cacumina montium non * irrigabat: & si juga, ac cacumina montium infundebat; ergo non fons, sed diluvium erat. Sed quod ait: *fons ascendebat de terra*, & reliq. juxta litteram tale est, ac si dixisset: nondum pluerat, sed fontes per universam terram, sive in planitie camporum, sive * verticibus montium, suis quibusque locis erumpentes, regiones proprias irrigabant. Sed *fontem* more scripturarum singulari numero pro plurali posuit propter unitatem naturæ, eo quod omnes unam originem habent.

Zw. irrigabantur.

Zw. sive in.

℣. 7. *Formavit igitur DEUS hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, & reliqua.

Quid est enim, quod hominem de limo terræ formavit, & non de Angelica creatura, nisi quia ideo voluit de limo terræ creare, ut semper humilitatem teneret, & non superbiret, pulverem se, cineremque juxta exemplum Abrahæ conspiceret, & ageret gratias conditori suo, eo quod de tam fragili materia conditum ad tantam gratiam erexit, ut, si subditus ei foret, regna cum Angelis obtineret cœlorum? *Et inspiravit in faciem ejus &c.* Inspiratio DEI in faciem hominis conditio est animæ rationalis. Sed in hoc, quod ait: *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, quæstio oritur: utrum DEUS animam insufflando fecit, an eam, quam fecerat, corpori dando potius insufflavit? Sed utrumque unum est, & nihil habet quæstionis; quoniam sive insufflando fecit animam sive creando, vel dando corpori insufflavit: tamen credendum est, quia spiraculum Divinum non est in animam viventem conversum, sed operatû est animam viventem: & non habet anima participationem cum Divinitate, nec de aliquo flatu suo, nec de seipso condidit, ut cogamur dicere, naturam DEI esse mutabilem, sicut anima, quæ modò proficit, modò sapit, modò dissipit. Nam de se ipso si animam fecisset DEus, nunquam vitiosa, aut mutabilis, vel misera potuisset esse. Etiam sciendum, quia non est de elementis visibilibus facta; quia si esset, haberet aliquam communionem cum eis, videlicet, ex terra soliditatem, ex aqua humorem, ex aëre flatum, ex igne calorem. Sed quoniam his omnibus caret, apparet, eam inde non esse, quæ cum illis nil habere probatur; sed ex nihilo, sicut superiùs diximus, aut insufflando creavit, aut creando corpori insufflavit. *Et factus est homo in animam viventem.* Non enim spiritalem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viventem, sed adhuc animalem. Tunc enim spiritalis effectus est, quando in Paradyso positus præcepta perfectionis accepit. Itaque postquam peccavit, & emissus est de Paradyso, in eo remansit, ut esset animalis. Et ideo omnes, qui de illo nascimur, prius animales efficimur, donec renati per fontem Baptismatis assequamur spiritalem Adam, id est: Christum, per quem simus spiritales, juxta quod Paulus Apostolus ait: (*b*) *non prius, quod spiritale est, sed quod animale; deinde quod spiritale.*

(*b*) 1. Cor. 15. v. 46.

Planta-

ỳ.8. *Plantaverat autem Dominus DEus Paradisum voluptatis &c.*

Paradisus hortus, sive voluptas, vel deliciæ interpretatur. Sciendum est, quia quatuor modis in Divinis libris *Paradisus* legitur. Est enim Paradisus, de quo in hoc loco Moyses loquitur, qui tamen, in quo loco, quave provincia, vel regione situs fuerit, soli DEO cognitum est, præsertim cum * toto Orbe terrarum nusquam reperire potest. Sed tamen, ùt nonnulli autumant, in Oriente est positus; quia, inquiunt, opportunum erat, ut locus præ cæteris amœnissimus in excellentiori parte Mundi plantaretur. Unde nonnulli transtulerunt: *in Eden contra Orientem.* Dicitur & Paradisus Mundus, * propter ornatum suum, ùt in Ezechiele, ubi Dominus de regno Assyriorum locutus est: (*i*) *cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso DEI,* Legitur etiam & Paradisus spiritalis, in quem Paulus se raptum commemorat dicens: (*k*) *scio raptum hominem in Paradisum*, id est: in cœlestem amœnitatem. Juxta anagogen verò Paradisus Ecclesia, est. Unde Salomon in Cantico Canticorum ait: (*l*) *hortus conclusus soror mea, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ Paradisus.* Ait enim: *plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio.* Nam quod ait: *à principio*, nonnulli intelligi volunt ab initio terræ, id est: ab Oriente. Sed quod dicit: *à principio*, id est: ab exordio, sive ab initio cœli & terræ, sicuti Symachus, & Theodocion transtulerunt, intelligitur. Et ideo non Orientem, sed exordium, & initium significat. Unde intelligitur, quod antequam Cœlum, & terram faceret DEUS, Paradisum condiderat. Lege librum locorum beati Hieronymi. Legitur enim in Hebræo: *plantaverat autem Dominus Deus Paradisum in Eden à principio.* Eden deliciæ interpretatur. Benè dicit *in Eden*, id est: in loco deliciarum. Unde & quod hic dicitur *voluptatis*, Symachus *Paradysum florentem* transtulit.

Zw. in toto

Pez. Mundus mundum propter.

ỳ.9. *Produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave.*

Quid est ergo, quod hic dicitur produxisse lignum pulchrum de humo &c. cùm supra legitur: *germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum faciens* & reliqua? Sed sciendum est, non propterea * dictum lignum pulchrum productum, ut novum aliquid condiderit, sed ex his generibus, quæ jam terra tertia die produxerat, exorta sunt postmodum, & ex illa virtute, quam antea terra acceperat, producta sunt. Et hic etiam recapitulatio est, sicuti & de homine superius. Sequitur: *lignum etiam vitæ in medio Paradysi.* Quidam tantùm Allegoricè intelligi volunt lignum vitæ Divinam Sapientiam, de qua Salomon ait: (*m*) *lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus.* Sed credendum est, quia sicut petra percussa à Moyse præbuit aquas, quamquam significaret Christum, historialiter vera petra fuit; ita & lignum vitæ, quamvis eundem significat * Christum, tamen erat corporaliter evidentissimè lignum, quod propterea lignum vitæ nuncupatur; quia si inde sumerent primi parentes, nec morbo, nec aliqua senectute deficerent, & si in obedientia permanerent, nec morerentur, sed propter obedientiam corpus eorum in spiritale converteretur, sicut Sanctorum in resurrectione erit, & à terreno ad cœlestem transirent inmortales Paradisum. Denique in cæteris erat alimentum, in isto autem Sacramentum, lignumque scientiæ boni, & mali. DEUS enim omnia bona fecit, nec aliquid mali in Paradyso instituere potuit. Sed quare dicitur: *lignum scientiæ boni & mali*, nisi propterea appellatur lignum scientiæ boni, & mali, non quod illud lignum in sua natura rationabile extitit, ut haberet scientiam boni, vel mali; sed quia homo in eo experiri, & scire * potuerit, quid interesset inter bonum obedienriæ, & malum inobedientiæ? Et ideo in Paradiso lignum vitæ, & lignum scientiæ boni, & mali creatum est, ut per illud potuisset inmortalis esse; per hoc verò mortalis; ligno vitæ quasi medicina, ut incorruptibilis esset, utebatur; ligno autem scientiæ boni, & mali quasi veneno, ut moreretur.

Zw. dicitur.

Zw. significet.

Zw. potuit.

Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad inrigandum Paradysum, qui inde dividitur in quatuor capita. ỳ.10.

Sciendum est, quia nec per hoc Paradisus declaratur evidenter, ubi sit, quasi per flu-

(*i*) Ezech.31.v.8. (*k*) 2.Cor.12.v.2. (*l*) Cant.4.v.12. (*m*) Prov.3.v.18.

flumina inveniri possit locus ipsius. Quia sicuti nonnulli dicunt, & beatus Augustinus autumat, licèt ab uno fonte Scriptura teste procedant, tamen subtus terra profluunt, & post longos tractus suis locis erumpunt, & celantur interim amnes.

✝.11.12. *Nomen uni Phison, ipse est ganges fluvius India, qui circuit omnem terram Evilat, ubi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est, ibique invenitur bdellium, & lapis onychinus.*

Bdellium nonnulli dicunt lignum esse pretiosissimum; alij verò lapidem pretiosum. Unde nonnulli pro bdellio, & Onychino carbunculum, & lapidem Prasinum transtulerunt. Interpretatur autem Phison *inflatio* juxta historiam, quia vento tumente inflatur: seu *os pupillæ*, quod melius est.

✝.13. *Nomen fluvio secundo Geon, ipse est & Nilus fluvius Ægypti, ipse est, qui circuit omnem terram Æthiopiæ.* Qui ab Oriente fluens, à radicibus videlicet Atlantis montis, sicut autumant, & ad Septentrionem flexus, autumnalibus pluvijs auctus, plana Ægypti inrigat, usque dum in littore maris rubri sub terra celatur, deinde inrumpens Ægyptum ad Occidentem fluit. Interpretatur quippe *tenebrosus*, quia per Æthiopiam, & Ægyptum currit; sed melius terræ gratia, vel fertilitas; quia felices homines reddit, quod magis ad spritalem intelligentiam pertinet.

✝.14. *Nomen verò fluminis tertij Tigris ipse vadit contra Assyrios.* Qui propter velocitatem à bestia nomen accepit, & interpretatur sagitta. *Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates*, fluvius Mesopotamiæ; sed propterea terram, quam circumit, non nominat Scriptura, quia prope erat terræ Judæorum, & notus erat eis, & interpretatur *ubertas*. Hactenus historiam succinctè descripsimus. Hinc verò breviter, maximè propter interpretationes nominum aliqua, quæ ad spiritalem significationem pertinent, inserere nitimur, licèt contra morem nostræ descriptionis conemur.

Fluvius, qui egrediebatur de Paradiso, significat Dominum, ac Redemptorem nostrum, de paterno fonte procedentem,

A. à quo origo est omnium creaturarum. De quo per Psalmistam dicitur: apud te est fons vitæ; & de quo Propheta ait: Dominus DEUS noster fluvius gloriosus, * exiliens in terram sitientem. *Zw. gloriosus est,* A quo procedunt quatuor flumina, quæ irrigant Paradisum. Quatuor ista flumina quatuor significant Evangelia, quæ habent originem ab ipso Domino JEsu Christo, quibus irrigat Ecclesiam suam, quæ per Paradisum figuratur, sicut paulo superius prælibavimus, ubi Paradysum tripliciter inseruimus. Unde & interpretationes eorum nominum sacris Evangelijs con-
B. gruunt. Phison, qui interpretatur *os pupillæ*, significat Evangelium Johannis; *os* enim ad locutionem pertinet; *pupilla* ad visum; quia quod ipse per attributam sibi gratiam per oculum mentis de divinitate Salvatoris præ cæteris altius intellexit, loquendo eructavit dicens: *in principio erat verbum*, & reliq. *Qui circuit omnem terram Evilat*, id est: terram Orientalem; quia ibi maximè legitur de excellentia Divinitatis ipsius, qui *Oriens* vocatur, Propheta attestante, qui ait: (n) *ecce vir, oriens nomen ejus. Ubi nascitur aurum &c.* quia ibi præ cæteris sensus refulget spiritalis sa-
C. pientiæ. Aurum namque sapientiam significat Salomone attestante, qui ait: (o) *thesaurus desiderabilis requiescet in ore sapientis. Ibique invenitur bdellium.* Bdellium, si ad lignum refertur, significat mysterium crucis, quod in hoc Evangelio plenissimè declaratur. Si autem ad lapidem, qui alio nomine Carbunculus vocatur, significat Divinitatis excellentiam. Et lapis Onychinus, qui in quibusdam codicibus Prasinus invenitur, significat humanitatem Salvatoris, quæ inibi evidenter declaratur, de qua plenissimè in hoc legitur Evangelio. *Geon* verò, qui in-
D. terpretatur: *terra* * *gratia*, præfigurat *Pet. gratiæ* Evangelium Matthæi; quia ibidem continetur, qualiter Dominus sua gratia nullis nostris meritis exigentibus, terram carnis nostræ assumere dignatus est, de qua & Esaias ad Judæos loquitur dicens: (p) *interficiet te Dominus DEUS tuus; & servos suos vocabit nomine alio, in quo, qui benedicetur super terram, benedicetur in DEO, amen, & qui jurat in terra, jurat in Deo amen.*

(n) Zach. 6. v. 12. (o) Prov. 21. v. 20. (p) Isa. 65. v. 15.

Tygris

Zw. sagitta.

Tigris, qui vadit contra Assyrios, quem A. * *sagittam* interpretari dicunt, significat Evangelium Marci, qui veloci, & brevi sermone comprehendit Evangelium suum. Qui benè contra Assyrios, qui *feroces*, & *captivantes*, vel *quasi dæmones* interpretantur, ire dicitur, quia contra aëreas potestates, quæ genus humanum captivare non cessant, disputat. *Euphrates* fluvius Mesopotamiæ, qui interpretatur *ubertas*, significat Evangelium Lucæ, quod in magna prolixitate conscriptum est, in quo non solùm Christi nativitas, verùm etiam sui præ- B. cursoris tenetur adscripta, & multæ parabolæ inibi leguntur, quæ in aliis habentur.

Nonnulli etiam moraliter hæc quatuor flumina, quatuor virtutes principales significare voluerunt, videlicet prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam. Per Phison intelligitur prudentia. Prudentia ergo significat ipsam contemplationem veritatis, ab omni ore humano alienam, quia est ineffabilis. Unde Phison *oris mutatio* interpretatur, quam si eloqui velis, parturis eam po-

Zw. parias.

tius, quàm * paris, quia ibi audivit C. Paulus ineffabilia verba, (q) *quæ non licet homini loqui*. Et ideo *Evilat* interpretatur *parturiens*, sive *labor*, quam circuit; quia cum labore per prudentiam magis parturis ipsam contemplationem veritatis, quàm parias; quia pleniter nullus eam comprehendere valet. Ibi nascitur aurum, disciplina videlicet vivendi,

Zw. quæ.

quoniam * aliena est, atque decocta nitescit ab omni sorde, velut aurum purum. Ibi invenitur bdellium, qui alio nomine Carbunculus inscribitur. Significat vero veritatem, quam nulla falsitas D. vincit, sicut carbunculi fulgur nullis tenebris noctis superatur. Et lapis Ony-

Zw. Prasius

chinus, qui alio nomine Prasinus * invenitur, significat vitam æternam sua viriditate propter vigorem vitæ, quia non arescit. Geon, qui circuit omnem terram Æthiopum calidam, ferventemque,

Zw. figurat

* significat fortitudinem calore actionis alacrem, atque impigram, quæ superat omnem segnitiem, & pervenit ad fervorem dilectionis. Tertius Tygris vadit contra Assyrios, & significat temperantiam, quæ resistit libidini, & voluptuosas frænat concupiscentias, quibus immundi spiritus, qui significantur per Assyrios, qui interpretantur feroces, vel * quasi dæmones, decipere miseros sata-

Zw. vel dæmones.

gunt, sed hac virtute superantur. Quartus Euphrates non est dictus, quò vadat, aut quam terram circumeat. Significat autem justitiam, quæ ad universas animæ pertinet partes; quia ipse ordo, & æquitas animæ est, qua sibi tria ista concorditer copulantur, & in ista tota copulatione, atque ordinatione justitia est. Sed notandum est, quia Philosophi, & nonnulli Doctores secundum Ethicam disciplinam supradictas virtutes ita ordinant: prudentiam, justitiam, fortitudinem, & temperantiam. Prudentia, inquiunt, in agnitionem veritatis inducit hominem; justitia dilectionem DEI, & proximi servat; fortitudo vincit adversa, mortemque contemnit; temperantia vitiosas voluptates reprimit, & omnia moderatur. Hæ sunt quatuor virtutes principales, quæ mores ornant, merita præbent, diabolum vincunt, cœlum aperiunt. Prima intelligit, secunda diligit, tertia victoriam dat, quarta modum imponit. Quisquis enim quatuor Evangeliis instructus fuerit, & his quatuor virtutibus cor infusum habuerit, ab omni carnalium tentationum æstu temperatur, & habitabit inter ligna Paradisi, videlicet sanctæ Ecclesiæ, & percipiet fructus lignorum, atque perveniet ad lignum vitæ. Ligna Paradisi fructifera, utiles disciplinæ, vel sancti sunt; lignorum fructus, mores, vel opera sunt ipsorum; lignum vitæ ipsa bonorum omnium mater sapientia est, de qua Salomon ait: (r) *lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus*. Vel ipse Sanctus Sanctorum Christus, ad quem, * quisquis porrexerit manum, vivet in æternum. Sequitur:

Petr. si quisque.

Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis. ℣. 15.

Hic enim ostenditur, quia extra Paradisum conditus est. Quidam enim dixerunt, quod in Hebron * conditus sit, ubi & sepultus jacet, & subito illuc positus. Hoc historia Divinæ legis non narrat. *Ut operaretur, & custodiret illum.*

Petrens. quod Hebron.

(q) 2. Cor. 12. v. 4. (r) Prov. 3. v. 18.

Quid operaretur, cùm nondum erat laboris defectio? vel quid custodiret, cùm nullus erat aggressor vel prædo? An propter bestias dicit? Minimè. Quia bestiæ nocivæ non fuerunt, nisi post peccatum. Sed quod ait: *ut operaretur, & custodiret illum*, non pertinet ad servilem laborem, sed ad exercitium jocunditatis, & honestam animi voluptatem, sicut potentes, cùm nullis indigent, propter jocunditatem tamen laboribus se exercent. Seu etiam propterea dictum est: *ut operaretur, & custodiret illum*, id est: operaretur præcepta justitiæ, & perseveraret in mandato, & custodiret semetipsum, ne perderet Paradysum. Dicunt & aliter: *tulit ergo Deus hominem, & posuit eum in Paradiso, ut operaretur, & custodiret illum*, id est: ut ipsum hominem DEUS operaretur, & custodiret illum; operaretur, ut justus esset, & custodiret, ut tutus esset; sicut terra operari dicitur ab hominibus non creando, sed exercendo, ut fructum ferat, quem sensum nonnulli reprehendere voluerunt: quia, inquiunt, si eum custodiret, non peccaret. Sequitur:

ỳ.16. *Præcepitque ei dicens: ex omni ligno Paradisi comede*, &c.

Quæritur: quomodo loquebatur Adæ DEus? Aut per cœlestem substantiam, quomodo nunc loquitur Angelis; aut per corporalem speciem, id est: ex aëre cœlesti sumpta imagine, sicut olim Patriarchis; aut inspirando in mente, quomodo Prophetis, sicut scriptum est: *dixit mihi, qui loquebatur in me?* Sed sciendum est, quia prius, antequam peccaret, loquebatur ei per cœlestem substantiam, sicut Angelis; postquam verò peccavit, per subjectam creaturam, id est: per Angelum.

ỳ.17. *In quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini.*

Quæritur, de qua morte dicatur, utrum de morte corporis, an de morte animæ, an de morte Gehennæ? Sed sciendum est, quia de utraque morte sentiendum est, animæ videlicet, & corporis. Animæ mors est, dum propter peccatum quodlibet * DEus deseritur, qui est vita ejus.

Zw. eum Deus deserit.

(r) Matth. 8. v. 22. (s) Matth. 25. v. 41.

A. Mors corporis est, dum propter necessitatem quamlibet corpus deseritur ab anima. Quia sicut DEus est vita animæ, ita anima est vita corporis, quam mortem corporis peccando promeruerunt, quoniam immortales forent, si non peccassent; & licèt non statim fuissent mortui, sed post longum tempus, tamen quia jam spes immortalitatis amissa erat, futura mors præsens dicta est, quoniam hæc cœpit in spe haberi. Unde Symmachus transtulit: *mortales eritis*. Et hanc duplam hominis mortem Christus sua simpla morte destruxit. Nam sola carne B. mortuus est ad tempus; anima vero nunquam, quoniam nunquam peccavit. Possumus etiam mortem Gehennæ intelligere, qua nunc cruciatur anima privata societate sanctorum, quæ post judicium recepto corpore pariter pœnam sustinebit. Unde nonnulli auctoritate scripturarum fulciti quatuor mortes ostendunt: prima mors est, inquiunt, animæ, quæ deserit suum creatorem. Cùm enim deserit, peccat. Hinc Dominus in Evangelio ait: (r) *dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Hæc namque sententia duas mortes, animæ videlicet, & cor- C. poris ostendit. Tertia est solius animæ, * quam, dum ex hoc corpore exierit, patitur, quam sustinebat dives in inferno, qui guttam aquæ petijt. Quarta, cùm anima in futuro receperit corpus suum, & in ignem mittetur, quando Dominus dicturus est: (s) *ite in ignem æternum*. Quando quippe peccavit Adam, est mortuus in anima. Hæc prima præcessit desertio DEI, tres postea secutæ sunt mortes.

Zw. quæ, dum à corp.

Dixit quoque Deus: non est bonum, esse hominem solum. Faciamus ei adjutorem D. *similem sui.* ỳ.18.

Hic enim ostenditur, quia uxor propter solatium, & adjutorium creata est viro, & * ideo solatium ei præbere debet, atque subdita esse, teste Apostolo: *mulier sui corporis potestatem non * habet, sed vir*. Sed requirendum videtur, quare Adam Mundi Dominus legem acceperit. Ideo, ne se extolleret dominio, sed in observatione mandati sciret se subjectum esse conditori.

Zw. ideo, ut solatium ei præberet, atq; subdita esset.

Zw. habeat

For-

ỳ.19. *Formatis igitur de humo cunctis animantibus terræ, adduxit ea ad Adam.*

A.

Sciendum est, non circuitu locali adducens, sicut aucupes, & venatores, sed occulto nutu suæ potentiæ voluit, ut venirent, *ut videret, quid vocaret ea. Videret*, id est: discerneret, & intelligeret, quid vocaret ea.

ỳ.20. *Appellavitq; Adam nominibus suis cuncta animantia*, & reliq.

Hic enim juxta litteram ostenditur, * quanta dignitate homo pecoribus, & animalibus irrationabilibus antecellit, qui intellectu suo cuncta distinguere, & nominatim discernere potuit, & secundum

Zw. in quanta.

B.

qualitates, mores, & iras bestiarum nomina imposuit; cui hanc dignitatem Dominus ideo conferre voluit, ut intelligeret seipsum, & quanto melior esset animantibus, tanto suum auctorem potius diligeret *. *Adam verò non inveniebatur adjutor similis ejus*, id est: quia inter omnia animantia nullum rationale inveniebatur, nisi ille solus. Adam interpretatur *homo*, sive *terrenus*, sive *terra rubra*, ex terra enim facta est caro, & humus hominis faciendi materies fuit. Nam spiritaliter quod terra rubra dicitur, significat Christum ex ejus semine carnem suscepturum, qui ab Apostolo secundus Adam dicitur, cujus caro proprio sanguine in passione erat * rubricanda, juxta quod Esaias interrogat dicens: (*u*) *quare ergo rubrum est indumentum tuum*, & reliq.

Zw. addit: quò se meliorem aliis viventibus intelligeret

C.

Zw. rubicunda.

ỳ.21. *Immisit ergo Dominus soporem in Adam*, & reliq.

Quid est, quod dicitur: inmisit soporem, ut mulierem formaret? Nunquid non poterat DEus vigilanti costam educere, fœminamq; formare? An fortè ne doleret latus, quando costa detracta est, propter hoc oportebat, ut ille dormiret? Quis est, qui sic * dormiat, ut ossa non evigilanti evellantur? An quia DEus evellebat, propterea homo non sentiebat? Poterat ergo vigilanti sine dolore evellere, qui poterat dormienti. Sed causâ mysterij actum est. Ideo mulier non de terra plasmata est, sicut vir, sed de latere viri dormientis, quia futurum erat,

D.

Zw. dormiat.

ut Christus propter Ecclesiam in cruce dormiret, ex cujus latere fons salutis nostræ emanaret, & formaretur Ecclesia. *Et replevit carnem pro ea.* Quid hoc est, nisi quia Christus posuit carnem suam in passione pro Ecclesia? Unde enim Adam infirmatus est, inde mulier fortis effecta *; quia per hoc, quod Christus infirmari dignatus est in passione, inde Ecclesia corroborata est.

Zw. effecta est.

Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, & reliq., usquequo ait: *& vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* ỳ.22.23.

Quomodo hic fœminam ædificatam dicit, qui superius ab omni opere suo requievit? Non enim hic creavit in materia, sed expressit in forma. *Dixitque Adam: hoc nunc os ex ossibus meis*, & reliq. Vocavit ergo uxorem suam Vir tanquam potior inferiorem, & dixit: *hoc os ex ossibus meis*, &c. Os de ossibus meis fortassis propter fortitudinem, & caro de carne propter temperantiam. Hæ namque duæ virtutes ad inferiorem animæ partem, quam prudentia rationalis regit, docentur pertinere allegoricè. *Hæc vocabitur virago.* In quibusdam codicibus invenitur: *hæc vocabitur mulier.* Non enim videtur in Græco, & in Latino resonare, cur mulier appelletur, quia ex viro sumpta sit; sed etymologia in Hebræo sermone servatur *: vir quippe vocatur *Is*, & mulier *Issa*. Rectè igitur ab *Is* appellata est mulier *Issa*. Et hoc est, quod hic ait: *hæc vocabitur virago; quoniam de viro sumpta est.*

Zw. servetur.

Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & reliq. ỳ.24.

Hic primum Adam prophetavit de Christo, & Ecclesia. Quod * exemplum exponens Paulus Apostolus ait: (*w*) *mysterium hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Quod si quis spiritaliter nosse desiderat, Augustini, & Isidori dicta strenuè legat. Benè ait: *in carne una*, hoc est: in unn voluntate, & consensu; seu quia ex duobus una caro procreatur in prole.

exemplum deest in Zw.

(*u*) Isa. 63. v. 2. (*w*) Ephes. 5. v. 32.

℣.25. *Erant autem uterque * nudi, Adam* Zw.nudus. *scilicet, & uxor ejus, & non erubescebant.*

Non quod eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat; quia nondum libido membra illa movebat ad concupiscendum. Si enim non peccarent, non erubescerent, quod in Parens.quia parvulis fieri videmus, * qui antequam tempus libidinis, & motus fragilitatis adveniat, non erubescunt ex nuditate. Et idcirco erant nudi, ùt dictum est, sed non erubescebant; quia non videbant (x) *aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, & captivos eos ducentem in lege peccati.* Nihil enim putabant velandum, quia nihil sentiebant refrænandum. Sed post peccatum erubescebant; quia propter inobedientiam caro quodam modo verecundiæ testimonium perhibebat, & peccando promeruerunt, ut eis rebellis esset.

CAPUT III.

℣.1. *SEd & serpens erat callidior cunctis animantibus,* & cætera.

Non ut serpens aliquam astutiam, aut sapientiam haberet; sed propter astutiam diabolus intelligitur, qui per illum agebat dolum. Nam Aquila, & Theodocion interpretati sunt: *nequam & versipellem;* ut per hoc magis versutia, & calliditas, quàm sapientia demonstraretur. Quia quamvis prævaricator Angelus per superbiam fuisset dejectus de cœlestibus, natura tamen excellentior, & callidior est omnibus animantibus; quia si dignitatem amisit, subtilitatem non perdidit. Elegitque sibi diabolus animal, naturæ suæ aptum, tortuosum, lubricum, per Petr.quem. * quod loqueretur, ut per hoc sua dolositas, & tortuositas designaretur. Verùm ipse serpens loqui non poterat, quia hoc à creatore non acceperat. Assumpsit illum diabolus, utens eo velut organo, per quem articulatum sonum emitteret ad perpetrandam malitiam suam. Per illum quippe verba faciebat. Sed ille Petr.rationis. nesciebat naturæ * rationalis expers, sicut dæmoniacus, & mente captus loquitur, * quæ nescit, sed Petr.quia. tantum per eum, non quantum voluit,

(x) Rom. 7. v. 23

A. sed quantum à creatore concessum est, peregit. Unde nonnulli quærunt, si non intellexit, non sensit serpens, quomodo audiunt verba Marsorum incantantinm, ut ad eorum incantationes de cavernis egrediantur? Quibus respondendum est: licèt intellectum non habeant, tamen sensibus corporis nullatenus carent. Habent enim visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum. Et ideo quamvis audiant verba Marsorum, nequaquam tamen intelligunt. Non enim obediunt intelligendo; B. sed ut de antris ad incantationes exeant, permittente DEO, coguntur à diabolo. Sequitur: *qui dixit ad mulierem: cur præcepit vobis Deus, ut comederetis de omni ligno Paradisi?* Idcirco ad mulierem loquitur, quia vidit, quod mulierem seducere posset, & non virum; seu quia virum tantùm ad similitudinem DEi conditum putavit, & non illam. Hìc movet aliquos, cur tentari DEus hominem permisit, quem consentire præsciebat, nisi quia magnæ laudis homo non esset, si ita condidisset eum, ut malum facere non potuisset, sed foret tanquam animal. Sed C. condidit in proprio arbitrio, ut, si fortiter perseveraret in præceptis, remuneraretur. Sin autum consentiendo corrueret, damnaretur, sicuti actum est. Nam & hodiè sine intermissione per universum genus humanum ex insidijs diaboli homines tentantur, ut ex eo virtus tentati probetur, & palma non consentientis gloriosior appareat.

Cui respondit mulier: de fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur, & reliq. ℣.2.3.

Cur mulier ad interrogata * serpenti Zw.serpentis. D. respondit? Ut prævaricatio ejus esset inexcusabilis, cùm nullo modo dicere potuit, se oblitam esse mandati, quod serpenti prodidit.

Dixit autem serpens ad mulierem: nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod, in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum. ℣.4.5.

Ac si dixisset: non est ita, ùt dicitis. Invidit itaque vobis DEus suam gloriam, & di-

& dignitatem; propterea vobis ista præ- A.
cepit. Scit enim, quia, si comederitis, similes ei eritis, scientes bonum, & malum. Melius consilium dabo: comedite, & aperientur oculi vestri, & teliq. Magna promittit, ut faciliùs decipiat. Ait enim: *& aperientur oculi vestri.* Ad hoc persuasit, ut sub DEO esse nollent, sicut ipse esse contempsit. Libet inquirere, quare diabolus tam infestus extitit hominum saluti? Videlicet propter odium in creatorem, & invidiam in hominem, & desperationem suæ salutis. Sequitur:

7.6. *Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum,* & teliq. B.

Cur mulier consideravit lignum post serpentis persuasionem? Ut exploraret, si quid in eo mortiferum esset, & dum nihil in eo tale aspectu reperit, confidentius gustavit, *tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo.* Ideo vir consensit fœminæ, ut nonnulli dicunt, quia fortè illam mortuam non vidit ex cibo. Et potuit fieri, ut putaverint alicujus significationis causa dixisse creatorem: si manducaveritis ex eo, morte moriemini. & ideo comederunt.

7.7. *Qui comedit, & aperti sunt oculi amborum.* C. Ad quid aperti sunt? Nunquid antea cæci erant? Minimè. Sed aperti sunt non ad videndum, sed ad discernendum inter bonum, quod amiserant, & malum, ad quod ceciderant. Seu etiam aperti sunt oculi eorum ad invicem concupiscendum, quod etiam ad pœnam mox post peccatum evenit. Culpa quippe oculos concupiscentiæ aperuit, quos innocentia clausos tenebat. Hìc enim ostenditur, qualiter diabolus contra primum hominem in tribus tentationibus se erexit; quia hunc vid. gula, vana gloria, avaritia tentavit, sed ten- D.
tando prostravit. Ex gula tentavit, cùm cibum * ligni vetitum ostendit, atque ad comedendum suasit, cùm ait: *comedite.* Ex vana autem gloria tentavit, cùm dixit: *eritis sicut Dii.* Et ex avaritia tentavit, cùm subjunxit: *scientes bonum, & malum.* Avaritia non solùm pecuniæ est, sed etiam altitudinis. In hoc diabolus ad superbiam traxit, quod eum ad avaritiam sublimitatis excitavit. Unde posteà secundum Adam, Dominum videlicet, ac Redemptorem nostrum his

Zw. lignum

tentationibus aggredi conatus est, sed eisdem modis devictus succubuit. Nos etiam cotidie his tribus suggestionibus pulsamur: suggestione, delectatione, consensu, & cùm tentamur, plerumque in delectationem, aut etiam in consensum, sicuti parentes nostri labimur; quia de carnis peccato propagati in nobis ipsis gerimus, unde certamina tentationum toleramus. Sed ideò, ùt dictum est, Dominus tentari voluit juxta fidem Evangeliorum, ut nostras tentationes suis tentationibus devinceret, & ipsum quoque hostem humani generis à fastu suæ superbiæ prostraret. Denique hìc notandum est, quia ante prævaricationem hominis, priusquam se morti mancipatet, non erat inimico potestas, *ad interiora hominis Pet. se ad.
accedere, & cogitationes adyerfas inserere. Sed postquam eum per serpentem circumvenit, potestatem in eum accepit, ut interiùs pullaret. Nam juxtà Metaphoram, potest callidus serpens hæreticorum astutiam designare, qui illicita curiositate secreta DEI, quæ à nostris sensibus sunt remota, tangenda suadent, tanquam serpens, qui dicebat: cur præcepit DEus scientiam habere latentem? Nova semper inquirere, & boni malique scientiam penetrare debetis.

Cumque cognovissent, se esse nudos consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, vel subcinctoria, vel campestria, sicut alia translatio dicit. Cognoverunt se nudos à gratia scilicet, qua illis fiebat, ut nuditas corporis nulla eorum mentē lege peccati repugnantem confunderet. *Consuerunt folia ficus*, utique inobedientia suæ carnis confusi. Benè itaque ex foliis ficus se * tegunt; folia ficus quippe designant Zw. tenuerunt.
pruritum carnis, quo jam urebantur post peccatum. Amiserunt enim gloriam simplicis * castitatis, & ideo ad duplicem Zw. simplicitatis, & cast.
libidinis pruriginem confugerunt, id est: quia æstum ardoris, quem patiebantur in mente, ex foliis fici, ex quibus probatur ardor excitari in corpore, tegendo duplicaverunt. Tradunt namque, si virgulta, seu folia ficus quis inciderit, quod liquor quasi lac emanat in modum virus, hominis etiam incendit cutem, atque urit humanam. Et ideo inquiunt, significant pruriginem, & ardorem libidinis. Unde æstimant, quod ex hac arbore vetitum pomum attigerunt. Possunt etiam juxta

juxta nonnullos folia ficus amara amaritudinem vindictæ significare. Spiritaliter foliis ficus se cotegunt, qui seculum asperum amplectuntur, qui prurigine voluptatis carnalis utuntur, quiq; decepti hæretica pravitate, & gratia Christi nudati, tegumenta mendaciorum tanquam folia ficus colligunt, facientes succinctoria pravitatis, cùm de Domino, vel Ecclesia mentiuntur. Sequitur:

℣. 8. *Et cùm audissent vocem Domini Dei* Zw. ambulantis. * *deambulantis in Paradyso ad auram*, & reliq.

Quid est enim, quòd post peccatum hominis in Paradiso Dominus non Zw. ambulare. stare, sed * ambulâsse dicitur, nisi quòd irruente culpa se à corde hominis recessisse ostendebat? Etiam per hoc instabilem ejectionem eorum de Paradiso ad mortalitatem demonstrabat. Tropicè verò deambulat DEus illis, & non stat, qui stabiles in ejus præceptis non perseverant. Unde consequentet adjunctum est: *ad auram post meridiem.* Solet enim Sacra Scriptura per statum temporis merita causarum distinguere. Benè enim *ad auram post meridiem;* quia ardor charitatis abundante iniquitate in eis refriguerat, & lux ferventior veritatis abscesserat, appropinquantibus videlicet tenebris errorum, & peccatricem animam jam culpæ suæ frigore constringebant, & sub peccati umbra, quasi sub frigore auræ torpebat; sicut de eodem peccante homine scriptum est, quia secutus est umbram. Ecce hic ostenditur, quòd Adam meridie transgressionis mortem huic mundo intulit! Unde Dominus hora sexta pro Mundi vita crucifixus est, hoc est, recessuro à centro Mundi Sole, quando & latroni ait: (y) *hodie mecum eris in Paradiso.* Rationis igitur, immò Divinæ pietatis ordo poscebat, ut eodem temporis articulo, quo tunc Adæ peccanti obclusferat, nunc latroni Domino pœnitenti januam Paradisi reseraret, & qua horâ primus Adam peccando huic Mundo mortem invexerat, eadem hora secundus Adam mortem moriendo destrueret.

Sed quæritur, quare Dominus hominis peccatum per se ipsum expiare voluit, & non per Angelum? Ideo, quia non sufficiebat unius Angeli meritum ad redemptionē totius humani generis. Nec tantum sceleris incurrisset diabolus in nece Angeli, quantum incurrit in nece creatoris. *Abscondit se Adam, & uxor ejus in medio ligni Paradisi.* Juxta litteram præ nimio pudore vel timore hoc fecerunt. Sed quid est, quòd *post meridiem*, nisi quia post lucem * Paradysi, ac felicitatis in hujus seculi caliginosa miseria se absconderunt? Spiritaliter verò *in medio ligni Paradisi* se abscondit, qui aversus à præceptis creatoris in erroris sui, atque arbitrij voluptatibus vivit.

Zw. Paradisiacæ felicitatis hujus sec. se absc.

Vocavitq; Dominus Deus Adam, & dixit ei: ubi es? & reliq. ℣. 9.

Numquidnam Divina potentia nesciebat, post culpam servus ad quæ latibula fugerat? Sed quia vidit in culpam lapsum jam sub peccato, velut ab oculis veritatis absconditum; quia tenebras erroris ejus non approbat, quasi ubi sit peccator, ignorat. Eumque & vocat, & requirit dicens: *Adam ubi es?* Per hoc, quòd vocat, signum dat, quòd ad pœnitentiam revocat. Per hoc verò, quod requirit, apertè insinuat, quia peccatores jure damnandos non ignorat. Et ideo illum increpando admonere voluit, ut adtenderet, ubi esset, & unde cecidisset. Ait enim: *ubi es?* ac si apertè diceret: vide à quanta dignitate, ad quod malum corruisti? Increpavit ergo Adam Dominus deambulans, ùt dictum est, ùt cæcis mentibus nequitiam suam non clausis sermonibus, sed etiam rebus aperiret; quatenus peccator homo verbis malum, quod gesserat, audiret; & per ambulationem àmisso æternitatis statu, mutabilitatis suæ inconstantiam cerneret, & per auram fervore charitatis expulsò, torporem suum animadverteret, & per declinationem Solis, quòd ad tenebras appropinquaret, agnosceret. Sed notandum est; quia * si prius cum illis loquebatur, fortassis sicut Angelis, nunc jam per subjectam creaturam apparuisse eis credendum est. Neq; enim Adam post culpam DEUM in substantia Divinitatis videre potuit; sed increpationis verba per Angelum audivit. Sed sciendum est: quia *vocavit*, sed non statim ejecit. Hic itaque figuraliter ostenditur, quia quicunque à fide, vel bonis operibus ad mendacia sua, & desideria

fi desit in Zw.

labi-

(y) Luc. 23. v. 43.

labitur, non debet desperare, licèt immensitate criminum sit oppressus. Non despicit DEUS peccatores, sed adhuc ut redeant per pœnitentiam, vocat, qui (z) *non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.* Et ideo non desperandum*, dum ipsi impij, qui mortem intulerunt, ad spem indulgentiæ provocantur.

Zw. desperandum. Ipsi &c.

℣. 10. *Qui ait: vocem tuam audivi in Paradiso, & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me.*

Miserrimo genere respondit, quasi ideo possit displicere nudus, sicut eum fecerat. Ante peccatum enim nuditatem suam non advertebat, quia ejus intentio in supernis erat. Nam quod se à DEI præsentia abscondi posse putabat, ei de insipientia pœna peccati accidit, eum latere velle, quem latere nihil potest.

℣. 11. *Cui dixit Deus: quis enim indicavit tibi, quòd nudus esses? &c.*

Ideo sic peccatum illius examinare voluit, ut culpam suam respiceret, & confitendo cognosceret, quàm longè à conditoris sui facie abesset. Sed adhibere sibimet * utrique defensionis solatium, quàm confessionis elegerunt. Unde Sequitur:

Zw. utique.

℣. 12. *Dixitq; Adam: mulier, quam dedisti sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.*

Heu ubi peccatum finem habere debuit, ibi augmentum cœpit! Non enim culpam ad se retulit, sed quodam modo ad mulierem, quam Dominus dederat, & reatum suum obliquè in auctorem redegit*, qui ei talem sociam dederat, unde occasio peccati esset. Unde nunc quoq; humani generis rami ex hac adhuc radice amaritudinem trahunt, & cùm de vitio suo quisque arguitur, sub defensionum umbra, quasi sub quædam se arborum folia abscondit. In qua videlicet occultatione non se Domino, sed Dominum ascondit sibi.

Zw. redijt.

℣. 13. *Et dixit Dominus ad mulierem: quare hoc fecisti? Quæ respondens ait, serpens decepit me.*

Similiter & mulier culpam obliquè ad creatorem retorquere voluit, eo quod illic intrare serpentem permisisset. Ecce! Qui ore Diaboli fallentis audierant; *eritis sicut Dij*, peccatum excusant; & quando DEO similes esse in divinitate nequiverunt, ad erroris sui cumulum, DEum sibi similem facere in culpa conati sunt. Sic ergo, ut jam superiùs descripsimus, dum defendere peccatum suum moliuntur, vir per mulierem, mulier per serpentem, auferunt, quod humilitatis confessione delere poterant. Unde nunc usque in usu * peccantium agitur, ut culpa cùm arguitur, defendatur, & unde finiri debuit, reatus inde cumuletur. Hìc notandum est, quòd omne peccatum quatuor modis perpetratur in corde, quatuor etiam modis consummatur in opere. In corde namque suggestione, delectatione, consensu, & defensionis audacia perpetratur, sicut hìc demonstratur. Fit enim suggestio per adversarium, delectatio per carnem, consensus per Spiritum, defensionis audacia per elationem. Culpa enim, quæ terrere mentem debuit, extollit, & dejiciendo elevat, sed gravius elevando supplantat. Unde & illam primi hominis rectitudinem diabolus his quatuor ictibus fregit. Nam serpens suasit, Eva delectata est, Adam consensit, qui etiam requisitus confiteri culpam per audaciam noluit. Hoc verum in humano genere cotidie agitur, quod actum in primo parente non ignoratur. Serpens suadet, quia occultus hostis mala cordibus hominum latenter suggerit. Eva delectata est, quia carnalis sensus ad verba serpentis mox delectationi substernit. Adam verò assensum præbuit; quia dum caro in delectationem rapitur, etiam à sua rectitudine spiritus infirmatus inclinatur. Et requisitus Adam confiteri culpam noluit; quia videlicet spiritus, quò peccando à veritate disjungitur, eo in ruinæ suæ audacia nequiùs obduratur. Iisdem etiam quatuor modis peccatum consummatur in opere: prius enim latens culpa agitur; postmodum verò etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur: dehinc & in consuetudinem ducitur; ad extremum quoque vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur. Hos itaque peccati modos, qui vel in corde latenter fiunt, vel patenter in opere perpetrantur, hìc nobis historia primi hominis manifestat.*

Zw. peccatum trahitur, ut culpa, dum agitur, defendatur, & unde finiri debuit reatus, inde cumuletur.

Zw manifestatur.

(z) Ezech. 21. v. 23.

†.14. *Qui dixit ad serpentem : quia fecisti* A. *hoc, maledictus eris inter omnia animantia, & bestias terræ. Super pectus tuum, & ventrem gradieris.*

Ventrem septuaginta addiderunt interpretes. Cæterùm in Hebræo *pectus* tantùm habetur. Ecce! Serpens non est interrogatus; quia forte non hoc sua natura, vel voluntate fecerat; sed diabolus de illo, & per illum fuerat operatus. Ideoque consequenter neque ipse est interrogatus; quia nec confiteri peccatum est diabolo, nec habet omnino, unde se excuset. Sed statim excepit pœnam maledictionis, & non eam, quæ ultimo B. judicio reservatur, quæ præparata est sibi, & Angelis ejus; sed pœna ejus hoc in loco dicitur, ut in potestate habeat eos, qui DEI præcepta contemnunt. Et * inde major pœna est illi; quia de tali infelicitate lætatur. Ait enim: *super pectus tuum, & ventrem gradieris.* Nomine *pectoris* significatur superbia mentis; nomine verò *ventris* significantur desideria carnis. His enim duabus rebus serpit diabolus in eos, quos vult decipere, id est: aut terrena cupiditate, & luxuria, aut superbia & insana doctrina. Dum enim quis luxuriam jam perpetrat actio- C. ne, huic serpens repit ex ventre. Alius verò dum perpetranda versat in mente, huic serpens repit ex pectore. Sed quia per cogitationem ad opera explenda pervenitur, rectè serpens prius pectore, & postmodum repere ventre describitur. *Et terram comedes*, id est: ad te pertinebunt, quos terrena cupiditate deceperis. *Omnibus diebus vita tua*, hoc est: omni tempore, quo agis hanc potestatem ante ultimam judicij diem.

Zv. in die judicij.

†.15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius.*

Semen diaboli perversa est sugge- D. stio; semen mulieris est totum genus humanum. Quæ duo semina ex præcepto Divino continuum inter se gerere odium debent, ut non faciamus, quæ diabolus vult; quia ille nunquam vult nobis profutura. Licèt nonnulli velint intelligi mulierem mentem, semen mulieris fructum boni operis. Potest etiam & de beata MARIA Virgine, ex qua natus est Dominus, non incongruè accipi. Lege Augustinum, & Isidorum. *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Caput itaque serpentis est cogitatio inlicitæ suggestionis, quam nos omni intentione atque manu sollicitæ considerationis à cordis auditu funditus exstirpare & ad petram, qui est Christus, allidere debemus. Calcaneum verò mulieris extremum est vitæ nostræ tempus, quo diabolus nos acrius impugnare satagit, qui cum ab initio * deprehenditur, percutere calcaneum molitur. Quia etsi suggestione primæ intentionis non percutit, decipere in fine intendit. Cui, si viriliter resistimus, victoriam perseverantiæ cum salute nostra accipiemus. Notandum est, quia in hoc, quod ait: *maledictus eris inter omnia animantia, & bestias terræ*, ad diabolum refertur, qui maledictus dicitur, quia pœnitentiam agere non potest. *Inter omnia animantia*, id est: quæ suam servaverunt naturam. *Et bestias terræ*, hoc est: inter homines, sive universalem Ecclesiam.

Zv. reprehenditur.

Mulieri quoque dixit: multiplicabo ærumnas tuas, & cætera usque: *& sub viri potestate eris*, & reliq. †.16.

Quid est, quod ait: *sub viri potestate eris?* Nunquid ante peccatum sub ejus potestate non erat? Fuit utique; sed ea servitute, quæ per dilectionem operatur, & foras mittit timorem. Postea verò timore conditionalis servitutis, qui * per disciplinam operatur. Spiritaliter mulier significat mentem; & ideo, quod ait: *in dolore paries filios*, hoc designat; quia voluptas carnalis, cum aliquam consuetudinem malam vult vincere, patitur in exordio dolores, atque ita per meliorem consuetudinem parit bonum opus, quasi filios. Quod verò adjecit: *& sub viri potestate eris*, & reliq., hoc significat, quod illa voluptas carnalis, quæ cum dolore reluctaverat, ut faceret consuetudinem bonam, jam ipsis erudita doloribus cautior fit, & ne corruat, obtemperat rationi, & libenter * paret, quasi viro jubenti.

Zv. quæ.

Zv. servit.

Adæ verò dixit : quia audisti vocem mulieris, & comedisti de ligno, & reliq. †.17.

Non

Non enim opera, ùt plerique putant, hìc ruris colendi, sed peccata significat. Sed libet inquirere, quare creator in delicto Adæ terræ maledixit, & non aquis? Ideo videlicet, quia de terræ fructu contra interdictum manducavit homo, non de aquis bibit, & quia prædestinavit DEUS in aquis abluere peccatum, quod de fructu terræ contraxit homo. Et terrestria animalia plus maledictionis habent, quàm aquatilia; quia plus de maledicta terra vivunt, quàm aquatilia. Et ideo Christus post resurrectionem de pisce manducare voluit, non de aliquo animali terrestri. Ecce! B. Per peccatum hominis terra maledicitur, ut spinas pareret, & venenosas herbas, ad pœnam videlicet, vel ad exercitationem mortalium, & ut ante oculos haberet homo Originale peccatum, & vel sic admonitus aliquando averteretur à peccatis; sicut longè superius dictum est. Dicit enim: *maledicta terra*, & reliq. Cùm certò novimus, quod maledictum Scriptura sacra prohibet, quid est, quòd nunc peccanti homini terræ maledictione hoc, quod homo Divina voce facere prohibetur, infertur? Sed sciendum est, quòd Scriptura duobus modis ma- C. ledictum commemorat: aliud videlicet, quod approbat; aliud, quod damnat. Aliter enim maledictum profertur judicio justitiæ; aliter livore vindictæ. Maledictum quippe judicio justitiæ peccanti homini probatum est, cùm audivit: *maledicta terra in opere tuo*. Maledictum judicio justitiæ profertur, cùm ad Abraham dicitur: *maledicam maledicentibus tibi*. Rursum quia maledictum non judicio justitiæ, sed livore vindictæ promitur, voce Pauli prædicantis ammonemur, (a) qui ait: *benedicite, & nolite maledicere*. Et rursum: *neque maledici re-* D. *gnum Dei possidebunt*. DEus ergo maledicere dicitur, & tamen maledicere homo prohibetur, quia quod homo * agit malitia vindictæ, DEus non facit, nisi examine, & virtute justitiæ. Cùm verò sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non hanc ex voto ultionis, sed ex justitiæ examine erumpunt. Intus enim subtile DEI judicium aspiciunt, & * mala foras exsurgentia, quia maledicto debeant feriri, cognoscunt, & eò in

Zw. ait, malitia vindictæ est; Deus autè non facit nisi &c.

Zw. malè,

(a) Rom. 12. v. 14.

maledicto non peccant, quò ab interno judicio non discordant. Allegoricè quoque spinæ in significatione peccatorum ponuntur. Ait enim:

Terra spinas, & tribulos germinabit tibi. ỹ. 18.

Quod est apertè dicere: conscientia tua punctiones tibi, & aculeos vitiorum procreare non desistet. Verumtamen per sententiam, quæ in virum infertur, ratio nostra arguitur, quæ peccati concupiscentia seducta, à Paradiso beatitudinis remota habet maledictiones terrenæ operationis pro concupiscentia peccati; habet & dolores temporalium curarum quasi spinas, & tribulos. Sic tamen dimittitur à Paradiso beatitudinis, ut operaretur terram, id est: ut in corpore isto laboret, & conlocet sibi meritum redeundi ad vitam beatam, quæ Paradisi nomine significatur, postitque manum porrigere ad arborem vitæ, & vivere in æternum. Manûs autem porrectio benè significat crucem, vel cruciatum pœnitentiæ, per * quem vita æterna recuperatur. Ait enim: Zw. quam.

Pulvis es, & in pulverem reverteris. ỹ. 19.

Quod alia translatio manifestiùs ponit: *terra es, & in terram ibis*. Primus homo ita conditus fuit; ut manente illo decederent tempora, ne cum temporibus ipse transiret. Stabat enim momentis decurrentibus; quia nequaquam ad vitæ terminum per incrementa tendebat. At ubi vitium contigit, mox offenso creatore cœpit ire cum tempore, & ideo audivit: *terra es, & in terram ibis*, statu videlicet inmortalitatis amisso, * cursus eum mortalitatis absorbuit, & dum in juventute ad senium, à senio traheretur ad mortem, transeundo didicit, stando quid fuit. Cujus nos, quia de propagine nascimur, radicis amaritudinem, quasi in virgulto retinemus; quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juventus ad senectutem, senectus transit ad mortem, sic suis augmentis ad detrimenta inpellitur. *Et comedes herbas terræ*, & reliq. Hìc ostenditur, quia hominibus ante diluvium non carnes, sed herbæ, fructusque arborum datæ sunt ad eden-

Zw. mox eum cursus &c.

edendum. Hinc est, quòd quidam sapiens versibus alludens ait: *felix nimiùm prior ætas contenta fidelibus arvis, nec inerti perdita luxu, facilique sera solebat jejunia solvere glande.* Hic quoque notandum est, quia septem sunt peccata Adæ, & ideo totidem, sicut aliqui describunt, subsecutæ sunt maledictiones. Primum peccatum superbia, quia dilexit esse in sua potestate plus, quàm DEI. Secundum: sacrilegium, quia DEO non credidit. Tertium: homicidium, quia semetipsum peccando occidit. Quartum: quod fornicationem * spiritaliter [Zw. spiritalem.] habuit, quia integritatem mentis corrupit. Quintum: furtum, qui cibum prohibitum attigit. Sextum: avaritia, quia plus, quàm debuit, appetivit. Septimum: Gula, quia vetitum fructum comedit. Quamquam septem sint vitia, & ideo septem pœnæ subsecutæ sunt. Prima maledictione terræ ejus. Secunda ejectio de Paradyso. Tertia adventus in terram vilem. Quarta mors filij. Quinta labor. Sexta mors corporis. Septima descensio ejus * in infernum. [Zw. ad.] Et quia septies peccavit, septem vindictas recepit. Sed hic placet inquirere, quare Angelicum peccatum silentio in hoc libro absconditum * est, & hominis patefactum, & cur summi Angeli scelus insanabile fuit, & hominis sanabile? [Zw. Angeli. Zw. esset, hominis vero pate.] Nisi quia Angelicum vulnus DEus non prædestinavit curare, hominis verò sanare prædestinavit. Et quia Angelus sui sceleris inventor fuit, homo verò alterius fraude seductus. Item quantò sublimior * est Angelus in gloria, tantò major in ruina. [est utrobique deest in Par.] Homo verò quantò fragilior est in natura, tantò facilior ad veniam.

†.20. *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ, Eva, eò quòd mater esset cunctorum viventium.*

Eva interpretatur *vita*, sive *calamitas*, sive *væ.* Vita, quia origo fuit nascendi, & ideo *mater cunctorum* dicitur. Calamitas & væ, quia per prævaricationem causa extitit moriendi; à cadendo enim calamitas nomen sumpsit. Alij autem dicunt: ob hoc Eva vita, & calamitas est appellata, quia sæpe mulier viro causa salutis est, sæpe calamitatis, & mortis, quod est væ. Spiritaliter in hoc, quod vita interpretatur, significat Ecclesiam, quæ mater vivorum, id est: rectè factorum vocatur, quibus contraria sunt peccata, quæ nomine mortuorum significantur.

Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos, & ait: †.21.

Quid est, quod eis tunicas pelliceas contexit? * Ut eos mortales fuisse insinuaret. [Zw. nisi ut eos.]

Ecce Adam factus est, quasi unus ex nobis, sciens bonum & malum. †.22.

Ait enim: *quasi unus ex nobis.* Sic loquitur, quasi esset DEus, quod pertinet ad irrisionem insultantis, vel deterrentis ad exemplum timoris, ne * quis peccaret, quia non solùm * ita factus est, ut fieri voluit, sed nec illud, quod factus fuerat, conservavit. [quis deest in Zw. sic uterque codex.] Benè dixit: *quasi unus ex nobis*, pluraliter propter Trinitatem, & illud: *faciamus hominem* & reliq. *Sciens bonum, & malum*, videlicet per experimentum, quod DEus novit per sapientiam. *Videte, ne fortè sumat de ligno vitæ, & vivat in æternum.* Ideo noluit sua pietate, ut iterum sumeret de ligno vitæ; quia si inde comederet, inmortalis cum suo peccato tanquam diabolus, ùt aliqui volunt, permaneret, & non rediret per pœnitentiam. Unde putant, quòd nunquam de ligno vitæ comedisset, quia si edisset, inquiunt, non peccaret. Aliter. Voluit DEus, ut sumeret, & per pœnitentiam recuperaret; & est ambigua locutio. Loquimur enim sic, cùm dicimus: ideo moneo te, ne iterum facias, quod fecisti, volentes enim, ut faciat. Et iterum: ideo moneo te, ne sis bonus, volentes utique, ut sit. Ideo moneo te, ne desperes, quòd bonus possis esse. Tali enim modo ait Apostolus: (*b*) *ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem*, cùm hoc utique cupiebat.

Emisit eum Dominus DEUS de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est. †.23.

(*b*) 2. Tim. 2. v. 25.

Potest

Per.ficti. Potest ergo * videri, ut propterea A. homo in labore hujus vitæ esset dimissus, ut aliquando manum porrigeret ad arborem vitæ.

†. 24. *Et ejecit Adam, & collocavit ante Paradisum voluptatis.*

Et ejecit Adam, haud dubium, quin Dominus. *Et habitare fecit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atq; versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Non quod ipsum Adam, quem ejecerat, DEUS habitare fecerit contra Paradisum voluptatis; sed quod illo ejecto ante fores Paradisi Cherubim B. & flammeum gladium posuerit ad custodiendum Paradisum, ne quis possit intrare. Benè Cherubim, vel flammeum gladium, atq; versatilem ad custodiendum posuit, id est: per Angelicum ministerium * igneam quandam custodiam, (Zw. ignea quædam custodia.) quæ tamen congruè *versatilis* esse dicitur pro eo, quòd quandoq; veniret tempus, ut etiam removeri potuisset, videlicet per adventum illius, qui suæ incarnationis mysterio iter nobis Paradisi aperuit. Cæterum ante adventum ipsius * omnes (Zw. omnes quamquã mundæ, probatæq; vitæ fuerint ad inferuia cl. desc. Dubium verò non est quoniã &c.) mortui ad inferni claustra descendebant: quoniam homo, qui per se cecidit, ad C. Paradisum redire, nisi per Dominum, non potuit. Veruntamen, sicut nonnullis videtur, potest intelligi, quia Adam ante Paradisum posuit, ante Paradisum collocavit, scilicet propter spem pœnitentiæ, ut aspiciens semper beatitudinis locum fortassis pœniteret, & per veram emendationem rediret ad beatam vitam, quam spiritaliter Paradisum nominavit. Sed heu pro dolor! noluit, sed in sua miseria peccator remansit. Porro in hoc, quod superiùs dicitur, *accepisse tunicam pelliceam*, & modò sistitur ante Paradisum, ubi positum est Cherubim, D. & framea ignea, allegoricè hoc * significatur, (Zw. significat. locus mendosus in utroq; Cod.) quòd à carnalibus sensibus abstractæ voluptates, qui * carnaliter viventes sunt; quia sicut pelles abstrahuntur à corpore, ita pravæ voluptates à mente, & Divinam legem consequuntur; & dum convertuntur ad DEum per flammeam frameam, id est: per tribulationes temporales, peccata sua cognoscendo, & gemendo, & per Cherubim, i.e.: per plenitudinem scientiæ, quod est charitas, perveniant ad arborem vitæ Christum, & vivant in æternum. Cherubim namque plenitudo scientiæ interpretatur: framea versatilis posita ad custodiendam viam ligni vitæ temporales pœnæ intelliguntur. Nemo enim potest pervenire ad arborem vitæ, nisi per has duas res, tolerantiam videlicet molestiarum, & plenitudinem scientiæ, id est: per charitatem DEI, & proximi: (c) *plenitudo legis*, inquit Apostolus, *est charitas*.

CAPUT IV.

†. 1. A*Dam verò cognovit Evam, uxorem suam, quæ concepit, & peperit Cain.* & cætera.

Cain interpretatur *adquisitio*, sive *possessio*, unde Etymologiam ipsius exprimens mater ait: *possedi hominem per Deum*. A nonnullis etiam *lamentatio*, dicitur, eo quod post interfectum Abel interfectus sit, & pœnam sui sceleris dederit.

†. 2. *Rursumque peperit fratrem ejus Abel.*

Abel *luctus* interpretatur. Quo nomine significabatur occidendus. Idem * & (Zw. Item.) *vanitas*, sicut aliqui volunt; quia citò solutus est, atq; subtractus. Hìc notandum est, quia duæ dicuntur civitates, diaboli videlicet, atq; DEI, quæ ab initio Mundi, sicuti hìc ostenditur, construi cœperunt, sicut & duæ generationes, carnalis scilicet, & spiritalis. Unde regula * Scripturarum est, duas generationes malorum & bonorum * nosse, (Zw. regula Scripturarum dicunt. f. esse.) sicut multa exempla constant. Natus igitur Cain prior ex illis duobus generis humani parentibus pertinens ad diaboli civitatem, & ad carnalem generationem, de qua per Salomonem dicitur: (d) *generatio, quæ patri suo maledicit, & matri suæ non benedicit, & generatio, quæ sibi munda videtur, & non est lota sordibus suis &c.* Et in Evangelio: (e) *generatio viperarum*. Et: *requirentur omnia à generatione ista*. Et multa alia. Posterior, Abel pertinens ad civitatem Dei, & ad spiritalem generationem. Unde Apostolus: (f) *non prius, quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale*.

(c) Rom. 13. v. 10. (d) Proverb. 30. v. 11. (e) Matth 3. v. 7. (f) 1. Corinth. 15. Vers. 46.

Quapropter unusquisque, quoniam ex damnata massa exoritur, primò sit necesse est, ex Adam malus, atque carnalis. Quod si in Christum renascendo profecerit, postea erit bonus, & spiritalis. Sic in universo genere humano primùm duæ istæ cœperunt nascendo, & moriendo percurrere civitates. Prior qui est natus, cives hujus sæculi designat, unde & civitatem primus construxisse legitur. Posterior autem isto peregrinus in sæculo, & pertinens ad civitatem DEI, de qua Psalmista: (*g*) *generatio rectorum benedicetur.* (*h*) Et: *hæc est generatio quærentium Dominum*, Et his similia. Gratia prædestinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorsum, gratia cives sursum.

℣. 3. 4. 5. *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino*, & reliqua usque: *non respexit Dominus ad Cain, & ad munera ejus, iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus ejus.*

Unde scire potuit Cain, quòd fratris munera suscepisset, & sua repudiasset, nisi quia vera est illa Theodocionis interpretatio, qua dicit: *inflammavit Dominus super Abel, & super sacrificium ejus; super Cain verò, & sacrificium ejus non inflammavit?* Unde creditur, quia ignis missus est de cœlo, qui illud sacrificium suscepit, ùt sæpissimè viris sanctis offerentibus factum legitur; sicut in dedicatione templi sub Salomone legimus, & quando Elias in monte Carmelo construxit altare.

℣. 6. 7. *Ait enim Dominus ad Cain: quare iratus es?* & reliq.

Hoc est, quare irasceris, & invidiæ in fratrem livore iratum vultum dimittis in terram? *Nonne si benè egeris, recipies*, id est: si pura mente obtuleris sacrificium, recipies, respiciente DEO ad te, & ad sacrificium tuum? vel sicut in quibusdam codicibus invenitur: *nonne si benè feceris, dimittetur tibi omne delictum?* sive ut Theodocion ait: *acceptum erit?* hoc est: munus tuum suscipiam, sicut suscepi fratris tui. *Quod si malè egeris, statim in foribus peccatum tuum aderit.* Vel sicut quidam codices habent: *illico peccatum ante vestibulum tuum sedebit.* Scilicet intran-A.tem, & exeuntem te sempet peccatum tuum comitabitur, & desinet Dominus custodire introitum *, & exitum tuum. *Zw.* intr. tuum. *Sed sub te erit appetitus tuus*, subauditur: si volueris, *& tu dominaberis illius.* Ac si apertius dixisset: quia liberi arbitrij es, * non habet peccatum super te dominium, sed tu super illud, & in tua potestate est, sive compescere, sive concupiscere illud. *Petr.* non habes peccatum super dominium, sed tu &c. Verumtamen moneo te, ut non * tibi peccatum, sed tu peccato domineris. *Zw.* tui. Nam LXX. ita transtulerunt: *nonne si rectè offeras, non rectè autem dividas, peccasti? Quiesce, * ad te conversio* B.*ejus*, & cætera. *Zw.* quiescet à te conversio ejus Sed multo * aliter in Hebræo est, quàm in his translationibus sensus. *Zw.* altius. Itaque necessitate compellimur in singulis diutius immorari. Rectè autem offertur sacrificium, cùm offertur DEO vero, cui uni tantummodo sacrificandum est. Non autem rectè dividitur, dum non rectè discernitur vel loca, vel tempora, vel res ipsa, quæ offertur, vel qui offert, & cui offertur. Rectè offerunt Judæi DEUM Patrem credendo; sed non rectè dividunt filium negando. Rectè vetus testamentum offerunt recipiendo; sed non rectè dividunt novum C.respuendo. Sic quoque, qui rapacitate, vel de qualibet re, fraudulenter adquisita, opus elemosynarum facit, rectum opus facit, sed mala discretione. Datur propterea intelligi, DEum non respexisse * in munus Cain, quia hoc ipse malè dividebat. *Zw.* ad. Rectè namque offerebat DEO, cui soli offerendum est, bonum opus exhibendo; sed non rectè dividebat, non bona voluntate faciendo, dans DEO aliquid suum, sibi autem seipsum, quod omnes, qui non DEI, sed suam sectantes voluntatem faciunt, id est: non recto corde, sed perverso viventes. Vel D.quia fortassis Cain meliora sibi reservabat, & deteriora DEO tribuebat, & humana inventione excogitata, ùt putatur, & ideo non rectè dividebat, Abel verò optima DEO, & naturalia offerebat, & ideo sacrificium ipsius suceptum est. Unde in Evangelio singulariter justus inscribitur, quia videlicet tria maxima justitiæ præconia in eo esse leguntur: Virginitas, sacerdotium, & martyrium, in quibus Christum præfiguravit. Nos etiam rectè offerimus, cum bono studio bonum opus agi-

(*g*) Psal. 111. v. 12. (*h*) Ps. 23. v. 6.

agimus; sed rectè non dividimus, si ha-A. bere discretionem in bono opere postponamus. Quia nisi discretio fuerit, quod putatur causa virtutis, reatus * est criminis. Ait enim: *quiesce, peccasti. Sed ad te erit conversio ejus*, subauditur, *peccati*, si pœnitentiam agere * volueris, & tibi tribuere, quod gessisti. Ex hoc, quod ait: *ad te erit conversio ejus*, potest intelligi ad ipsum hominem conversionem esse debere peccati, ut nulli alij, quàm sibi sciat tribuere, quod peccat. Hoc est enim salubris pœnitentiæ medicina, & veniæ petitio. Tunc enim dominabitur quisque peccato, si id sibi B. non differendo præposuerit, sed pœnitendo subjecerit.

Zw. sit reat. crim.

Zw. volueris.

℣. 8. *Et dixit Cain ad Abel fratrem suum: egrediamur foras.*

In dolo namque ei locutus est, & non est dominatus peccato suo. *Cumq; essent in agro, consurrexit adversus eum, & interfecit eum.* Ecce! Qui primum hominem mortem docuit, ipse & istum secundum occisionem. Denique si obtemperâsset DEO, quando audivit: *peccasti, quiesce*, vel sicut in nostra translà-C. tione legitur: *si benè egeris, recipies, sin autem; in foribus peccatum tuum aderit, & tu dominaberis illius*, adjutus à Domino non peccaret. In foribus peccatum adest, cùm in cogitationibus pulsat. Appetitus subter est, eiq; homo dominatur, si cordis nequitia inspecta citiùs premitur, & priusquam ad duritiam crescat, reluctanti menti * subigatur. Quod quia Cain facere contempsit, fratricidium commisit.

Zw. subjugatur.

℣. 9. 10. *Dixitq; ei Dominus: ubi est Abel frater tuus?* & reliq.

Non tanquam ignarus, sed tanquam judex reum, quem puniat interrogat. Cui Cain ad cumulum damnationis suæ fallaciter, ac superbè respondit dicens: *nescio. Nunquid custos fratris mei sum? Dixitq; Dominus: quid est, quod fecisti? Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Quæritur, quomodo sanguis Abel clamat ad DEum? clamat namq; ad DEum, quia homicidij illius reatus in conspectu justi judicis apparebit.

A. *Nunc igitur maledictus eris super terram, qua aperuit os suum &c.* ℣. 11. 12.

Terra in Adam maledictionem promeruit; sed Cain in peccato suo, videlicet, quia sciebat ipse damnationem prævaricationis * primæ, & non timuit originali peccato fratricidij superaddere scelus, ideo majore maledictione dignus habebatur.

Zw. propriæ.

Dixitq; Cain ad Dominum: major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear. ℣. 13. 14.

Ecce desperando locutus est, quod est peccatum maximum! Non enim est B. confessus scelus suum, sed ad desperationis malum proruit. Unde & subjunxit: *ecce! Ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus.* Vel sicut LXX. transtulerunt: *gemens, & tremens in terra. Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* Ideo taliter se damnavit, ut compendio mortis cruciatus evaderet præsentes.

Dixitq; Dominus: nequaquam ita fiet; sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur. ℣. 15.

Hìc oritur valde complexa quæstio; C. quia alia translatio ait: *septem vindictas exsolvet.* Sed antequam de quæstione disseramus, rectum videtur, ut editiones interpretum singulorum digeramus, quibus facilius sensus Scripturæ possit intelligi. Porro Aquila interpretatus est: *& dixit ei Dominus: propterea omnis, qui occiderit Cain, septemplicìter ulciscetur.* Symmachus verò: *propterea omnis, qui occiderit Cain *, hebdomadas exsolvet*, aut: *septimus vindicabitur.* Septuaginta * quippe ut dictum est, & Theodocion: *& dixit Dominus: non sic omnis, qui occiderit Cain, septem vindictas exsolvet.* D. Jam tandem ad elucitandam quæstionem stylum vertamus. Postquam enim Cain fratrem interfecit; interrogatus à Domino, ubi esset, contumeliosè respondit: *nescio &c.* quam ob rem maledictione damnatus est, ùt gemens, & tremens viveret super terram, noluit veniam deprecari; sed peccatis peccata congeminans tantum putavit nefas, cui à Domino non possit ignosci. Denique respondit ad Dominum: *major est iniquitas mea quàm ut veniam merear*, id est: plus peccavi, quàm

Zw. Cain post septē hebdomadas, aut &c. quoq; Zw.

quàm ut merear absolvi. Ejicior, inquit, hodie à conspectu tuo, & conscientiâ sceleris lucem ipsam ferre non sustinens, abscondar, & latitem, eritque omnis, qui invenerit me, occidet me; dum ex tremore corporis, & furia mentis agitatus eum se esse intelligeret, qui mereatur interfici. Verùm DEus nolens eum compendio mortis finire cruciatus, nec tradi pœnæ, qua se ipse damnaverat ait: non sic, id est: non, ut tu æstimas, morieris, & mortem pro remedio accipies. Verùm vives usque ad septimam generationem, & conscientiæ tuæ igne torqueberis, ita, ut qui te occident secundum duplicem intelligentiam, aut in septima generatione, aut à magno te liberet cruciatu, non quod ipse, qui percusserit Cain, septem ultionibus subjiciendus sit; sed quo septem vindictas, quæ in Cain tanto tempore concurrerunt solvat in interfecto, occidens eum, qui vitæ fuerat derelictus ad pœnam.

Ut autem, quod dicimus, manifestius fiat, cotidianæ consuetudinis ponamus exemplum: loquatur inter verbera servus ad dominum: quia incendi domum tuam, & universam substantiam dissipavi, interfice me: dominusque respondeat: non ùt tu vis, morieris; & finies mortem supplicio; verùm longo tempore custodieris ad vitam, & tam infeliciter in hac luce versaberis, ut quicunque te occiderit, beneficium præstet occiso, dum de tam multis te liberet cruciatibus. Secundum LXX. quidem editionem hic nobis sensus videtur. De eo autem, quod Aquila posuit: *septempliciter*, & Symmachus: *hebdomadas exsolvet*, sive: *septimus ulciscetur*, majorum nostrorum ista sententia est, quod putent in septima generatione à Lamech interfectum Cain. Adam quippe genuit Cain, Cain genuit Henoch, Henoch genuit Irat, & Irat genuit Malalehel, Malalehel genuit Matusalam, Matusalam genuit Lamech, qui interfecit Cain, ùt ipse postea confitetur: *quia occidi virum in vulnere meo, & juvenem in livore meo*, & reliq. Et quidem de Cain, quòd septima generatione interfectus sit, & juxta aliam translationem pœnam sui sceleris dederit, nihil obscurè arbitror remansisse. Alij de septem vindictis Cain varia suspicantur. Et primum asserunt fuisse peccatum, quòd non rectè divi-

A. serit; secundum quod inviderit fratri suo; tertium, quod dolosè egerit dicens: *egrediamur foras*; quartum, quod interfecerit eum; quintum, quòd procaciter negaverit: *nescio*. Sextum, quod seipsum damnaverit: *major est iniquitas mea, quàm ut dimittar*. Septimum, quod nec damnatus egerit pœnitentiam secundum Ninivitas, & Ezechiam, Regem Judæ, qui imminentem mortem lachrimis distulerunt. Et dicunt illud à clementissimo DEO ideo usque ad septem generationes fuisse dilatum; ut saltem malis ipsis & longæ vitæ mœrore compulsus pœnitentiam

B. ageret, ut mereretur absolvi & hunc esse sensum, quem supra præstrinximus, quod qui interfecerit Cain, ab ingenti eum pœna, & omnibus supplicijs liberaret. Cæterùm quod noster interpres secundum Hebraicam veritatem posuit, dicens: *qui occiderit Cain, septuplum punietr*, aliqui * intelligunt ita: solet enim septenarius numerus sæpissimè in Scripturis sanctis pro plenitudine cujuslibet rei poni. Ait ergo: *septuplum punietur*, quasi dixisset: gravissima ultione puniendus erit ille, qui te occiderit, qui nec tanto damnationis comminatione admonitus, à sanguinis *Zw. alijsunt qui intell. ita.*

C. effusione voluit manus cohibere. Itaque terrorem intulit Dominus, ne quis homicidium perpetraret. Ecce! Quantum ad historiæ superficiem pertinet, ne longius sermo procedat, super hoc enucleatum fore sufficiat. Verumtamen ne modum libelli excedere videremur, ad allegoricam intelligentiam apostropham facere distulimus. At verò si pleniùs tropicè discere volueris, quid duorum filiorum nativitas, quidve Cain, Abelque significent, jam sæpe præfati viri, cæterorumque tegmine sublato Doctorum percurre libellos. Nos igitur, ut cœpimus, hi-

D. storiæ vela, Domino favente, pandamus. Ait enim Legislator Moyses:

*Posuitque Dominus Cain * signum*, & reliq. *Zw. in signum,*

Variè quippe de hoc signo Hebræi, & nonnulli fidelium suspicantur; sed quale posuerit, ne occideretur, scriptura innuit, videlicet, ut semper tremens, & gemens, vagus, & profugus viveret, nec* audiret eum uspiam Orbis terrarum sedes habere quietas, Et fortassis idcirco civitatem condidit, in qua salvari posset. *Zw. audiret*

Egres-

ỳ. 16. *Egressusque Cain à facie Domini, habitavit in terra profugus ad orientalem plagam Eden.*

Septuaginta transtulerunt: *habitavit in terra Naid.* Quod LXX. Naid transtulerunt, in Hebræo non dicitur. Non est igitur terra Naid, ùt vulgus nostrorum putat; sed expletur sententia DEi, quod huc atque illuc vagus, & profugus oberravit. Unde Naid interpretatur: *instabilis, & fluctuans,* ac *sedes incerta,* vel *commotio.*

ỳ. 17. *Cognovit autem Cain uxorem suam, & peperit Henoch.*

Aliqu dicunt in hoc, quod dicit: *cognovit uxorem suam,* * significare, quòd vindicta desineret, si uxorem non accepisset. *Et ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filij sui Henoch.* Henoch *dedicatio* interpretatur. In ipsius enim nomine civitatem postea ædificavit Cain. Hic primus civitatem construxisse describitur, ut apertè monstraretur, quia ipse in terra fundamentum posuit, qui à soliditate æternæ patriæ alienus fuit. Peregrinus quippe à summis, fundamentum in imis posuit, qui stationem cordis in terrena delectatione collocavit. Unde in stirpe ejus Henoch, qui dedicatio interpretatur, primus nascitur; in electorum verò progenie Henoch septimus fuisse memoratur. Quia videlicet reprobi in hac vita, quæ ante est, semetipsos ædificando dedicant. Electi verò ædificationis suæ dedicationem in * fine temporis, id est: in septimo expectant. Hinc est, quòd Paulo attestante Abraham *in casulis habitavit;* quia habentem fundamenta civitatem, quam * super nos artifex construit, expectabat.

Zw. ut significaret quòd.

Petr. finem

Zw. superinus.

ỳ. 18. 19. 20. 21. 22. *Porro Henoch genuit Irat,* & reliq. usque: *& Matusalem genuit Lamech, qui accepit uxores duas, nomen uni Ada, & nomen alteri Sella.*

Lamech quippe interpretatur *percutiens.* Ipse percussit, & interfecit Cain. Et ipse primus adulterium commisit, eo quod se in duabus uxoribus divisit. Hic notandum est, quod in progenie Seth nulla ibi progenita fœmina nominatim exprimitur, nisi tantùm in progenie Cain commemoratur; per quod significatur, terrenam civitatem, * qua Cain * cepit, usque sui in finem carnales habitu-

Zw. quæ

Petr. concepit.

A. ram generationes, * quæ marium ac fœminarum conjunctione proveniunt. Unde ad testimonium Sella, *umbra ejus* interpretatur.

Zw. quæ per maritorum, ac fœminarū conjunctiones perveniunt.

Et ait Lamech uxoribus suis: occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livore meo, & reliq. ỳ. 23.

Tradunt enim Hebræi, quod Lamech occiderit Cain, & hoc confitetur uxoribus. Fuit, inquiunt, Lamech vir sagittarius, & gnarus venandi; sed longo senio læsus caligabant oculi ejus, & clarè videre non poterat. Habebat quidem
B. prædoctorem adolescentulum, qui ei ducatum præbebat. Quadam namque die pergens in sylvam, ut feras venatu caperet, * præibat puer, viam præbens. Cumque saltum peragrarent, aspexit adolescens Cain à longè, & discernere non valens, putavit * bestiam, & ait ad Lamech: * video; inquit, bestiam. Dixitque Lamech: da mihi arcum, & dirige manus illuc, & sagittam, ut jaciam: Quibus directis jecit, & percussit jaculo Cain. Et sentiens, quod percussisset corpus, cœpit palpare, quid esset, quod telo peremerat. Quo palpato intellexit, quòd
C. Cain occidisset. Tunc furore permotus vertit arcum, & eo percussit puerum. Et hoc est, quod ait uxoribus suis: *occidi virum,* id est, Cain, in vulnus meum, & adolescentulum in livore meo.

Zw. præibat ei

Zw. eum putavit esse best.

Zw. video best. Dixitque ei Lam.

Septuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech verò septuagies septies. ỳ. 24

Sed nos simpliciter virum, & adolescentulum ipsum Cain intelligimus; virum propter ætatem, & fortitudinem naturæ; adolescentulum propter stultitiam, & lasciviam instabilitatis. Verumtamen Lamech spiritaliter Christum interpreta-
D. tur, qui occidit Cain, id est, diabolum. Quo occiso suis uxoribus, hoc est: duabus Ecclesijs annuntiat, quibus imperat, ut suum sermonem auscultent. Unde quodam modo dicit, occidisse se virum, quem propter fortitudinem diabolum nuncupat. *In vulnus suum,* scilicet morte sua: & *adolescentulum* ipsum ait propter lasciviam, & æternitatem. *In livore suo,* hoc est: * non sine dolore. Sed requirendum est, quid est, quod legitur, dixisse Lamech, cùm occideret Cain;

Zw. sine dolore.

septuplum de Cain ulciscetur, de Lamech autem septuagies septies? Quia homicidij peccatum septima generatione diluvio vindicatum esse legitur, ideo dictum est. Seu ùt Judæi tradunt, LXXVII. animæ ex Lamech progenitæ repertæ sunt in diluvio, & deletæ sunt. Et in hoc numero de Lamech factam esse vindictam dicunt, quod genus ipsius usque ad cataclysmum perseveraverit. Adulterij verò scelus, quod Lamech primus omnium in duabus commisit uxoribus, non nisi sanguine Christi expiandum esse, qui septuagesima, & septima generatione venit in mundum, secundum Evangelium Lucæ, qui tulit peccatum Mundi, qui lavit amictum suum in sanguine uvæ, & torcular calcavit solus.

℣.25. *Cognovit autem Adam uxorem suam, quæ concepit filium, vocavitq; nomen ejus Seth.*

Seth interpretatur *resurrectio*, seu *positio*. *Resurrectio*, eo quod post fratris interfectionem natus sit, quasi resurrectionem fratris ex mortuis suscitaret. *Positio* verò; quia posuit eum DEUS pro Abel. Unde & dicitur: *suscitavit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Vel sicut Aquila transtulit: *posuit mihi Deus semen alterum pro Abel.* Spiritaliter, ùt quidam volunt, per Adam, & uxorem ejus Christus, & Synagoga significatur. Unde natus est filius, id est: populus gentium in fide. Qui rectè Seth nominatur, id est: positus in veritate. Quod autem dicit: *semen aliud pro Abel*, significat, bonos novi testamenti pro Patriarchis & Prophetis, & martyribus, qui occisi sunt à mala parte populi Judæorum. Moraliter verò per Adam, & uxorem suam sanctus quisque, & caro demonstratur; per filium sensus perfectus; per semen aliud pro Abel boni sensus pro bonis intelliguntur.

℣.26. *Sed & Seth natus est filius, * & vocavit nomen ejus Enos.* — Zw. quem vocavit Enos.

Quomodo Adam homo interpretatur, ita & Enos juxta Hebrææ linguæ veritatem *homo*, vel *vir* dicitur. Et congruè hoc vocabulum habuit. De eo enim scriptum est: *iste cæpit invocare nomen Domini*: vel sicut quidam transtulerunt: *tunc initium fuit invocandi nomen Domini.* Licèt plerique Hebræorum arbitrentur, quod tunc primùm in nomine Domini, & in similitudine ejus fabricata sint idola. * Aliqui verò volunt, quod ideo dictum sit, eo quod unum de X. nominibus Domini, quo apud Hebræos vocantur, primùm Enos reperisset, quod est *hel* * Allegoricè successores populi Christiani significantur, qui nomen Domini invocant, quod est DEus. — Zw. alii. — Zw. Vestianorum tamē Allegoricè

CAPUT V.

Hic est liber generationis Adam, in die, qua creavit Deus hominem; ad similitudinem Dei fecit illum, & reliqua usq;: *& vocavit nomen eorum Adam in die, qua creati sunt.* ℣.1.2.3.4.

Benè ait: *& vocavit nomina eorum Adam*, id est: homo. Hominis autem nomen tam viro, quàm fæminæ convenit.

Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, nongenti triginta anni, & mortuus est. ℣.5.6.7.

Juxta tropologiam, ùt nonnulli interpretantur, anni Adæ nongenti, triginta, tres leges, vel fidem, spem, & charitatem, vel tempus ætatis Christi significant.

*Vixitque Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus est. Vixit quoque Enos, * qui genuit Cainan, nongentorum quinque annorum, & mortuus est.* ℣.8.9. ad 21 — Zw. postquam gen.

Cainan *lamentatio*, vel *possessio eorum* dicitur. Sicut enim Cain possessio, ita * derivativum nomen, quod est Cainan facit possessio eorum. Sed in hoc, quòd anni filiorum Adam decrescunt, significabat, quòd minuendi essent anni generis humani postfe. Sequitur: — Zw. derivatum est nomen, quod Cainan facit, poss. eor.

Porro Henoch genuit Matusalam, & ambulabit cum Deo (subauditur in conversatione) *& non apparuit, quia tulit eum Deus.* ℣.21.22.23.24.25.26.27.

* Henoch *dedicatio* interpretatur, sicut superiùs ostendimus. Sed quærendum est, quare tantopere servatus est à morte? Nisi ut ostenderetur, quid omnes homines potuissent, si non peccassent. Attamen moriturus erit, ut debitum solvat humanæ naturæ, & quod Christus noluit, nullus posset, id est: non mori. *Henoch genuit* — Zw. Porro Henoch.

genuit Matusalam, & facti sunt omnes dies Matusala nongenti sexaginta novem anni, & mortuus est. Hic oritur quæstio famosa, & disputatione multorum Ecclesiasticorum ventilata, quod juxta diligentem supputationem quatuordecim annos post diluvium Matusala vixisse referatur. Etenim cum esset Matusala annorum centum sexaginta septem, genuit Lamech. Rursum Lamech, cùm esset annorum centum octuaginta octo, genuit Noë, & fiunt simul usque ad diem nativitatis Noë anni vitæ Matusalæ trecenti quinquaginta quinque. Sexcentesimo anno autem vitæ Noë diluvium factum est, B. ac per hoc habita supputatione per partes, nongentesimo quinquagesimo quinto anno Matusalæ diluvium fuisse convincatur. Cùm autem supra nongentis sexaginta novem annis vixisse dictus sit, nulli dubium est, quatuordecim annis vixisse post diluvium, sicut in LXX. invenitur. Et quomodo verum est, quòd octo tantùm animæ in arca salvæ factæ sunt? Restat ergo, ut, quomodo in plerisque, ita & in hac sit error numero. Siquidem in Hebræis, & in Samaritanis libris, ut B. Hieronymus scribit, ita scriptum est: *& vixit Matusala centum* C. *octuaginta septem annis, & genuit Lamech; & vixit Matusala, postquam genuit Lamech, septingentos, octuaginta duos annos, & genuit filios, & filias; & fuerunt omnes dies Matusala, ut noster interpres tanstulit, anni nongenti, sexaginta novem, & mortuus est. Et vixit Lamech centum octuaginta duos annos & genuit Noë.* A die ergo nativitatis Matusalæ usque ad diem * ortus Noë sunt anni trecenti sexaginta novem. His adde sexcentos Noë; quia in sexcentesimo anno vitæ ejus diluvium factum est. Atque ita fit, ut nongentesimo, sexagesimo nono D. anno vitæ suæ Matusala mortuus est, * & anno, quo cœpit esse diluvium. Unde Mâtusala interpretatur, *mortuus est*, Quomodo enim eum cum patre translatum fuisse, & diluvium præterisse * putaverunt. Ob hoc signanter transfertur: *mortuus est*; ut ostenderetur, non vixisse eum post diluvium; sed in eodem cataclysmo, ut in quodam volumine reperi, fuisse defunctum. Soli enim, Scriptura testante, (*i*) *octo* homines diluvium in arca evaserunt. Sed qui quatuordecim annis eum vixisse referunt post diluvium, magis ad spiritalem intelligentiam tendunt, videlicet super Christo interpretantur; quoniam ipse est solus, cujus vita nullam sentit ætatem. In majoribus * quoque sus diluvium * Noë sensisse videtur.

Petr. diem mortis.

Z. est anno.

Z. putabant.

forte leg. quippe.

Z. non sensisse.

Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit filium, vocavitque nomen ejus Noë dicens: iste consolabitur nos, & reliq. ✝.28.29. 30.

Vel sicut aliqui transtulerunt: *iste requiescere nos faciet ab omnibus operibus nostris.* Unde Noë *consolatio* vel *requies* interpretatur. *Consolatio*; quia homines consolati sunt in diebus ejus, dum à peccato extincti sunt in diluvio. *Requies* verò pro eo, quod sub illo omnia retro opera quieverint per diluvium; sive quia requiem in arca præstitit animantibus.

Noë verò cùm quingentorum esset annorum & cætera usque: *videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchra*, & reliq. ✝.31.

CAPUT VI.

NOë *verò, cum quingentorum esset annorum &c.* usque: *videntes filii DEI filias hominum, quod essent pulchra*, & reliq. ✝.1. 2.

Filios DEI filios Seth, & filios hominum progeniem Cain dicit. Sed postquam filij Seth concupiscentia victi ex filiabus Cain semine indignissimo connubia junxerunt, ex tali conjunctione homines immensi corpore, viribus superbi, moribus inconditi, quos Scriptura Gigantes vocat, procreati sunt. Displicuit DEO, & abbreviavit illis tempus vitæ. Gigantes enim vocant Græci juxta sermonis etymologiam fabulosè quasi terrigenas, id est: terra genitos, eo quod immensa mole, & similes sibi terra genuerit; *ge* enim terra dicitur. Falsò opinantur, qui putant prævaricatores Angelos cum filiabus hominum ante diluvium concubuisse, & exinde natos gigantes, id est: nimirum grandes, & fortes viros de quibus terra completa est.

(*i*) 1. Petri. 3. v.20.

Dixitque DEUS: non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, & reliq.

In Hebræo scriptum est: *non judicabit spiritus meus homines istos in sempiternum, quoniam caro sunt.* Spiritus enim iram in hoc loco significat, & caro fragilitatem humanæ naturæ, quasi dixisset: quia fragilis est in hominibus conditio, non eos ad * æternos servabo cruciatus; sed hic illis restituam, quod merentur. Ergo ira non severitatem, ut frequenter in nostris libris legitur, significat; sed clementiam DEI sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitatur. Unde & iratus DEUS loquitur ad quosdam: (k) *non visitabo filias eorum, cùm fuerint fornicatæ, & sponsas eorum, cùm adulteraverint.* Et in alio loco: (l) *visitabo in virga iniquitates eorum, & in flagellis peccata eorum; misericordiam autem meam non auferam ab eis.* Porro ne videretur in eo esse crudelis, quod peccantibus locum pœnitentiæ non dedisset, adjecit: *eruntque dies illius centum viginti annorum*, hoc est: habebunt centum viginti annos ad agendam pœnitentiam. Sed quia genus humanum illius temporis agere pœnitentiam contempsit, noluit DEUS tempus expectare decretum, sed viginti annorum spatiis amputatis, anno centesimo induxit diluvium. Potest etiam *spiritus* anima intelligi, & ideo, quod ait: *non permanebit spiritus meus in homine in æternum*, tale est, quasi dixisset: non permanebit anima in carne in æternum; quia homo non spiritalis, sed carnalis est. Sequitur:

Zw. æternũ serv. cruciatum.

ỳ. 5. 6. 7. 8. *Videns autem DEUS, quòd multa malitia hominum esset in terra* & cætera usque quo ait: *pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra*, & reliq.

Quæritur, quid est, quod de DEO dicitur: pœnituisse eum hominem fecisse. Et iterum: *tactus dolore cordis intrinsecus?* Nunquid in DEUM pœnitentia, aut dolor cordis cadere potest? Sed sciendum est, quia DEUS non de facto suo pœnitet, aut dolet, sicut dolet homo, cui est de omnibus rebus omnino tam fixa sententia, quàm certa præsentia. Sed utitur Scriptura sacra usitatis nobis verbis intelligentibus, ut coaptet se nostræ parvitati, quatenus ex cognitis incognita cognoscamus.

(k) Ose. 4. v. 14. (l) Ps. 88. v. 33.

*Hæ generationes Noë. Noë vir justus, atque perfectus * in generationibus suis.* ỳ. 9. ad 13.

Zw. perfectus fuit.

Si nullus sine peccato, quomodo aliquis perfectus esse potest? Perfecti aliqui dicuntur, non sicut perficiendi sunt, sicut in illa immortalitate, qua æquabuntur Angelis DEI; sed sicut esse possunt in hac peregrinatione perfecti. Unde signanter additum est: *in generatione sua*; ut ostenderet non juxta justitiam consummatam, sed juxta generationis suæ justitiam eum fuisse justum. Et hoc est, quod in Hebræo dicitur: *Noë vir justus *, perfectus erat in generationibus suis, cum DEO ambulabat *,* hoc est: illius vestigia sequebatur.

Zw. justus & perf.

Zw. ambulavit.

Dixitque Dominus ad Noë: finis universæ carnis venit coram me. ỳ. 13.

Universæ enim carnis significatur * omnium mortalium præter illos, qui in arca salvandi erant. Illi igitur quasi seminarium secundæ originis servati sunt. Sequitur: *& disperdam eos cum terra.* Quomodo cum terra, cùm terra postea remansit? Tradunt enim Doctores, terræ vigorem, & fæcunditatem longè inferiorem esse post diluvium, quàm * ante, & idcirco hominibus carnem edere licentiam esse datam, & ante etiam diluvium fructibus terræ solummodo victitasse.

Zw. significat.

Zw. antea.

Fac tibi arcam de lignis levigatis. ỳ. 14.

Ligna lævigata fortia, & insolubilia, de quibus alia translatio dicit: *quadrata*, ut arca nec ventorum vi, nec aquarum inundatione solveretur: *Et bitumine facies intrinsecus, & extrinsecus.* Bitumen est ferventissimum, & inviolatissimum gluten, cujus est virtus, ut ligna ex eo linita nec vermibus exedi, nec Solis ardore, vel ventorum flatibus, vel aquarum possint inundationibus dissolvi.

Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ; quinquaginta; & triginta cubitorum altitudo illius. ỳ. 15.

Qualem ergo arcæ speciem, vel formam debemus intelligere? Ut videtur, quatuor angulis eam ex imo adsurgentem, & eis-

& eisdem paulatim usque ad sinum in an- A. gustum adtractis, in spatium unius cubiti fuisse collectam. Sic enim dicitur, quia in fundamentis trecenti cubiti, in longitudine quinquaginta sint, & in altitudine triginta, sed collecta in cacumen angustum; ita ut cubitum sit longitudinis & latitudinis. Et verè nulla potuit tam conveniens, & congrua arcæ species dari, quàm ut summò velut è tecto quodam angusto culmen defenderet imbrium ruinas, & ima in aquis quadrata stabilitate consistens nec impulsu ventorum, nec impetu fluctuum, nec inquietudine animalium, quæ intrinsecus erant, aut inclina- B. ri possit, aut mergi.

✝. 16. *Cœnacula & tristega facies in ea.*

Quod alia translatio, videlicet *bicamerata* in inferioribus; *tricamerata* in superioribus dicit; ita ut quinque habitationum distinctiones in ea esse advertamus: inferiora ejus loca stercoribus, & spurcitijs esse deputata, ne animalia, & præcipuè homines fimi fœtore vexarentur. Huic autem superior & contigua camera conservandis pabulis animalium deputaretur. In hos ergo usus inferiores partes, quæ bicameratæ dicuntur, tradunt fuisse distinctas. Superiores verò partes, C. quæ tricameratæ dicuntur ad habitaculum primò bestijs, vel animalibus immitioribus, vel serpentibus deputatas esse. Ab his verò congrua in superioribus loca mitioribus animantibus stabula fuisse. Supra omnia vero in excelso hominibus sedem locatam, utpote sicut honore, & sapientia antecellit, ita & loco cunctis præcellere animalibus; & sic quinque mansiones in ea esse intelliguntur. Prima stercorina, secunda apothecaria, tertia feris animantibus, quarta mansuetis, quinta hominibus. *Fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem ejus.* D.

Zw. summitate. Fenestra ideo in * consummitate arcæ fieri jubetur, ut haberet, unde emittere potuisset aves ad explorandam terræ siccitatem. *Ostium autem arcæ pones ex latere deorsum.* Tradunt enim etiam ostium, quod ex latere factum dicitur, eo loco fuisse, ut inferiora, quæ dixit *bicamerata*, infra se haberet, & quæ dixit *tricamerata*, superiora à loco ostij appellata sunt. Et inde ingressa animalia per sua quæque loca secundum quæ supra diximus, congrua discretione divisa sunt.

Sed fortè quærit aliquis: si habet aliquod Sacramentum mensura istius arcæ? Habet igitur mysterium perfectum corporis Christi. Sexies enim tricenti habent infra se L. & decies XXX. Sic quippe humanum corpus, si jacentem metieris hominem, sexies habet longitudo latitudinem, & decies altitudinem. Nam longitudo jacentis hominis à vertice usque ad vestigia metienda est, & latitudo à latere usque in latus, & altitudo à dorso ad ventrem. Quæ figura aptè Christo convenit propter longanimitatem omnia sufferentis fidei, & amplitudinem charitatis, & sublimitatem spei æternæ. Sequitur:

Ex omnibus animantibus mundis tolle septena, & septena in arca, de immundis verò duo & duo, masculum, & fœminam. Sed & de volatilibus cœli septena & septena, masculum, & fœminam, ut salvetur semen super terram. ✝. 19.

Quid sibi vult: *duo, & duo, septena & septena?* An quatuor ex immundis, & quatuordecim ex mundis animalibus intelligere debemus introducta fuisse? Minimè. Non duo & duo propter quatuor, sed propter masculum, & fœminam. Nam de inmundis tantummodo duo, & de mundis solummodo septem. Ideo immunda pari numero posuit, munda verò impari, ut haberet, unde hostias DEO de mundis immolaret. Et benè pluriora, fuerunt munda, quàm immunda propter futurum usum humano generi, qui ex mundis debebatur hominibus, ut pluriora essent, quæ prodessent, quàm quæ nocerent. De quibusque animantibus dictum est: *in quibus erat spiritus vitæ.* Non solùm de hominibus, sed etiam de cæteris omnibus, qui vitali aura vescuntur. Notandum est, quod movere solet quosdam, utrum tanta capacitate arca describitur, ut esse animalia tanta, & tot cum mansiunculis convenientium sibi & escis eorum ferre potuerit? Tradunt enim Hebræi, quòd Moyses, ùt de illo Scriptura dicit, omni sapientia Ægyptiorum eruditus fuit, & secundum artem Geometricam, in quâ præcipuè Ægyptij callent, cubitorum numero in hoc loco posuerit. Asserunt enim cubitum Geometricum tantum valere, quantum nostra cubita sex valent. Lege Origenem super hac

hac re contra Appellem disputantem. A
Denique quod refert Scriptura, ingressa fuisse animalia omnia arcam, non Noë colligente, sed jubente Domino actum est, & ejus nutu coacta sponte præfinito numero veniebant ad arcam.

Sed quærunt aliqui, quid de piscibus, vel * alitibus, quæ in aquis, vel super aquas vivere possunt, intelligendum sit? vel si sciniphes minutissimi, & muscæ, mures, & stelliones, & cætera talia in arcam introducta fuissent? & utrum amplior eorum numerus fuerit, quàm qui est difinitus, * & ubi fuissent? Sed admonendi sunt, quos hæc movent, sic B. accipiendum, quia dictum est: *qui & repunt super terram*, & necesse non fuerit conservari in arca, quæ * possunt in aquis vivere, non solùm mersa, sicut pisces, verùm etiam supernatantia, sicut multæ alites. Deinde cùm dicitur: *masculus, & fœmina erunt*, profectò intelligitur, ad reparandum dici. Ac per hoc nec illa necesse fuerat ibi esse, quæ possunt sine concubitu, de quibusque rebus, vel rerum corruptionibus nasci. Vel si fuerunt, sicut in domibus consueverunt esse, sine ullo numero definito esse potuisse. Aut si mysterium sacratissimum, quod agebatur, & tantæ rei figura etiam veritate C. faciliter * non posset impleri, nisi ut omnia ibi certo illo numero essent, quæ vivere in aquis, illius natura prohibente non possunt; non fuit illius hominis cura ista, vel illorum hominum, sed Divina. Non enim ea Noë capiens intromittebat, sed venientia, & intrantia permittebat. Ea porro, quæ sic habent sexum, ut non habeant fœtum, sicut muli, & mulæ, mirum * si fuerunt ibi, ac non potius parentes eorum ibi fuisse suffecerit, equinum videlicet, atque asininum genus, & si qua aliàs sunt, quæ com- D. mixtione diversi generis genus aliquod gignunt. Sed & hoc ad mysterium * pertinebat. Habet enim & hoc genus masculum, & fœminam. Quid enim de pace, & unde se invicem non debellarent divisi generis animantia, sentiendum est? Sicut enim DEI nutu adducebantur in arcam, ita & DEI nutu conservabantur in arca. Seu enim secundum genera sua mansiunculis dividebantur, aut * sejuncti manerent, DEI tamen potentia gubernabantur. Lege librum

Zw. altilibus
Zw. si ibi fuissent,
Zw. solent.
Utrinq; Cod. facialiter.
Zw. fuerint
Zw. pertinebat, ubi erant,
Zw. si junctim.

B. Augustini XV. de Civitate DEI de arca disertum.

Solent etiam nonnulli quæstionem facere, quomodo Leones, & Aquilæ &c. hujusmodi, quæ carnibus vivere consueverunt, in arca pasci potuerint? Fortè, ùt Doctores opinantur, & alia animalia præter numerum definitum propter aliorum escam in arcam fuerunt intromissa, vel aliqua cibaria præter carnes à viro sapienti, vel DEO demonstrante, quæ talium quoque animantium escis convenirent, quod magis credibile est. Nam scimus multa animalia, quibus caro cibus est, * etiam pomis vesci. Quid * de potu animalium sentiendum, de quo nihil dicit Scriptura? Sunt quidam, qui putant, unius diei escam in arca, vel potum in multos prodesse dies inlatum animantibus, vel forsitan ad totum annum, quod verius esse potest. Sed dimittamus incertas conjecturas, & concedamus divinæ potentiæ de creaturis suis facere, quod voluerit. *

Zw. & poma vesci.
Zw. Quid verò.
Petr. voluit

CAPUT VII.

Et inclusit eum Dominus deforis. Quo- ℣. 1 ad 19.
modo enim posteaquam clausum est, * ut nullus hominum extra arcam fuit, imbituminari extrinsecus ostium potuit? Hoc enim sine dubio divinum opus fuit, ne ingrederentur aquæ per aditum, quem humana non munierat manus. Sequitur:

Zw. &

Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. ℣. 20.

Quæritur: si aqua transcendit XV. cubitus, * altitudo hunc aërem turbulentum, ùt fertur transcendit, ubi * dicitur nec nubes videri, nec ventus sentiri, sicut de Olympo opinantur? Sed sciendum est, si terra spatium illius tranquilli ætheris invadere potuit, cur & non aqua crescendo illum montem, & aërem etiam transcendere potuit? sunt tamen quidam, qui putant, nec terræ * inæqualitatem talem esse, nec montium altitudinem tantam ante diluvium esse, sicut nunc est.

Zw. cubitis, cujus altitudo
Zw. dicuntur nubes videri, nec vent. &c.
Zw. æqualitatem.

Consumptaque est omnis caro, quæ movebatur super terram, & in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua fuere ℣. 21.

Si enim ita est, quid dicendum de animalibus, quorum natura nec semper in aridis, nec semper in humidis vivere potest,

potest, sicut sunt lutri, & vituli marini, A. & multa avium genera in aquis victum requirunt, sed in arduis dormiunt, nutriuntur, & requiescunt? Dicendum est, quia potuit virtus Divina utramque eorum naturam, donec diluvium transiret, temperare; ut aut in humido tantùm, aut in arido vivere possent. Nisi fortè extra arcam in aliqua ejus parte loca illis præparata essent, unde & in aquis vivere; & in aridis requiescere potuissent.

CAPUT VIII.

℣. 1. 2. *Recordatus autem Dominus Noë, adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.* B.

De illo spiritu intelligi potest, de quo dictum est: *Spiritus DEI ferebatur super aquas.* Tunc enim ferebatur; ut
Zw. in unū. congregatis aquis in * suum locum terra apparuisset. Nunc autem adductus dicitur, ut ablatis de medio aquis diluvij faciem terræ revelaret. Potest & spiritus nomine ventus intelligi, juxta illud Psalmistæ: (m) *& stetit spiritus procella*, cujus flatibus crebris aqua cogeretur recedere.

℣. 3. 4. 5. *Et reversæ sunt aquæ de terra euntes, & redeuntes.* C.

Dum dicitur: reversæ sunt aquæ de terra euntes, & redeuntes, videtur juxta litteram; quia omnes fluviorum, ac rivorum decursus per occultas terræ venas ad matricem abyssi redeunt, juxta illud Salomonis: (n) *ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur: ut iterum fluant.*

℣. 6. *Post quadraginta dies aperuit Noë fenestram, & emisit corvum, qui egrediebatur, & non revertebatur.*

In Hebræo scriptum est: *exiens, & revertens, donec siccarentur aquæ de terra.* Sed ideo, ùt nostra translatio innuit, non est reversus; quia aut ab aquis est absor- D. ptus, & interemptus, aut aliquo cadavere supernatante est inlectus, & desuper sedere est delectatus, quod columba naturaliter refugit, de qua dicitur: *quæ cùm non invenisset, ubi requiesceret pes ejus reversa est ad eum in arcam.* Verumtamen requirendum est, cur quadragenario numero pluvia inundabat, & iterum post quadraginta dies dicitur Noë fenestram arcæ aperuisse? Quadragenarius enim iste spiritaliter tribulationem pœnitentiæ ostendit. Quod verò post XL. dies fenestram aperuit, significat jejunio cœlum reserari. Ideo Moyses, & Elias, etiam & ipse Salvator jejunia consecravit, tanquam tribus temporibus necessaria ante legem, sub lege, sub gratia. Sequitur:

At illa venit ad eum ad vesperam portans ramum Olivæ, & reliq. ℣. 11.

Quare ramum Olivæ portat, nisi quia typum Spiritus Sancti adumbrabat? Quæ columba Spiritus Sancti expulso alite deterrimo ad Noë post diluvium, quasi ad Christum post baptismum devolat, & ramos refectionis, ac luminis pacem Orbi adnuntiat. Sed antequam descriptio hujus arcæ ad calcem perveniat, notandum est: si DEUS omnia fecerat bona, etiam & valde bona, quid est, quod munda & inmunda nominantur in ea animalia? Nunquid inmundum bonum potest esse? Sed sciendum est, quia etiam quod inmundum dicitur, in sua natura bonum est. Ad comparationem igitur alterius naturæ melioris, quasi inmundum putatur. Denique bos est melior Leone; videlicet quia magis ejus natura convenit hominis necessitati subvenire, propter quem omnia creata sunt animalia, de quo etiam subditur: *& ut terror vester, & tremor sit super cuncta animantia terræ.* Ideo homo terrore cæteris animantibus præpositus est; ut esset in solatium vindictæ transactæ, & ne pauci homines à pluribus opprimerentur bestijs, & ut scirent, se inrationabilibus dominari debere, non rationabilibus. Unde & primi parentes nostri pastores pecorum, non reges hominum esse leguntur. Cæterùm spiritaliter in hoc, quod Noë dicit: *fac tibi arcam*, consilium Patris ad filium potest intelligi de acceptione carnis. *De lignis lævigatis*, id est: de Judæis lege fabricatis. *Noë cum filiis suis* in superiori loco Christus est cum Apostolis suis; aves in secundo, sancti designantur; *pecora* in tertio, innocentes figurantur; bestiæ in quarto mundiales innuuntur. Quintus vero locus cum stercoribus infernus exprimitur. Aliter: per hæc quinque loca quinque ascensiones Ecclesiæ ostenduntur, id est: cathechumeni, baptizati, conjugati, pœnitentes, sancti. Quod autem post septem dies

(m) Ps. 106. v. 25. (n) Eccle. 1. v. 7.

dies pluvia descendit, pluvia volunta- A.
ria post veterem legem potest intelligi, de qua dicitur: (a) *pluviam voluntariam segregabis DEUS*, &reliq. Quod autem dicit: *rupti sunt omnes fontes*, Evangelistas, *abyssi magna* profunditas veteris testamenti, *cataractæ cœli* Apostolos intellige. Sed in hoc, quod dicit: *inclusit* * *illum Dominus à foris*, ostendit Christum Ecclesiam suam custodire à persequentibus. Quod igitur intulit omnem carnem consumptam, hæreticos præcavet existimantes, aliquos diluvium evasisse, sicut de Matusala putatum est. Quodque dicit: *euntes & redeuntes*, significat B.
in persecutores vindictas, & hæreses in hæreticos revertentes. *Corvus dimissus, & non reversus*, figuram peccatoris vel diaboli tenet, ad regnum Christi non revertentis. *Columba* verò, quæ est reversa, Adam, sicut nonnulli volunt intelligi, significat ad Paradisum revertentem per Christum, si lector accipere voluerit; vel potiùs unumquemque justum ad Ecclesiam, cujus pes, id est: sensus in hoc mundo non requiescit. *Ramos olivæ in ore columbæ*, confessionem significat Trinitatis in ore uniuscujusque sancti. *Cùm virentibus foliis*, id est; operibus per- C.
fectis.

Zw. cum Dom. de foris.

ỳ.21.22. *Non igitur ultra percutiam omnem animam, sicut feci cunctis diebus terræ. Sementis, & messis, frigus, & æstus, æstas, & hyems, nox, & dies non requiescent.*

Sementis, & messis, id est: * doctrinæ Scripturarum. Per frigus & æstatem, castitatem & fidem designat; per noctem & diem vetus, & novum testamentum. Aliter per sementem & messem doctores, & * scripturas hæreseos ostendit *; per frigus, & æstatem infidelitatem, & fidei claritatem; per noctem & diem hæreses in utroque testamento D.
volunt intelligi. Subditur:

Petr. doctrina, & scriptura.
Petr. scriptores.
Zw. appellat.

CAPUT IX.

ỳ.3.4. *Quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto, quod carnem cum sanguine non comedatis: sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis*, & reliq.

(a) Pf.67.v.10.

Quanti enim effuderunt sanguinem, & sanguis eorum effusus non est, & alij occiderunt hominem veneno, vel suspendiò, & eorum sanguis non est effusus! Quomodo ergo Dominus effusurus est sanguinem eorum, cùm illius *, qui occidit, sanguinem effuderit? Et in resurrectione ridiculum est, & in hac vita, & ideo sanguis hominis vitale, * quo vegetatur, & sustentatur, & vivit, debet intelligi, quod qui effuderit sive per scandalum, sive perversitate doctrinæ, in die judicij effundetur ab eo, * qui sibi videbatur habere vitale. Cæterum historialiter post diluvium primùm esus carnium homini conceditur, videlicet propter infœcunditatem terræ, ùt æstimatur, & hominis fragilitatem.

Petr. illi, vel ille.
Zw. vitalis.
Petr. quod.

Arcum meum ponam in nubibus, & reliq. ỳ.13.

Datur itaque signum securitatis, quia præscivit creator formidabiles hominum animos, ne iterum diluvio se deleri crederent, dum sæpius inundationes pluviarum cernerent. Et benè idem signum securitatis in cœlo positum est, scilicet ut ab omnibus inspici potuisset, & ut pro quacunque tribulatione oculos cordis ad eum attollamus, qui habitat in cœlis. Sed quæritur, cur diversi coloris datur hominibus? Propter securitatem, & timorem. Unde & in arcu color aquæ, & ignis simul ostenditur; quia ex parte est cæruleus, & ex parte rubicundus, ut utriusque judicij testis sint *, unius videlicet facti, & alterius faciendi, id est: quia Mundus judicij igne cremabitur. Nam aqua diluvij non delebitur. Hic enim nonnullos movet: an pluviæ ante diluvium fuerint? Sed * videntur non fuisse; quia arcus non efficitur, nisi ex radijs * Solis, & humida nube. Poterat enim fieri, ùt ex roris & fontium, sicut Ægyptus irrigatione, terra fœcundaretur.

Zw. sit.
Zw. videtur.
Zw. radio.

Erant igitur filij Noë Sem, Cham, & Japheth, & reliqua usque ab his disseminatum est omne hominum genus super universam terram. ỳ.18.

Ab his enim, & nepotibus eorum divisus est Orbis. Sem, ùt æstimatur, Asiam. Dicamus interpretationes singulorum historialiter. Sem dicitur nominatus, quod nomen præsagio posteritatis accepit. Ex ipso enim Patriarchæ, & Apo-

Apostoli, & populus DEI, ex ejus quoque stirpe & Christus, cujus ab ortu solis usque ad occasum magnum nomen ejus in gentibus. Cham Affricam calidam, & ipse ex præsagio futuri cognominatur. Posteritas enim ejus eam terræ partem
Zw. obsidet. * possidet, quæ vicino Sole calentior est. Unde & Ægyptus usque hodie Ægyptiorum lingua *Cam* dicitur. Et Japhet Europam sortitus est. Japhet *latitudo*. Ex eo enim populus gentium nascitur, & quia lata est ex gentibus multitudo credentium, ab eadem latitudine Japheth dictus est. De Japheth nati sunt XV. de Cham. XXX. de Sem XXVII. simul LXXII. fiunt, de quibus ortæ sunt gentes LXXII. inter quas misit Dominus totidem discipulos ad prædicandum.

℣. 20. 21. 22. 23. *Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantavit vineam, bibensque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo.* & reliq.

Quare tantus vir inebriatus esse legitur? Fortè, ùt beatus Hieronymus cœlestis bibliothecæ interpres dicit, quia inebriari vino nesciebat. Nec enim ante diluvium leguntur homines vino usi fuisse. * Ideo specialiter de Noë dicitur: *plantavit autem vineam*. Ut aliquibus videtur, nudatio femorum post ebrietatem secuta est, quia sæpius sacietatem libido sequitur. Sed quod *filij Noë incedentes retrorsum operuerunt verenda patris, facie sque eorum aversæ erant*, & reliq. moraliter intelligi valet. Aversari dicimus, quod reprobamus. Quid est ergo, quòd filij verenda patris superjecto dorsis pallio aversi venientes operiunt, nisi quod bonis subditis sic præceptorum suorum mala displicent, ut tamen hæc alijs occultent? Operimentum aversi deferunt, quia dijudicantes factum, & venerantes magisterium nolunt videre, quod tegunt. Sequitur:

Petr. legitur, vino homines uti.

℣. 24. *Evigilans autem Noë ex vino, cùm didicisset, quæ fecerat ei filius suus minor ait: maledictus Chanaan.*

Chanaan ipse est filius Cham, ùt scriptura refert. *Porro Cham*, inquit, *ipse est pater Chanaan. Servus servorum erit fratribus suis.* Hìc à multis requiritur, cur Cham in filijs maledictionem accepit? Videlicet, quia peccantibus, & non

A. pœnitentibus futura imminet pœna. Sæpe quidem reproborum nequitiæ hìc quidem inultæ proficiunt, sed in posterum feriuntur. Nequaquam enim divina severitas inulta remanere peccata permittit; sed ira judicij à nostra hìc correptione inchoat, ut in reproborum damnatione conquiescat. Sed juxta historiam propheturum quoque est, quia * terram Chanaan ejectis Chananæis, & debellatis accepturos fuisse filios Israël, qui venirent de semine Sem, sicut historia sacra postmodum actum narrat. Unde & dicitur: Zw. à terra.

B. *Benedictus Dominus DEus Sem. Sit Chanaan servus ejus.* ℣. 26.

Chanaan filius Cham interpretatur: *motus eorum*, quod quid est aliud, nisi opus eorum? Pro motu enim patris, id est: pro opere ejus maledictus est.

Dilatet DEUS Japheth, & habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus. ℣. 27.

Cur hoc intulit? De Sem Hebræi, de Japheth gentium populus nascitur. Quia igitur lata est multitudo credentium, à latitudine, quod Japheth interpretatur,
C. nomen accepit. Quod autem ait: *habitet in tabernaculis Sem*, de nobis prophetatur, qui in eruditione scientiæ Scripturarum ejecto Israële versamur. Sed tunc completum est historialiter, quando Romani Judæam cœperunt.

Vixit autem Noë post diluvium trecentis quinquaginta annis, & impleti sunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum, & mortuus est. ℣. 28.

Cùm enim dicit, eum vixisse post diluvium trecentis quinquaginta annis, perspicuum ostendit centum viginti annos generationi illi, ùt supra diximus,
D. ad pœnitentiam datos, & non vitæ mortalium constitutos.

CAPUT X.

HÆ *sunt generationes filiorum Noë, Sem, Cham, & Japheth. Filij Japheth Gomer, & Magog, & Madai, Jaban, & Tubal*, & cætera. ℣. 1. 2.

Jam incipit describere, qualiter à A. filijs, & Nepotibus Noë gentes exortæ fuerunt. Sed sciendum est, quia non hodie ita reperiuntur, sicut in exordio ab eis progenitæ singulæ fuerunt, & nomina acceperunt. Quoniam, ùt beatus Augustinus ait, aut ab hostibus interemptæ penitus fuerunt, aut à proprijs sedibus ad alia loca transierunt, & antiqua quoque vocabula perdiderunt. Verumtamen ne indiscusse præterisse videremur, multa ex eis, sicut in Doctoribus reperimus, & nobis tradita etiam fuerunt, qualiter ab hominibus vocabula sumpserunt, inserere conati sumus. Japheth filij Noë, prout superiùs innuimus, B. nati sunt septem filij, qui possederunt terram in Asia ab Amano, & Tauro, Syriæ - Cœles, & Ciliciæ montibus usque ad fluvium Tanain, sicut in libris locorum beati Hieronymi comperi. In Europa verò usque ad Gadira nomina locis, & gentibus relinquentes, è quibus postea inmutata sunt plurima, & cætera permanent, ùt fuerunt. Sunt autem Gomer Galatæ, Magog Scythæ, Madai Medi, Jaban Jones, qui & Græci, unde & Mare Jonicum, Tubal Iberi, qui & Hispani, qui & Celtiberi, licèt quidam Italos C. suspicentur, Mosoch Capadoces. Porro LXX. interpretes Capturim Capadocas arbitrantur, Iras Thraces. Nonnulli quidem Gog, & Magog ad Gothorum gentem transtulerunt, quia Gothos omnes retrò eruditi magis Getas, quam Gog appellare consueverunt.

℣. 3. *Filij Gomer Ascenez, & Riphath, & Togorma.*

Zw. Reños. Ascenez Græci * Regnos vocant, Riphath Paphlagones, Togorma Phrygas.

℣. 4. 5. *Filij Jaban Elisa, & Tharsis, Cethim, & Dodanim. Ab his divisæ sunt Insulæ nationum in terris suis, vir secundum lin-* D. *guam suam, & cognitionem, & gentem suam.*

De Jonibus, id est: Græcis nascuntur Helisei, qui vocantur Æolides, unde & quinta lingua Græciæ Æolis appelatur. Denique Tharsis Josephus Cilicas arbitratur. Unde & metropolis civitas eorum Tharsis appellatur, Paulo Apostolo Zw. Scitij. gloriosa. Cethim * Cithij, à quibus hodieq; urbs Cypri nominatur. Dodanim Rhodij. Denique sicut in antiquitatum libris invenitur, omnes penè insulas & totius Orbis littora, terrasq; mari vicinas, à Græcis accolis occupatas usq; Oceanum possedère Britanicum, videlicet à Tauro, & Amano montibus, ùt supra diximus.

Filij Cham Chus, & Mesraim, & Fut, & Chanaan. ℣. 6.

Chus hodieque ab Hebræis Æthiopia nuncupatur, Mesraim Ægyptus, Fut Libyes, à quo & Mauritaniæ fluvius usq; in præsens Fut dicitur. Porro Chanaan obtinuit terram, quam Judæi deinceps possederunt.

Filij Chus Saba, & Evila, & Sabatha, & Regma, & Sabathaca. ℣. 7.

Saba, à quo Sabæi, de quibus Virgilius:
-- *Solis est thurea virga Sabæis.*

Evila Getuli in parte remotioris Africæ, eremo cohærentes. Sabatha Sabathem, qui nunc Astabari nuncupantur. Regma verò, & Sabathaca paulatim antiqua vocabula perdiderunt, & quæ nunc pro veteribus habeant, ignorarur.

*Filij * Saba, & Dadan.* Zw. filius Saba, Dadan. vulg. Filij Regma Saba, & Dadan.

Hic Saba per Sin litteram scribitur, supra verò per Samech, à quo diximus appellatos Sabæos. Interpretatur ergo Saba Arabia. Nam in septuagesimo primo Psalmo, ubi nos habemus: *Reges Arabum, & Saba munera offerent*, in Hebræo scriptum est: *Reges Saba* primum nomen per Sin, ùt Hieronymus ait, secundum per Samech. Dadan quippe gens est Æthiopiæ in occidentali plaga.

Porro Chus genuit Nemrod. Iste cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino, & reliq. ℣. 8.

Nemrod iste arripuit insuetam prius in populos * tyrannidem, regnavitq; in Babylon *, quia ab eo ibi confusæ sunt linguæ turrem ædificantium, & *Babel* appellata est, quæ interpretatur *confusio*. Regnavit autem & in *Arach*, hoc est: in Edissa, & in *Archad*, quæ nunc dicitur * Nibisis, & in Calanne, quæ postea à Seleuco Rege dicta est Seleucia. Qui congruè robustus venator coram Domino dicitur, seu, sicut in quibusdam codicibus invenitur, quod melius nobis videtur, *robustus venator contra Dominum*, id est: hominum terrenorum suppressor, & extinctor. Erigebat ergo * cum suis populis turrem contra Dominum, in qua est impia significata superbia; quoniam dominatio imperantis in lingua est, & ibi

Zw. populis.
Zw. Babylone.
Zw. Nobilis. leg. Nisibis.
Zw. iste igitur erig.

& ibi est damnata superbia, ut non intelligeretur jubens homini, quæ noluit intelligere, ut obediret DEO jubenti. Sic illa conjuratio dissoluta est, cum quisque ab eo, quem intelligebat, abscederet, nec se nisi ei, cum quo loqui poterat, aggregaret, & per linguas divisæ sunt gentes, dispersæq; per terras. Sequitur:

℣.11. *De terra illa egressus est Assur, & ædificavit Niniven, & Roboot civitatem*, sicut in quibusdam codicibus invenitur.

De hac terra Assyriorum pululavit imperium, qui ex nomine Nini, Belis filij, Ninum condiderunt, urbem magnam, quam Hebræi appellant Niniven. Quod autem ait: *ædificavit Niniven, & Roboot civitatem*, non putemus, duas esse urbes; sed quia Roboot *platea* interpretantur, ita legendum est: & ædificavit Niniven & plateas civitatis.

℣.13. *At verò Mesraim genuit Ludim, &* Zw. Ananim.
** Anamim, & Laabim, Neptuim, & Petrosim, & Cesloim, de quibus egressi sunt Filisthim, & Capturim.*

Exceptis *Laabim*, à quibus Libyes postea nominati sunt, qui prius Futei vocabantur, & *Cesloim*, qui deinceps Filisthim appellati sunt, quos nos corruptè Palestinos dicimus, cæteræ gentes sex ignotæ sunt, quia bello Æthiopico subversæ usque ad oblivionem * prætentorum nominum. Possederunt autem terram à Gaza usque ad extremos fines Ægypti.

Zw. præteritorum.

℣.15. *Chanaan genuit Sidonem primogenitum suum, & Hethæum, & Gebusæum, & Amorræum, & Gergesæum, & Hevæum, & Aracæum, Asinæum, & Aradium, & Samariten, & Amathæum.*

Zw. Sydona.

De Chanaan primus natus est * Sidon, à quo urbs Phœniciæ Sidon vocatur. Dein Aracæus, qui Arcas condidit, oppidum contra Tripolim in radicibus Libani. Aradij sunt, qui Aradum insulam possederunt, angusto freto à Phœnicis littore separatam. Samariten, Emissa nobilis Syriæ Cœles civitas. Amath tam à Syris, quàm ab Hebræis, ita ùt apud veteres dicta fuerat, appellatur. Hanc Macedones Epiphaniam vocant. Nonnulli Antiochiam ita appellatam putant.

℣.19. *Et fuit terminus Chananæorum venientibus à Sidone Gerasam usque Gazam,*
A. *donec egrediaris Sodomam, & Gomorram, & Adamam, & Sceboim, usq; Lesam.*

Cæteræ propria nomina retinent. Hoc tantùm adnotandum videtur, quòd *Lesa* ipsa sit, quæ nunc *Callirhöe* dicitur, ubi aquæ calidæ prorumpentes in mare mortuum defluunt.

Filij Sem: Elam, & Assur, & Arfaxad, & Lud, & Aram. ℣.22.

Hi ab Euphrate fluvio partem Asiæ usque ad Indicum Oceanum tenent. Est autem Elam, à quo Elamitæ, Principes Persidis. De Assur jam dictum est, quòd Ninum urbem condiderit. Arfaxat, à
B. quo Chaldæi, Lud, à quo Lydia. Aram, à quo Syri, quorum metropolis est Damascus.

Filij Aram Hus, & Hul, & Gether & Mes. ℣.23.

Hus Trachonitidis, & Damasci conditor inter Palestinam, & Cœles-Syriam tenuit principatum, à quo LXX. interpretes in libro Job, ubi in Hebræo scribitur: *terram Hus*, regionem Ausitidem transtulerunt. Hul, à quo Armenij. Gether, à quo Arcanij, sive Carij. Porro Mes, pro quo LXX. interpretes *Mosoch* dixerunt, hi sunt, qui nunc vocantur
C. Mæones.

*At verò Arfaxat genuit * Sala, & Sala genuit Heber. Et Heber nati sunt duo filij; nomen uni * Falech & nomen fratris ejus Jectan.* ℣.24.25. Zw. Scla vulg. Phaleg.

Heber, à quo Hebræi vaticinio quodam filio suo Falech nomen imposuit, qui interpretatur: *divisio*, ab eo, quod in diebus ejus linguæ in Babylone divisæ sunt.

*Jectan genuit Elmodat, & Saleph, & Asamoth, Jere, & Aduram, & Uzal * de Daebal, & * Abimalech, Seba, Ofir, Evila, Jobab.* ℣.26.&c. * vulgata: Decla, & Ebal. Zw. Dedabal. vulg. Abimael.

D. Harum gentium posteriora nomina invenire non potui, vel ita vocantur, ut primum, vel quæ inmutata sint, ignorantur. Possederunt autem a Cosene fluvio omnem Indiæ regionem, quæ vocatur Hena.

CAPUT XI.

Erat autem terra labij unius, & sermonum eorundem, & reliqua usque: *& dixerunt: venite, faciamus nobis civitatem, &* ℣.1.2.3.4.

& turrem, cujus culmen pertingat ad cœlum, &c.

Ideo turrem sua superbia construere voluerunt, ut celebrarent nomen suum, antequam dividerentur, sicut Scriptura testatur, seu ut explorarent, quid esset super cœlum, sive, ùt quibusdam videtur, ut haberent, ubi fugerent; quia putabant iterum cataclysmo mundum deleri, sicuti priùs. Sed quæritur, utrum credibile sit tantæ stultitiæ esse homines, ut in cœlum altitudinem ædificij cujuslibet erigere se posse putarent? Quia solet superbiam stultitia sequi, & humilitatem sapientia, ideo turris hic superbiæ loco posita est, & quia sua stultitia, atque superbia alta penetrare studuerunt, ideo confusi sunt. Fecit ergo superbia diversitates linguarum; humilitas Christi congregavit diversitates linguarum, ut quos turris dissociaverat, Ecclesia colligeret; de qua dissolutione superiùs prælibavimus, ubi de Nembrot mentionem
Zw. quia. fecimus, * qui ipse quidem auctor hujus turris extitit, & primò omnium hominibus dominari, & regnum dilatare studuit. Solet enim multos movere: an unum opus fuerit turris, & civitatis, vel duo? A multis enim æstimatur, arcem esse & civitatis Babiloniæ turrem illam. Hujus enim civitatis mirabilem constructionem gentium commendat historia, cujus nimia disponebatur altitudo, quæ in campestribus per situm quadratum ab angulo usque ad angulum muri sedecim millia tenuisse passuum, simul per circui-
Zw. LXIII. tum * LXIV., ùt Herodotus Historiographus dicit. Aliqui vero turrem unam
Zw. præcipue. voluit intelligi, quam * præcipuam inter alias erigere moliebantur, quæ in altitudine quatuor millia dicitur tenuisse passuum, quod Capitolium, ùt idem doctor dicit, de lato in angustias coartatur, ut pondus inminens facilius à latioribus sustentaretur, in qua describunt templa marmorea, aureas statuas, plateas lapideas, auroque fulgentes, & multa alia, quæ penè videntur incredibilia. Unde ait Scriptura:

℣.5. *Descendit autem Dominus, ut videret civitatem, & turrem, quam ædificabant.*

Nonnulli autem omnes turres illius civitatis dixerunt, quæ per numerum singularem ita significatæ sunt, ut dicitur millies, & intelliguntur * millia millium. Zw. intelligunt,
Hinc scriptura subinfert: *& cessaverunt ædificare civitatem.* Sequitur:

Venite igitur & descendamus, & confundamus ibi linguam eorum. ℣.7.

Descendere DEI, est humanos actus inspicere, vel eorum sensibus * propinquare. Zw. appropinquare. Sive descendere dicitur tam ad auxilium, quam ad vindictam, quando curam humano generi præstat per obsequia Angelorum. Angelis enim, qui aderant, ùt B. Gregorius dicit, Dominus ait: *venite, descendamus*, & reliq. Qui ascendunt in eo, quod Creatorem conspiciunt; descendunt in eo, quod creaturam sese inlicitis erigentem examine districtionis premunt. Dicere ergo est: *descendamus, & confundamus linguam eorum*, in seipso eis hoc, quod rectè agatur, ostendere, & per vim internæ visionis eorum mentibus exhibenda judicia occultis motibus inspirare. Quod verò plurali numero dixit: *descendamus*, & iterum singulari: *confudit* Dominus labium universæ terræ, distinctione personarum sanctam Trinitatem, & operationis unitatem in majestate Divina voluit ostendere, sicut in exordio humanæ creationis dictum est: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; ut Trinitas in personis, & unitas in potentia divinitatis esse credatur.

Et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ, & reliq. ℣.9.

Si DEUS requievit ab omnibus operibus suis die septimo, unde subitò tanta apparuit diversitas linguarum? Sed sciendum est, quia non in hac divisione linguarum novum aliquid condidit creator, sed dicendi modos, & formas in diversis loquelarum generibus divisit. Unde easdem syllabas, & ejusdem potestatis litteras aliter conjunctas, à diversis invenimus gentium linguis; sæpe etiam & eadem nomina, vel verba aliud aliquid significantia in alia lingua, atque aliud in alia. Ubi dicimus in Psalmo: (p) *in virga ferrea*, in Græco habetur: *en rabdo sidera.* * Igitur in latino *sidera* non *ferrea* significat, sicut in Græco, sed *astra.* ἐν ῥάβδῳ σιδηρέᾳ.
Sed notandum est, quia illa lingua in sola familia Heber remansit, ex quo Hebræi dicti sunt, in ea parte hominum, quæ

(p) Ps. 2. v. 9.

DEI

DEI portio permansit, in qua & Christus A.
nasciturus erat. Oportebat enim, ut in ea lingua salus Mundo primò prædicaretur, per quam primùm mors intravit in Mundum. Ostendit quoque titulus in
Zw. Salvatoris nostri cruce Salvatoris * scriptus, hanc esse omnium linguarum primam.

ỳ.10. *Hæ generationes Sem: Sem centum erat annorum, quando genuit Arfaxat*, & liq.

Idcirco Sem repetit, ut ostenderet, Abraham ex semine ejus duxisse originem, quia Hebræorum consuetudo est, ut tantummodo primogenitos nominent.

ỳ.14.ad 28 *Salè quoq; genuit Heber*, & reliqua, usquequo ait: *mortuusque est Aran ante Thare patrem suum in terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum.*

Heber interpretatur *transitor*, quod significabat Ecclesiam futuram, quæ tran-
Zw. transit. sit * ab infidelitate ad fidem, à vitiis ad virtutes. Sed requirendum est, quid est, quod de Aran legitur fratre Abraham: *mortuusq; est Aran ante Thare patrem suum in Ur Chaldæorum*; Ur enim *ignis* dicitur. Unde & in Hebræo legi-
f. casdim. tur: *in Ur * Chesdi*, id est: in igne Chal-
Zw. cesi. dæorum. Et Chaldæi ignem colunt pro
Zw. Thare quoq; ut Hebræi tr. DEO. Thare * verò, ut Chaldæi tradunt, cum filiis suis missus est à Chaldæis in ignem; quia ignem adorare nolebat, in quo igne Aran consumptus est. Et hoc est, quod ait, mortuum eum esse ante conspectum Thare patris sui; quod in sequentibus plenius dicemus.

ỳ.29. *Duxerunt autem Abram, & Nachor uxores. Nomen autem uxoris Abram Sarai, & nomen uxoris Nachor Melcha filia Aran patris Melcha, & patris Jescha.*

Jeschæ ipsa est Sarai. Denique Aran filius Tharæ frater Abram, & Nachor duas genuit filias: Melcham, & Sa-
D. rai cognomento Jescham, è quibus Melcham accepit uxorem Nachor, & Sarai Abram. Necdum quippe inter patruos, & fratrum filios nuptiæ fuerant lege prohibitæ, quæ in primis hominibus etiam inter fratres, & sorores initæ sunt.

CAPUT XII.

ỳ.1. Dixit autem Dominus ad Abram: *egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*, & reliq.

Quæritur, cur eum præcepit de terra sua egredi, cùm ipse de terra nativitatis, id est: de terra Chaldæorum egressus fuerat cum patre? Nisi, ùt quibusdam videtur, hæc egressio non ad egressionem corporis pertinet, sed ad egressum mentis, ne illuc voluntatem mentis haberet redeundi, unde corporaliter jam exierat. Moraliter ad exemplum illius nobis exeundum est de terra nostra, id est: de facultatibus hujus mundi, vel de terreno homine, & de cognatione nostra, * de conversatione, *Zw.* nostra, id est, de conv.
& moribus, vitiisq; prioribus, quæ no-
B. bis à nativitate, velut consanguinitate conjuncta sunt. Et de domo patris nostri, videlicet de omni memoria mundi hujus, quæ domus diaboli dicitur, ùt in Psalmo: (q) *oblivi scere populum tuum, & domum patris tui*, veluti * gentilitati renuntiantes * possimus dilatari in terra, quam monstrat nobis idem in populo DEI, & in congregatione fidelium, & in terra cœlestis repromissionis, cùm advenerit tempus introduci. Sed notandum est, quia duæ repromissiones ad Abraham factæ sunt; una, quòd terram Chanaam possessurus esset in semine
C. suo, quod significatur, ubi dictum est; *vade in terram quam monstravero tibi* &c. *Zw.* vel ut. *Zw.* renuntiante.
Alia verò longè præstantior, quòd Pater esset non unius gentis Israeliticæ, sed omnium gentium, quæ fidei ejus vestigia sequuntur, quod his verbis promittitur: *& benedicentur in te omnes gentes.* Illi scilicet in semine Abraham benedicentur, qui Abrahæ fidem imitantur. Sed juxta historiam ostenditur, quod multi in exemplis Sanctorum benedictionem consequuntur. Cæterùm quod ait: *faciamq; te in gentem magnam*, virtutes ostendit. Magna gens est numerus virtutum. Verumtamen quod dicitur: *egredere de terra tua* &c. in cujusdam dictis ita reperi: *egredere de terra tua*, id est: de lege naturæ; *de cognatione* verò, de lege litteræ; *de domo* quippe *patris*, hoc est: de lege novi testamenti; *in terram, quam monstravero tibi*, id est: in cœlum, de qua Esaias ait: (r) *oculi tui cernent terram de longe.*

Animadvertendum est, quòd instabilitas Abræ instabilitatem gentis illius significat. * Gens enim ipsius major fu- *Zw.* significabat,

(q) Ps. 44. v. 11. (r) Is. 33. v. 17.

 tura

tura erat de instabilitate sua, quàm quando habitavit in terra sua. Ita & Ecclesia de itinere suo, videlicet de carnali habitatione, & resurrectione, ùt aliquibus videtur, majora præmia habebit.

℣.4. *Septuaginta quinque annorum erat Abram, cùm egrederetur de Charran.*

Hìc indissolubilis nascitur quæstio: si enim Thara pater Abram, cùm esset in regione Chaldæa, septuaginta annorum genuit Abram, & postea in * Charran ducentesimo quinto ætatis suæ anno mortuus est, quomodo nunc post mortem Tharæ Abram exiens de Chara septuaginta quinque annorum fuisse memoratur, cùm à nativitate Abram usque ad mortem patris ejus centum triginta quinque annorum fuisse doceantur * ? Nisi quia vera est illa traditio Hebræorum, quam supra diximus, quod egressus sit Thara cum filiis suis de igne Chaldæorum, & quod Abram Babylonio vallatus incendio, quia illud adorare nolebat, DEI sit auxilio liberatus. Unde & Dominus postea ait: *ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum*, & ex illo tempore ei dies vitæ, & tempus reputatur ætatis, ex quo confessus est Dominum, spernens idola Chaldæorum. Potest autem fieri, ut, quia Scriptura reliquit incertum, ante paucos annos Thara de Chaldæa profectus, venerit in Charran, quam morte obiret, vel certè statim post persecutionem Charran veniret, & ibi diutiùs sit moratus. Si quis ergo huic solutioni contrarius est, quærat aliam solutionem, & tunc rectè ea, quæ à nobis dicta sunt, improbabit.

Petr. semper Charram.

Zw. doceatur.

℣.5.6. *Et egressus, ut iret in terram Chanaan*, & reliqua.

Hoc enim in figura Christi, cujus typum tenuit, actum est, qui obediens patri usque ad mortem pervenit. Quodque dicitur: *pertransivit Abram usq; ad locum Sichem, & usque ad convallem inlustrem*, ipsum Christum ostendit per Patriarchas, & Prophetas ad Ecclesiam pervenisse, quæ vallis est inlustris videlicet fertilis, vel egregia virtutibus, atque in humilitate sita. Unde & congruè subjungitur: *Chananæus autem tunc erat in terra*: mundiales videlicet, atque gentiles; quamquam super diabolo possit intelligi. Chanaan quoque *motus eorum* interpretatur.

Zw. lucum.

Semini tuo dabo terram hanc. ℣.7.8.9.

Juxta illud Psalmographi: (s) *postula à me, & dabo tibi gentes*, & reliqua, ubi ædificavit altare, unitatem scilicet fidei in Ecclesia. Tetendit igitur tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, & ab Oriente Hai. Bethel interpretatur *domus DEI*. Significat Judæos, qui aliquando fuerant domus DEI per cognitionem, & quasi in Oriente, dum sub lege fuerant, hoc est, usque ad adventum Christi, sed * propter incredulitatem suam deciderunt ad Occidentem non credendo in Christum. Hai interpretatur *chaos*, id est: *vorago intransmeabilis*. Significat gentes, quæ in voragine, & profunditate peccatorum detinebantur usque ad adventum Christi, quæ relicto errore crediderunt in * Christum, qui est verus Oriens.

Zw. Psal. migr.

& Zw.

Zw. in Deū.

Descendit q; Abram in Ægyptum. ℣.10. ad 20

Christus videlicet in hunc Mundum, juxta quod scriptum est: (t) *ecce enim Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum. Ut peregrinaretur ibi.* Sicut ipse ait in Evangelio: (u) *vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. Prævaluerat enim fames in terra illa*, de qua dicitur: (w) *mittam in vobis famem, non famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Deinde sequitur, qualiter Abram descendens in Ægyptum Sarai uxorem, sororem suam esse dixit; nec mentitus, quia propinqua erat sanguine, sicut ipse ait. Quam tamen Pharao, Rex Ægypti uxorem volens accipere, sed territus nimis, ubi ejus esse cognovit uxorem, inlæsam reddidit. Hic enim innuendum est: utrum conveniret Abram, tam sancto viro, ut celaret Sarai uxorem suam esse, & cur non magis poneret in DEO spem suam, ne occideretur à Rege? Ostenditur itaq; in hoc ejus facto, quod homo non debet tentare Dominum DEUM suum, quando habet, quod faciat ex * rationabili consilio pro anima sua. Fecit enim, quod potuit pro vita sua; quod autem non potuit, illi commisit in quem speravit, cui & pudicitiam

Petr. rationali.

(s) Ps. 2. v. 8. (t) Is. 19. v. 1. (u) Matth. 8. v. 20. (w) Amos 8. v. 8.

citiam conjugis commendavit. Nec eum fides, ac spes fefellit. Namque Pharao à DEO territus, multisq; propterea malis afflictus, ubi ejus uxorem divinitus didicit, inlæsam cum honore reddidit viro suo. Sed movet fortè, quomodo, cùm Sarai à Pharaone rapta fuerit, inviolata permanserit, licèt corpus sanctarum mulierum non vis * maculat, sed voluntas, & excusare * possit Sarai, quòd famis tempore sola Regi in peregrinis locis, marito * connivente resistere nequiverit; tamen potest & aliter fœda necessitas excusari, quod juxta librum Esther quæcunque mulierum placuisset Regi apud veteres, sex mensibus ungebatur oleo myrteo, & sex mensibus in pigmentis varijs erat, & curationibus fœminarum; & tunc demum ingrediebantur ad Regem. Itaque ita potest fieri, ut Sarai, postquam placuerat Regi, dum per annum ejus ad Regem præparatur introitus, & Abrahæ multa donaverit, & Pharao postea sit percussus à Domino, illa adhuc intacta ab ejus concubitu permansit. Sequitur:

Zw. maculet.

Zw. possit.

Zw. vivente.

CAPUT XIII.

℣.1.2.3. *Ascendit ergo Abram de Ægypto, ipse, & uxor ejus, & omnia, quæ habebat, & Loth cum eo ad Australem plagam. Erat autem dives valde in possessione argenti, & auri; reversusq; per iter, quo venerat à meridie in Bethel.*

Pulchrè de Ægypto liberatus ascendisse dicitur ad Australem plagam, id est: ad meridiem non enim legitur declinasse aliquando ad Occidentem. Sed occurrit huic sensui illud, quod sequitur, quomodo potuerit exiens de Ægypto fuisse dives valde? Quod solvitur illa Hebraica veritate, in qua scribitur: *Abram * gravis vehementer.* Ægypti enim pondere gravabatur. Et licèt videantur esse divitiæ pecoris, auri, & argenti, tamen si Ægyptiæ sint, viro sancto, cujus typum tenuit, graves sunt. Denique non, ut in LXX. legitur, *abijt, unde venerat in desertum usq; Bethel;* sed sicut in Hebræo scriptum est: *abijt itinere suo per Austrum usq; Bethel.* Idcirco enim de Ægypto profectus est, ut non desertum ingrederetur, quod cum Ægypto reliquerat,

Zw. erat gravis.

A. querat, sed per Austrum, qui Aquiloni contrarius est, veniret ad domum DEI, ubi fuerat tabernaculum ejus inter Bethel, & Hai. Igitur Abram in hoc, quod ascendit de Ægypto, Dominum, ac Redemptorem nostrum significat, qui, ùt superiùs diximus, descendit in Ægyptum, videlicet in hunc mundum, expleto mysterio nostræ redemptionis ascendit ad Patrem. Unde benè dicitur de Abram, quod reversus sit per iter, quo venerat in Bethel à meridie; quia ipse unigenitus filius in suis prædicatoribus in fine sæculi reversurus est ad Judaicam plebem

B. juxta illud: (x) *cùm plenitudo temporis subintraverit, tunc omnis Israël salvus fiet.*

Sed & Loth, qui erat cum Abram, ℣.5. ad 12. *fuerunt greges ovium, & armenta, & tabernacula, nec poterat eos capere terra,* & cætera, usquequo ait: *divisi sunt alterutrum à fratre suo.*

Loth, qui interpretatur *declinans*, significat Judæos, qui non credendo declinaverunt à DEO. Abram, prout sæpe descripsimus, Dominum significat. Greges Loth, & armenta, plebes, & diversa conventicula Judæorum infide-

C. lium interpretantur. Unde & benè dicitur: *& facta est rixa inter pastores gregum Abram, & Loth.* Per pastores Abram significantur Apostoli Christi. Per pastores Loth Saducæi intelliguntur, & Pharisæi, qui multum inter se altercati sunt. Sed in hoc, quod ait: *Chananæus autem, & Pherezæus habitabant in terra illa*, super inmundis spiritibus interpretantur, qui potestatem habebant in Judæis. Seu etiam Loth significat hæreticos, quos cum Christiano populo terra, id est: Ecclesia, non capit. Sed pastores Christi & hæreticorum seductores, qui pastores

D. se dicunt esse, suis ovibus rixas, & contentiones semper excitant in Ecclesia; & ideo dividuntur ab invicem. *Recede à me,* inquit Abram, *obsecro, ad Loth. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Proprium itaque concedit in hoc Dominus, tanquam Abram * arbitrium fratri suo, Judaico videlicet populo, ex quo carnè assumere dignatus est. Deniq; per dexteram fides, vel vita futura, de qua Ecclesia ait: (y) *læva ejus sub capite meo, & dextera illius*

in Zw. deest arbitrium.

(x) Rom.11.v.25. (y) Cant.2.v.6.

illius amplexabitur me. Per sinistram vitam præsens, quam elegerunt Judæi. Unde & dicitur: *elevatis autem Loth oculis vidit omnem circa Jordanis regionem*, & reliqua. Aliter. Benè ait: *si tu ad sinistram jeris, ego dexteram tenebo* &c. Quia in die judicij multi ex Judæis credituri erunt in DEUM, & multi ex credentibus recessuri. Et hoc est, quod ait: *ego ad sinistram pergam*. Tunc enim Christus tanquam Abram in credentibus, qui videbantur esse ejus membra, ad sinistram declinabit. Si autem ad hæreticos referre volueris, tunc adimplebitur hoc, quod Scriptura dicit: *recede à me, obsecro*, quando dicturus est eis: (z) *discedite à me maledicti in ignem æternum.* Unde consequentet subjungitur: *si ad sinistram jeris, ego dexteram tenebo* &c. Per dexteram prosperitatem mundialem, quam hæretici eligunt, interpretantur; per sinistram infidelitatem, vel infernum. Quod verò Abram dexteram plagam elegit, fidem, vel regnum Sanctorum; quod autem sinistram, confractionem voluntatis, qua in membris suis condescendit his, qui in amorem præsentis vitæ, quæ significatur, ùt supra diximus, per sinistram, commemorantur. Unde & Jordanis, ùt quidam volunt, in hoc loco doctrinam hæreticorum ostendit, à quo irrigabantur universa, quia sic videtur suis, ut benè doctrina ipsorum inrigetur.

Zw. tectè. Quapropter * ritè subinfertur: *venientibus in Segor.* Segor parvula interpretatur; quia illi, qui ab hæreticis decipiuntur, in magnis videntur esse, sed in exiguitate, ac miseria detinentur, & ad nihilum tendunt.

ỳ. 13. *Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis.*

Superfluè additum est: *coram Domino*, sicut in LXX. etiam invenitur; siquidem Sodomorum coloni apud homines mali, & peccatores erant. Ille autem dicitur in conspectu DEI peccator, qui potest apud homines justus videri, quomodo de Zacharia, & Elisabeth in præconio ponitur, quòd fuerint justi ambo in conspectu DEI. Et in Psalmo dicitur: (a) *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

ỳ. 14. 15. 16. 17. *Dixit ergo DEus ad Abram: leva oculos tuos, & vide à loco, in quo tu nunc es, ad Aquilonem, & ad Austrum ad Orientem, & ad mare, quia omnem terram, quam tu vides, tibi dabo, & semini tuo.*

Si enim terra tantùm promittebatur ei, quam tunc in uno loco stans videre potuit per quatuor climata mundi, angusta videtur esse terra repromissionis. Non hoc solùm terræ promissum est, quam videre potuit. Non enim dictum est: tantum terræ tibi dabo, quantum vides; sed tibi dabo terram, quam vides, cum & ulterior undique dabatur. Et idcirco subjunxit: *surge, & perambula terram in latitudine, & longitudine*, ut perambulando perveniret ad ea, quæ oculis uno loco stans videre non posset. Significabatur autem ea terra, quam carnale semen ejus accepturum erat. Nam illud spiritale totius mundi latitudinem possessurum erat. Dum dixit: *ad orientem, & ad mare*, quid dictum est? Solet enim Scriptura sancta, dum de plagis terræ repromissionis loquitur, mare pro Occidente ponere ab eo, quòd Palestina regio mare occidentis plagæ habeat. Verumtamen, ut quibusdam placet, spiritaliter Christus cum Ecclesia dicitur levare oculos à mundo ad quatuor partes terræ, per quas quatuor Evangelia figurantur, cuique omnis terra datur, ut alibi: (b) *postula à me, & dabo tibi gentes*, & cætera. *Usq; in sempiternum*, id est; in longitudine temporis.

CAPUT XIV.

DEinde sequitur, qualiter reges gentium percusserunt Raphaim in Astarothcarnaim quoq;, & zozim cum eis, & reliq. Raphaim *gigantes*, interpretantur; zozim *terribiles, & horrendi*; Astaroth civitas, quæ usq; hodie sic vocatur. Significat, quod quatuor Reges interfecerunt gigantes, & robustos quoq; Arabiæ Astarothcarnaim, terram gigantum quandam in supercilio Sodomorum. ỳ. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Et reversi venerunt ad fontem Mesfat, ipsa est cades. ỳ. 7.

Fons Messat fons est judicij, hoc est: Cades per anticipationem dicitur quod postea sic vocatum est. Significat autem locum apud petram, qui fons judicij nominatur, quia ibi DEUS populum judicave-

(z) Matth. 25. v. 41. (a) Ps. 142. v. 2. (b) Ps. 2. v. 8.

caverit. *Et percusserunt omnem regionem Amalecitarum , & Amorræum sedentem in Assasonthamar* , hoc est : oppidum , quod nunc vocatur Engaddi , balsami , & palmarum fertile , sicut in libris locorum reperi. Assason autem thamar interpretatur *urbs palmarum*. Thamar quippe palma dicitur. Sequitur :

v.8. ad 13. *Et egressi sunt rex Sodomorum , & rex Gomorræ , rexque Adamæ* &c. usquequo ait : *quatuor reges adversus quinque. Vallis autem sylvestris habebat puteos bituminis multos. Itaque rex Sodomorum , & Gomorræ terga verterunt , cecideruntque ibi , & qui remanserunt , fugerunt ad montes , tuleruntque omnem substantiam eorum , nec non & Loth , & substantiam ejus* , & reliqua.

Notandum est , quod *Bale* , quæ & Segor , tradunt Hebræi , quia sicut in alio loco ostenditur Scripturæ , hanc eandem esse *Salisa* , & interpretatur : *vitulam consternantem* , quod scilicet tertio motu terræ absorpta sit , & ex eo tempore , quo Sodoma , & Gomorra , Adama , & Seboim divino igni subversæ sunt , illa parvula nuncupatur ; siquidem Segor transfertur in *parvulam*. Vallis autem Salinarum , quæ & vallis sylvestris dicitur , sicut in hoc eodem libro scribitur , in qua fuerunt antea putei bituminis post DEI iram & sulphuris pluviam in mare mortuum versa est , quod à Græcis stagnum bituminis appellatur. Idipsum est Alphaltum. Mortuum autem appellatur mare , quod nihil recipit generum viventium , neque assuetas aquis aves , tauri , camelique fluitent. Denique si Jordanis auctus imbribus pisces illuc influens rapuerit , statim moriuntur , & pinguibus aquis subnatant. Lucernam accensam fertur supernatare sine ulla conversione , extincto demergi lumine , & vas demersum arte , quod bibat , difficile hærere in profundo , omniaque viventia demersa licet , & vehementer illisa statim resilire. Denique Vespasianum præcepisse , natandi ignaros revinctis manibus in profundum dejici , eosque omnes illico supernatâsse. Aqua ipsa sterilis , & amara , cæterisque aquis obscurior , & quasi adustæ * præferens Similitudinem. Vagari super aquas bituminis glebas certum est atro liquore , quas scaphis appropinquantes colligunt , hærere bitumen , & nequaquam ferro

Zw. adustâ.

præcidi fertur. Sanguine tantum muliebrum menstruo , vel urina cedere , utilis ad compagem navium , vel corporibus hominum medendis. Servat adhuc regio speciem pœnæ. Nascuntur enim poma pulcherrima , quæ & edendi cupiditatem exspectantibus generent ; si carpas , fatiscunt , ac resolvuntur in cinerem , fumumque excitant , quasi assiduè ardeant. Sanè in diebus æstatis * immodicus per spatia campi exæstuat vapor , unde & coalescente vitio nimiæ siccitatis , atque humi arido * corruptior aër miserandas incolis conficit ægritudines. Denique quinque isti reges allegoricè à quatuor regibus devicti , qui venerunt de Babylone , significant quinque sensus corporis , videlicet visum , auditum , gustum , odoratum , & tactum. Quatuor reges quatuor vitia principalia intelliguntur , id est : cupiditas , gaudium , timor , & tristitia. Per hæc quatuor vitia expugnavit diabolus non solùm Sodomitas , per quos significabantur * Gentiles , sed etiam & Loth , qui interpretatur *declinans* , per quem significantur Judæi , qui declinaverunt à rectitudine fidei. Per Vallem sylvestrem * præsentem mundum interpretantur : per puteos homines in profunditate vitiorum demersos ; per bitumen conglutinationem peccatorum , qua sunt uniti in iniquitate.

Zw. non modicus.

Zw. humo arida.

Zw. significantur.

Zw. præsens Mundus interpretatur.

Potest & aliter intelligi : quatuor reges , quinque superaverunt , possunt nimirum contraria vitia virtutibus significare : hæresim scilicet , gentilitatem , hypocrisin , avaritiam , quæ est idolorum servitus. Quæ reges nuncupantur , quia in multos jus regni * exercent. Quinque autem reges , qui superantur ab his , quinque sensus possunt intelligi , ùt diximus ; quia & ipsi reges , quia ex his homo noster exterior regitur , terga vertuntur , donec Abram , Pater excelsus victis quatuor regibus supradictis spolia revocet , & Loth propinquum suum , declinantem utique à malo , ex eorum potestate eripiat.

Zw. regis.

Quod autem recedere quinque reges à quatuor dicuntur , significat , quòd illos maximè persequitur contraria potestas , quos ante in servitutem retinuit. Quod autem in trecentis , decem , & octo Pater ille excelsus , cui in oratione Dominica dicimus. *Pater noster* , significat , quòd

quòd per electos, qui in persecutione virtutum constituti sunt, fundati fide Trinitatis, & habentes plenitudinem Decalogi octava die, quæ Sabbato sequitur, cum Christo resurgentes. *

Locus in utroque Cod. corruptus.

ỷ.14. *Quod cùm audisset Abram, captum videlicet Loth fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos trecentos, decem & octo.*

Expeditos dixit juvenes, ad bellum promptos, & qui non fuerunt uxorati, de quibus in sequentibus dixit: *exceptis his, quæ comederunt juvenes. Et persecutus est usque Dan.* Dan Phœnicis oppidum est, quod nunc Paneas dicitur, ubi unus de fontibus Jordanis oritur, qui dicitur Dan; alter verò Jor. Ex his duobus fontibus, qui haud procul à se distant, in unum rivulum fœderatis, Jordanis appellatur, sicut ex duobus fontibus unus fluvius, ita ex nominibus una appellatio creatur. *

Zv. procreatur.

Deinde legitur, qualiter Abram occurrit Melchisedech * Rex Salem. Movere solet quosdam, quis fuerit iste Melchisedech, Rex Salem, quem Apostolus dicit (c) *sine patre, & matre*, esse? Ideo Apostolus eum dixit absq; patre, & absq; matre esse, quia genealogiam ejus sacra Scriptura non narrat. Verumtamen, ùt in * cujusdam reperi vetusto volumine, tradunt Hebræi, non absq; patre, & matre fuisse; sed quia nomen ejus non commemoratur, nisi quando occurrerit Abrã, & nec pater, nec mater legitur in divinis scripturis, Melchi videlicet pater, & Sedech mater. Et inquiunt; quia pater ejus Melchi mortuus fuit, antequam fuisset Melchisedech natus. Item mater ejus Sedech mortua fuit de parturiendo habens in utero Melchisedech, & ex his duobus nominibus Melchisedech filius eorum sit dictus. Propterea, ùt Hebræi ajunt, sine patre, & matre fuerit, quia mortui fuerunt, antequam natus esset. Tradunt etiam hunc mutato nomine Sem esse, filium Noë, & supputantes annos vitæ ipsius, ostendunt eum ad Isaac usq; vixisse, omnesq; primogenitos Pontifices fuisse, hostias DEO immolasse usq; ad tempora Aaron, & legis ceremonias, & hæc esse primogenita, quæ vendidit Esau fratri suo Jacob, qui etiam

ỷ.18. *Zv. Regi Salem.*

Zv. quodã.

A. Melchisedech jure de triumphis abnepotis sui decimas accepisset.

Porro Salem ipsam esse volunt, quæ postea Hierusalem dicebatur. Hæc etiam primo Jebus, ùt ferunt, postea Salem, deinde Hierusalem, sed postea à Salomone plenius instaurata Jerosolymis est dicta, quasi Hierosolymonia. Cæterùm ùt quidam dicunt, Salem non Hierusalem, sed oppidum Satophoim *, quod usq; nunc dicitur Salem, & videtur ibi palatium esse Melchisedech. Unde agitur: transivit Jacob in Salem, civitatem regionis Sichem, quæ est in terra Chanaan. Inde dicit Johannes Evangelista: (d) *erat Johannes baptizans in Ennon juxta Salim *, quia multæ sunt ibi aquæ.* Nec differt, utrum Salem, an Salim dicatur, cum vocalibus in medium perraro utuntur Hebræi, & pro voluntate lectorum, ac diversitate regionum eadem verba diversis sonis, & accentibus proferunt. * Nos enim opiniones diversorum ponimus; sed prudenti lectori, quid horum verius elegerit, derelinquimus. Sed quantum ad figuram pertinet, iste Melchisedech Christum significat secundum Apostolum, quia Christus sine matre in cœlis, sine patre in terris, offerens DEO pro nobis in terris, sui corporis panem, & sui sanguinis vinum, ad quem dicitur: (e) *tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quod si quis plenius nosse desiderat, beati Hieronymi, & Isidori dicta perlustret. Sequitur:

Zvv. Socaphoim.

B.

Zvv. Salim vel Salem.

Zv. proferuntur.

C.

CAPUT XV.

ỷ.1.2. **D***ixitque Abram: Domine DEus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis, & filius procuratoris domus meæ, iste* D. *Damascus Eliezer*, & reliq.

Non quasi dubius, an fieret de promissione DEI, cùm ait: *Domine DEUS, quid dabis mihi?* Sed quomodo futurum * esset, exquirens. Sed requirendum est, quis fuerit iste Eliezer Damascus, de quo dixit Abram: *heres meus erit?* Ille utique fuit filius procuratoris Abrahæ, qui postea, ut ajunt Hebræi, Damascum condidit, & nomen civitatis dedit, regnumq; in ea obtinuit. Attamen notandum, ubi nos habemus: *filius*

Zv. venturum.

(c) Hebr. 7. v. 3. (d) Joan. 3. v. 23. (e) Ps. 109. v. 4.

filius procuratoris, nonnulli transtulerunt: A. *filius Masech vernacula mei.* Aquila verò: *filius potum dantis domui meæ.* Theodotion: *filius ejus, qui super domum meam est*, id est: villici, qui universa dispensat, & distribuit cibaria familiæ; vocaturque *Damascus Eliezer.* Porro Eliezer *DEUS meus adjutor* interpretatur, qui, ùt diximus, Damascum condidit. Sequitur:

℣.5. *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: sic erit semen tuum.*

Unde in consequentibus dicit: *sicut stellæ cœli, & sicut arena, quæ est in littore maris.* In stellis cœli pauciores, firmiores, clariores intelliguntur; in arena autem maritimi littoris magna multitudo infirmorum, atque carnalium.

℣.7. *Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum.*

Hoc est, quod paulò ante diximus, in Hebræo haberi, *qui eduxi te de Chesdim*, id est; de incendio Chaldæorum.

℣.8.9.10. *At ille ait: Domine DEUS, unde scire possum, quòd possessurus sim eam? Respondens Dominus, summe, inquit, mihi* Cod. trinā *vaccam triennem, & * capram trimam, & arietem annorum trium; turturem quoque, & columbam. Qui tollens universa hæc divisit ea per medium*, & reliqua.

Quid igitur in illo mystico signo de posteritate generis sui Abrahæ intelligendum erat, vel cur trium annorum animalia illi erant sumenda? vel cur animalia dividit, & volucres non dividit? Trium enim annorum animalia tres temporum articulos designant, quibus populus ad summum honoris culmen adolevit. A temporibus verò Patriarchæ Abrahæ per repromissiones usque ad tempora Moysi conjunctus est DEO; à tempore autem Moysi Legislatoris, à DEO legis acceptione, & miraculorum ostensione, triumphis, & terræ repromissionis ingressione glorificatus; à temporibus verò David regio honore, & templi civitatisque Hierusalem instructione elevatus est. Aries autem regiam, & sacerdotalem dignitatem; vacca sub legis littera servientem; capra etiam eundem populum peccatorem * esse designat. Aves (Forr. peccatricem.) verò spiritales, & DEO electos præfigurabant. Divisiones namque animalium schismata inter carnales semper esse ostendunt. Ideo verò, quod aves non divisit, pax, & unitas spiritalium intelligitur. Quod circa vesperam pavor irruit super Abram, terrorem in die judicij, qui separabit ab invicem spiritales, & carnales, alios statuens in dexteram, alios in sinistram. Aves verò, quæ super cadavera volitant, dæmoniacæ sunt potestates, quæ carnalibus insidere quærunt, quas devotus Doctor sedula admonitione abigere debet.

Intelligitur & aliter iste modus figuræ. B. Per vaccam enim significata est plebs posita sub jugo; per capram criminatrix multitudo gentium; per arietem duces populi gentium. Trium enim annorum animalia tria tempora significant, quia in * tertium tempus ista divisio facta est, (Zw. tertio tempore.) segregatio videlicet fidelium ab infidelibus. Per turturem enim & columbam spiritales, & hæredes ex utroque populo regni futuri * præfigurati sunt. (Zw. regni Dei futuri.) Volucres autem descendentes super cadavera inmundi sunt spiritus, qui mentibus carnalium semper insidere quærunt, quos devotus doctor sedula admonitione abigere debet, ùt supra ostendimus. C. Unde & sequitur:

℣.11. *Et abigebat eas Abram.*

Quod hoc moraliter intelligi volunt, Sæpe corda justorum subortæ cogitationes polluunt, & terrenarum rerum delectationibus tangunt; sed dum citiùs manu sanctæ discretionis abiguntur, quasi aves repelluntur, ne cordis faciem caligo tentationis operiat, quæ hanc jam ex illicita delectatione tangebat. Nam sæpe in ipso orationis nostræ sacrificio inportunæ cogitationes (se) ingerunt, quæ hoc rapere vel maculare valeant, quod in D. nobis DEO flentes immolamus. Unde & Abram, cùm ad occasum Solis sacrificium offerret, insistentes aves pertulit, quas studiosè, ne oblatum sacrificium raperent, abegit. Sic nos, dum in ara cordis holocausta DEO offerimus, ab inmundis hæc volucribus custodimus, ne maligni spiritus, & perversæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre Domino utiliter poterat.

℣.13. *Dixitque Dominus ad eum: scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis*, & reliq. A.

Non sic accipiendum est, tanquam in illa durissima servitute quadringentis annis DEI populus fuerit; sed quia scriptum est: *in Isaac vocabitur tibi semen*, ex anno nativitatis Isaac usque ad annum egressionis ex Ægypto computantur anni quadringenti quinque. Cùm ergo de quadringentis triginta detraxeris viginti quinque, qui sunt à promissione usque ad * ad natum Isaac, non mirum est, B. si quadringentos, & quinque annos summâ solidâ * quadringentos voluit appellare Scriptura, quæ solet tempora ita nuncupare, ut quod de summa perfectionis numeri paululum excrescit, aut infra est, non computetur. Non itaque, quod ait: in servitutem redigent eos, & nocebunt illis, ad quadringentos annos referendum est, tanquam per tot annos eos habuerint in servitutem; sed referendi sunt quadringenti anni ad id, quod dictum est: *peregrinum erit semen tuum in terra non propria.* Quia sive in terra Chanaan, sive in Ægypto peregrinum C. erat illud semen, antequam hæreditatem sumerent in terra, ex promissione DEI, quod factum est, posteaquam ex Ægypto liberati sunt, ut hyperbaton hic intelligatur, ut ordo verborum sit: *sciendo scies, quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria quadringentis annis*: Illud autem interpositum intelligatur: *& in servitutem redigent eos, & nocebunt illis* ita, ut in quadringentos annos ista interpositio * non pertineat. In extrema enim parte summæ hujus, hoc est, post mortem Joseph factum est, ut in Ægypto populus DEI duram perageret D. servitutem. Sed quare dictum est de filijs Abram: *quarta progenie revertentur huc?* & in Exodo legitur: *quinta generatione ascenderunt filij Israël de terra Ægypti*; Replica genealogiam Levi. Levi genuit Cath, Cath genuit Amram, Amram genuit Aaron, Aaron genuit Eleazar, Eleazar genuit Phinees. Cath cum patre suo Levi ingressus est Ægyptum. Rursum Eleazar cum patre suo Aaron egressus est ab Ægypto. A Cath usque ad Eleazar computantur quatuor. Quod autem secundum Exodum quinta generatione egressi sunt filii Israël de terra, tribûs tibi Judæ ordo numeretur. Juda genuit Phares, Phares genuit Esrom, Esrom genuit Aran, Aran genuit Aminadab, Aminadab genuit Naason, Naason genuit Salmon. Phares cum patre suo Juda ingressus est Ægyptum. Naason princeps Juda in deserto describitur, cujus filius Salmon terram repromissionis introivit. Computa à Phares usque ad Naason, & invenies generationes quinque.

Zw. nativitatem. Zw. soliditate. Petr. interpretatio.

Semini tuo dabo terram hanc à flumine Ægypti usque ad flumen Euphraten. ℣.18.

De quo flumine Ægypti dixit? Non ergo à flumine magno Ægypti, hoc est, Nilo, sed à parvo, quod dividit * inter Ægyptum, & Palestinam, ubi est civitas Rhina curura. Quod verò adjungitur: *cùm sol occubuisset, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis, transiens inter media illa, quæ divisa erant*, significat, post finem sæculi futurum diem judicij, quando per ignem segregabuntur Sanctorum populi, & iniquorum.

Zw. dividit Ægypt. & Pal.

CAPUT XVI.

Deinde legitur, qualiter Abram ad Agar ancillam Ægyptiam ingressus est; & genuit ex ea filium, vocavitque nomen ejus Ismaël, de quo dicitur: *hic erit ferus homo; manus ejus contra omnes*, & reliqua.

Quomodo defenditur Abram adulterij reus non esse, dum vivente legitima uxore conjunctus sit ancillæ suæ? Necdum promulgata erat unius uxoris Evangelica lex. Habebat quoque promissionem à DEO multiplicandi * seminis sui; sed necdum sciebat, ex qua uxore, quia postea dictum est ei, de Sarra habere filium. Nam propterea sic propagandi voluntas pia fuit, quia concumbendi voluntas libidinosa non fuit, etiam & Sarai prolem, quam de se habere non potuit, de ancilla habere voluit, consentiebat uterque in facto, quia uterque Sarai sterilem esse sciebat. Sed quomodo manus omnium contra Ismaël, vel manus ejus contra omnes? *Invenit enim Angelus Domini Agar super fontem*

Petr. multiplicati.

fontem aquæ in deserto ad fontem in via Assur, quæ per eremum ducit, quando ad Ægyptum ire festinabat, & vocavit nomen ejus Ismaël; quia exaudivit Dominus humilitatem ejus. Ismaël interpretatur exauditio DEI. Hic erit ferus homo: manus ejus super omnes, & manus omnium super eum, & contra faciem omnium fratrum suorum habitabit. Significabat autem: semen ejus habitaturum in eremo, id est: Saracenos vagos, incertisque sedibus, qui universas gentes, quibus desertum ex latere jungitur, incursant, & impugnantur ab omnibus. Potest & in loco Judæorum, & hæreticorum è regione Ecclesiæ tabernacula figentium, ferox, & vaga infidelitatis incursio intelligi.

℣. 13. *Dixitque Agar: profectò hic vidi posteriora videntis me.*

Id est Angeli, per quæ intellecta* est Incarnatio Domini, sicut & Moysi dictum est: *posteriora mea videbis.* (*Zw. intelligitur.*)

℣. 14. *Propterea appellavit puteum illum viventis, & videntis,* & reliqua.

Hic enim puteus significat gratiam baptismi, sive scientiam Scripturarum.* Quicunque enim regenerantur ad vitam per gratiam baptismatis vivunt, & vident gratia DEI inlustrati. Quidam Codices habent: *bibentis, & videntis*; quia unusquisque quantò magis sorbuerit scientiam Scripturarum bibendo, tantò magis videt intelligendo. (*Zw. Scripturæ.*)

CAPUT XVII.

à ℣. 1. ad **D***Ixitque Dominus ad Abram: ecce testamentum meum tecum, & eris pater multitudinis gentium, & non vocabitur nomen tuum Abram, sed erit nomen tuum Abraham, quia patrem multarum gentium posuite.*

Dicunt autem Hebræi, quòd ex nomine suo DEUS, quod apud illos tetragrammum est, id est: Jot, & he*, vau e litteram Abræ & Sarræ addiderat. Dicebatur enim primum *Abram*, quod interpretatur: *pater excelsus*, & postea vocatus est *Abraham*: *pater multarum*: nam quòd *gentium*, non habetur, in nomine subauditur. Nec mirandum, quare, cùm apud Græcos, & quosdam A littera videatur addita, nos E litteram Hebræam additam dixerimus. Idioma enim linguæ est, per E quidem scribere, sed per A legere; sicut econtra per A scribere, & per E legere. (*Petr. h. he. f. leg. Jot, He, Vau, He.*)

Et dixit DEus ad Abraham: Sarai uxor tua, non vocabis eam Sarai, sed Sara erit nomen ejus.* ℣. 15. (*Petr. Sarra.*)

Errant, qui putant primum Saram*, per unum r scriptum fuisse, & postea ei alterum r additum; quia r apud Græcos centenarius numerus est. Sari igitur primum vocatum est per Sin, Res, Jod, sublato Jod, id est: J elemento addita est E, quæ per A legitur, & vocata est Sara. Causa autem nominis mutati hæc est, quòd antea dicebatur: *princeps mea*, unius tantummodo domûs mater familiæ; postea verò dicitur absolutè *princeps*. Sed notandum est, quia de vocabulo istius nominis * Saræ diversi diverse legunt. Nonnulli Sari prius vocatam, & postmodum Saram dicunt, eò quod per Sin, Res, & Jod, sicut supra descripsimus, beato Hieronymo propalante, apud Hebræos describatur, quasi sine uno R. quia non dicit duo Res, sed unum; & ideo legendum putant Sari, atque post mutationem Saram. Unde existimant, si ita fuerit, antiquam * permansisse consuetudinem in Ecclesia, ut *Sarra* vitio Scriptorum unum R additum diceretur, quod & in authenticis libris semper ita scriptum reperies. * Hinc est etiam, quod Sedulius Poëta in carmine Paschali ait: (*Petr. Sarrâ.* — *Petr. Sarræ.* — *In Zw. deest antiquam.* — *Zw invenies.*)

Saucia jam vetulæ marcebant viscera Sarræ.

At verò nonnulli Sarai, sicut in vetustissimis invenies tomis, non tantum Sari pronuntiare contendunt, & addita littera E, quæ per A legitur, postmodum Saraam nominatam autumant; quia inquiunt, sicut Abrahæ una littera, ita Saræ est altera addita, prout supra ostenditur. Unde siquidem ferunt, quod Pater Albinus in Bibliotheca, quam Karolo Principi correxit, quod nos etiam oculis diligenter inibi inspeximus, emendare curavit, videlicet sine uno R. Saraam, & duo A; & in nostris quibusdam voluminibus ita legitur, quod & nos similiter legendum putamus. Verumtamen prudentis lectoris arbitrio derelinquimus, quid horum magis placuerit: quoniam

potius alieno sensui cedere, quàm contentionibus volumus deservire.

℣. 9. *Dixitque ad Abraham: & tu ergo custodies pactum*, & reliqua usquequo ait: *circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetur infans octo dierum.*

Quare Abraham circumcisionem accepit? Idcirco Abrahæ circumcisio commendata est, ut sub lege esset, sicut & Adam, ne de ligno manducaret; ut probaretur, si compleret hoc, an non. Credens enim filium se habiturum, per cujus generationem omnibus gentibus benedictio futura esset, & in cujus nepotibus castitatis, & sobrietatis unum mansisset exemplar, unde & in ea parte corporis signum fidei accepit, unde filius fidei, non carnis, nasciturus erat, nec truncata corporis parte deformior, sed fidei in DEUM signo gloriosior. Igitur pro DEO aliquid perdere lucrum est, non damnum. Ita Abraham fidei suæ signum accipiens, non deformatus est, sed melioratus. Si enim Adam pactum DEI custodisset, non Abraham hoc pactum accepisset. Sed quia ille in hoc membro culpam inobedientiæ primò agnovit, decuit, ut iste in hoc membro signum obedientiæ secundò accepisset, ut ostenderetur, obedientes quandoque generâsse filios ad vitam, dum olim prævaricatores generârunt ad mortem. Unde etiam sciendum est, quia religio, & ritus circumcisionis, quæ à beato Patriarcha sumpsit exordium, multiformis erat, & typos gerebat rerum futurarum. Nam erat signaculum fidei Abrahæ, & semini ejus, & indicium castigandi eos, qui ad hoc semen, & hanc fidem pertinerent, ab omni inquinamento carnis, & spiritus, & prophetia nascituri de hoc semine Salvatoris, qui nos & in præsenti per baptismum ab omni mortiferæ actionis pollutione mundaret, & in futuro per resurrectionem ab universa mortis ipsius corruptione in perpetuum liberaret, & præcipuè donum remissionis, quod solveret à peccato prævaricationis Adæ, per hanc id temporis ministrari eidem gratiæ, legisque latori complacuit. Qui enim nunc dicit: (*f*) *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI;* ipse tunc

A. dicebat: *masculus, cujus præputij caro circumcisa* * *non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*. non pactum utique circumcisionis, quod non infans, qui discernere necdum valuit, sed majores, qui id servare noverant, poterant, debuerant, irritum fecerunt, verùm pactum, quod cum primo homine DEus inijt, omnis, qui vel unius diei vitam gessit in terra, prævaricâsse convincitur, atque ideo remedio salutis aliquo opus habere non ignoratur.

Zw. incisa.

Deinde sequitur, qualiter Abrahæ ℣. 16. 17. 18. 19.
B. repromittitur filius, de quo ei dicitur: *eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo. Cecidit Abraham in faciem* *, *& risit dicens in corde suo: putasne, centenario nascetur filius*, & cætera, usquequo ait: *& vocabis nomen ejus Isaac.*

Zw. faciem suam.

Quæritur, quomodo dictum sit ad Abraham de filio ejus: & nationes, & reges gentium ex illo erunt? quia non provenit secundum regna terrena, sed secundum Ecclesiam debet accipi. An propter Esau etiam dicit, quia de eo ad litteram contigit adimpletum? Sed scien-
C. dum est, quia non dubitandi animo dixit: *putasne, centenario nascetur filius*, & reliqua. Non enim hæc verba dubitantis diffidentiam ostendunt, sed admirantis gaudium. Ideo pro gaudio ridentis Abrahæ filius dicebatur Isaac. Nam risus iste in bono accipi debet, ùt in Evangelio: (*g*) *beati, qui lugent nunc, quoniam ipsi ridebunt.* Isaac enim interpretatur risus. Non enim pro risu Saraæ dictus est Isaac, sicut aliqui existimant, sed pro risu Abrahæ, quod & nos probamus. Postquam autem risit Abraham, & vocatus est Isaac, postea & risisse legi-
D. mus Saraam. Inde est etiam, quod in consequentibus Saraam ridentem redarguit Dominus, cùm & Abraham riserit, & eum non redarguerit, quia illius videlicet risus admirationis, & lætitiæ fuit, Saraæ autem dubitationis, & diffidentiæ, quod ab illo dijudicari potuit, qui corda hominum novit. Unde hæc eadem Saraa ridens corripitur, correpta protinus fœcundatur, & contra spem ex divina promissione accepit, quod habituram se ex humana ratione dubitavit. Cæterùm hic

(*f*) Joan. 3. v. 3. (*g*) Matth. 5. v. 5.

hìc notandum est, quia in veteri Testamento quatuor proprijs nominibus nominati sunt, antequam nascerentur: Ismaël videlicet, & Isaac, Salomon, & Josias, certis quibusdam ex causis. Quoties enim hominibus à DEO vel imponitur nomen, vel mutatur, singularis meriti indicium datur, magnos esse futuros, sicut Abraham, quia pater multarum gentium erat futurus, Abraham est vocatus. Sic Jacob, quia DEUM vidit, Israël appellari meruit. Sic Josias rex ob eximiæ virtutis culmen nominatus est à DEO multo ante, quàm natus est. Sic de cæteris sentiendum intellige. Sequitur:

CAPUT XVIII.

ỳ. 1. 2. *Cumque elevasset oculos Abraham, sedens in convalle Mambre, vidit tres viros.*

Quibus tribus, sicut uni, locutus est. Unde quæritur, cùm tres essent, quomodo singulariter Dominum appellat dicens: *Domine si inveni gratiam ante te, ne transeas servum tuum?* An intelligebat unum ex eis Dominum, & alios Angelos, an potius Dominum in Angelis sentiens? Igitur intelligendum est, quia in Angelis Dominum sentiens, Domino potiùs, quàm Angelis loqui elegit. Aliquando imaginibus & ante corporeos oculos ad tempus ex aëre assumptis per Angelos loquitur DEUS, sicut nunc Abraham, qui non solùm tres viros videre potuit, sed etiam habitaculo terreno suscipere, eorum usibus etiam cibos adhibere. Nisi enim Angeli, cùm quædam nobis in terra nuntiant, ad tempus in aëre corpus assumerent, exterioribus profectò nostris obtutibus non apparerent, nec cibos cum Abraham sumerent, nisi propter nos solidum aliquid ex cœlesti elemento gestarent. Nec mirum, quòd illic ipsi, qui suscepti sunt, modò Angeli, modò Dominus * vocantur; quia Angelorum vocabulo exprimuntur, qui exterius ministrabant; & appellatione Domini ostenditur, qui eis interius præerat, ut per hoc præsidentis imperium, & per illud clarescerct officium ministrantium.

Zw. dominationes.

Spiritaliter per hos tres viros volunt intelligi quidam Dominum nostrum, & Moysen, & Eliam. Quidam Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, sicut in sequentibus legitur: *cùm deduceret eos Abraham, unus remansit cum eo, & duo missi sunt Sodomam.* Unde per unum, qui remansit *, volunt intelligi Patrem; per duos, qui missi sunt, Filium, Spiritum Sanctum, qui frequenter, leguntur missi à Patre.

Zw. addit: cum eo.

Fervor quoque diei, & cursus Abrahæ desiderium Sanctorum significat, qui desiderabant adventum Christi, sicut Simeon, & multi alij, de quibus Dominus Apostolis ait: (*b*) *multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ videtis,* & reliqua. Moraliter, quid per hunc nobis cursum Abrahæ innuitur, nisi quia videlicet ut vir, ac Dominus domus, spiritalis noster scilicet intellectus debet in cogitatione Trinitatis claustra carnis excedere, & quasi habitationis infimæ januam exire? Cura autem carnis, ut fœmina foras non appareat, & videri jactanter erubescat; ut quasi post tergum viri sub discretione Spiritus solis necessariis intenta, nequaquam sciat procaciter detegi, sed verecundè moderari. Cui tamen sæpe cùm dicitur, ut de se minimè præsumat, & totam se in divinæ spei fiduciam transferat, despicit, & cessante studio adesse sibi vitæ subsidia posse diffidit. Unde & hæc eadem Saraa promissiones DEI audiens ridet, sed ridens corripitur, correpta autem protinus fœcundatur, & quæ juventute vigens fœcundari non potuit, annis fracta senilibus utero marcente * concepit. Quia cùm cura carnis sui confidentiam habere desiderat, contra spem ex divina promissione accipit, quod habituram se ex humana ratione dubitavit. Unde benè Isaac, id est, *risus* dicitur, qui generatur, quia dum supernam spei fiduciam concipit, quid mens nostra aliud, quam gaudium parit?

Zw. marcessente.

ỳ. 10. *Revertens veniam ad te tempore isto, & cætera.*

Id est: revertar ad te in tempore vitæ. Quasi dixerit, humano more loquens: si vixero, si fuerit vita comitata. Tradunt namque Medici nonnulli, quod cujus corpus viri secundum hoc, cùm jam deficit; ut cum fœmina provectioris ætatis, quamvis adhuc menstrua patiatur, generare non possit, de juvencula potest.

(*b*) Luc. 10. v. 24.

potest. Et rursus mulier, quæ tam provectæ ætatis est, quamvis adhuc menstrua fluant, & de seniore parere non possit, de juvene potest. Unde movet etiam quosdam, quomodo cùm esset Abraham propè mediæ ætatis, secundum quam homines tunc vivebant, & postea filios de Cethura fecerit, dicatur ab Apostolo: (*i*) *corpore emortuo*, & pro miraculo, quia genuit, prædicetur? Sed secundum hoc emortuum dixit, quod jam de provectioris ætatis muliere generare non posset. Si enim, quod ait Apostolus, corpus emortuum verbo quis promat, quia dixit emortuum, jam ergo nec animam habuisse, sed cadaver fuisse intelligi debet.

℣.20. *Dixitq; Dominus: clamor Sodomorum, & Gomorræ multiplicatus est, & peccatum eorum adgravatum est nimis. Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.*

Quis est *clamor* Sodomorum? vel quid est, quod Dominus dixit, *descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint?* Peccatum cum voce est culpa in actione; peccatum verò etiam cum clamore est culpa cum libertate, & jactantia. Quod autem dixit: *descendam, & videbo*, &c. ejusmodi, omnipotens itaque Dominus, & omnia sciens cur ante probationem quasi dubitat, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere, quàm probare? Et ecce per Angelos ad cognoscenda mala descendit, & mox facinorosos percutit, atq; ille patiens, ille mitis, ille, de quo scriptum est: (*k*) *tu autem Domine cum tranquillitate judicas*, ille, de quo rursum scriptum est: *Dominus patiens est*, cum tanto crimine involutos inveniens, quasi patientiam prætermisit, & diem extremi judicij expectare ad vindictam noluit, sed eos igne judicij ante diem judicij prævenit! Ecce malum & quasi cum difficultate credidit, cum audit; & tunc sine tarditate percussit, cùm verum cognoscendo reperit! Ut nobis videlicet daret exemplum, quia majora crimina & tardè credenda sunt, cùm audiuntur; & citiùs punienda cum veraciter agnoscuntur.

(*i*) Rom.4.v.19. (*k*) Sap.12.v.1.

A.

℣.27. *Dixitque Abraham: quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis, & cinis*, & reliqua usquequo ait: *non delebo propter decem.*

Quare Abraham se pulverem dixit esse, & cinerem, dum tantas promissiones accepit à DEO? Sublimitatem promissionum humilitatis temperavit subjectione. Apertè enim intelligitur, in in quo loco se posuerat, qui pulverem se esse, ac cinerem etiam dum, cùm DEO loqueretur, æstimabat. Si igitur se ita despicit, qui usque ad honorem divinæ collocutionis ascendit, sollicita intentione pensandum est, qua pœna illi feriendi sint, qui ad summam non proficiunt, & tamen de minimis extolluntur.

B.

Quæri solet, utrum quod de Sodomis dixit DEUS, non se perdere locum, si invenirentur illic vel decem justi, speciali quadam sententia de illa civitate, an de omnibus intelligendum sit, generaliter parcere DEUM loco, in quocunque vel decem justi fuerint? Non est necesse, ut hoc de omni loco accipere compellamur. Verumtamen de Sodomis potuit sic dici; quia sciebat DEus ibi non esse vel decem, & ideo sic respondebatur Abrahæ, ut significaretur, nec tot ibi posse inveniri*, ad exaggerationem iniquitatis illorum. Sed sciendum est, quia, quantum ad allegoriam pertinet, per L. significantur pœnitentes, per XLV. hi, qui per quatuor Evangelia gradiuntur, & per quinque sensus corporis abstinent se à malo, & faciunt bonum. Per XX: verò, qui utriusque testamenti scientiam, atque observantiam habent. Per XXX. quoque illi designantur, qui fide consistunt Sanctæ Trinitatis, vel in spe futuræ beatitudinis. In denario autem numero, qui sub mysterio sanctæ Crucis se humiliter subdunt, & in dilectione DEI, & proximi, quæ in Decalogo continetur, perfecti repeniuntur. Sequitur:

C.

*Al. inveniri ad excudationem iniq.ill.

D.

CAPUT XIX.

℣.1. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus civitatis*, & cætera.

Quare

Quare Abraham in tribus viris, si A. DEUM intellexit, vel Angelos, & iterum Loth in duobus eos humano cibo vesci putabat? Fortasse prius esse homines arbitrati sunt; in quibus DEUM loqui intellexerunt, quibusdam divinæ majestatis existentibus, & apparentibus signis, postea fuisse Angelos cognoverunt, cùm eis videntibus in cœlum issent.

℣.3. *Compulit illos oppido, ut diverterent ad eum*, & reliqua usq; *vallaverunt domum à puero usque ad senem.*

Hinc considerandum est, quanta sit virtus hospitalitatis. Ideo Angeli quasi hospites coacti, domum Loth introisse B. dicuntur, ut tentata esset charitas Loth, probata, & remunerata, ut ostenderetur, quantum esset hospitalitatis bonum: Hospitalem verò domum Angeli ingressi sunt ad liberandum hospitem suum. Clausas etiam domus hospitibus ignis ingressus est ad perdendos peccatores in eis. Idcirco hospites non sunt evitandi, sed ultrò invitandi. Benè enim senes cùm pueris cucurrerunt ad scelus, quia scriptum proverbium est: (*l*) *adolescens juxta vias suas, etiam cum senuerit, non recedet ab eis.*

℣.8. *Habeo duas filias, quæ necdum cogno* C. *verunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis*, & cætera.

Quomodo Loth justus dicatur, si filias suas ad tam nefas scelus tradere voluit, nisi quia scelestius ad comparationem judicavit peccatum, quod agitur contra naturam, quàm quod admittitur naturaliter?

℣.10.11. *Clauseruntq; ostium viri, & eos, qui erant foris, percusserunt cæcitate* &c.

Zw. orosia. Lq. aorasia. Græci habent: * *aorosia*, quod magis dici potest: *avidentia*, quæ faciat non videre, non omnia, sed quod opus

Zw. in orosia. non est. Hac enim * aorosia & illi per- D. cussi sunt, qui quærebant Eliseum. Moraliter verò quid est, quod malis adversantibus intra domum Loth reducitur, & munitur, nisi quod justus quisque, dum pravorum insidias sustinet, ad mentem revertitur, & imperterritus manet? Sodomitæ autem viri in domo Loth invenire ostium nequeunt; quia corruptores mentiū contra vitam justi nullum accusationis aditum deprehendunt. Percussi enim cæcitate quasi, domū circumeunt, qui invidentes facta, dictaq; perscrutantur. Sed quia eis de vita justi fortis undiq; ac laudabilis actio obviat; errantes nil aliud, quàm parietem palpant.

Dixitq; Loth ad eos: nec possum in monte salvari, ne fortè apprehendat me malum, & moriar. Est civitas hæc, ad quam possum fugere parva, & salvabor in ea, & reliqua usquequo: *pluit Dominus super Sodomam & Gomorram sulphur, & ignem de cœlo à Domino, & subvertit omnem regionem.* ℣.19 usq; ad 26.

Quæritur quare Loth, cùm jussus esset ad montem fugere, Segor prætulerit, ut ibi salvaretur, & rursum de Segor ad montem migrâsse? Tradunt Hebræi, quòd Segor frequenter terræ motu subruta Bale primum, & postea Salisa appellata sit, timuitq; Loth dicens: si cùm cæteræ adhuc urbes starent, ista sæpe subversa est, quantò magis nunc in communi ruina non poterit liberari? Et hanc occasionem infidelitatis etiam in filias coitûs dedisse principium. Qui enim cæteras viderat subrui civitates, & hanc stare, seque DEI auxilio abreptum*, utiq; de eo, quod sibi concessum audierat, ambigere non debuit. Si judicium DEI justum est, quare infantes in Sodomis simul cum parentibus cremati sunt? Ut nimis impium facinus Sodomitarum possit adverti. Peccatum enim eorum advenit usque ad necem filiorum, ne de origine illorum signum aliquod remaneret. Nonne provisum est illis, ne diu viventes exempla sequerentur patrum, & levius in futuro cruciarentur, vel omnino non, in aliena causa occisi? Parentes enim tam pro se, quàm pro eis rei sunt. Ergo mors filiorum crimen est parentum, & ideo futuri sunt accusatores parentum. Est qualecunq; beneficium, reum non esse, qui gloriosus non est. Prodest pauperem non esse, qui rex esse non potest. Zw. subreptum.

Moraliter ardentem Sodomam fugere, est illicita carnis incendia declinare. Altitudo verò est montium munditia continentium. Vel certè quasi in monte sunt, qui etiam carnali copulæ inhærent, sed tamen extra suscipiendæ prolis admixtionem debitam, nulla carnis voluptate solvuntur. In monte quippe stare est, fructum propaginis in carne non quærere; in monte stare est carnaliter non adhærere. Sed quia multi sunt, qui scelera quidem carnis

(*l*) Prov. 22. v. 6.

carnis deserunt, nec tamen in conjugio A. positi usus solummodo debiti jura conservent, exiit quidem Loth Sodoma, sed tamen mox ad montana non pervenit, quia jam damnabilis vita relinquitur, sed adhuc celsitudo conjugalis continentiæ subtiliter non tenetur. Est verò in medio Segor civitas, quæ fugientem salvet, & infirmum; quia videlicet cùm sibi per incontinentiam miscentur conjuges, & lapsus scelerum fugiunt, & tamen venia salvantur. Quasi parvam quippe civitatem inveniunt, in qua ab ignibus defendantur; quia conjugalis hæc vita non quidem in virtutibus mira est, sed ta- B. men à supplicijs secura. Unde idem Loth ad Angelum dicit: *est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, & salvabor in ea. Nunquid non modica est, & vivet in ea anima mea?* Juxta igitur dicitur, & tamen ad salutem tuta perhibetur; quia conjugalis vita nec à Mundo longè divisa est, nec tamen à gaudio salutis aliena. Sed tunc in actione hac vitam suam conjuges quasi in parva civitate custodiunt, quando pro se assiduis deprecationibus intercedunt. Unde & rectè per Angelum ad eundem Loth dicitur: *ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut* C. *non subvertam urbem, pro qua locutus es.* Quia videlicet cùm DEO deprecatio funditur, nequaquam talis conjugij vita damnatur. De qua precatione quoque Paulus admonet, dicens: (m) *nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Quid in sulphure, nisi fœtor carnis, & quid per ignem, nisi ardor desiderij carnalis exprimitur? Cùm ergo habitantium Sodomis, vel Gomorræ carnis scelera punire Dominus decrevisset, in ipsa qualitate ultionis notavit maculam criminis. Sulphur quippe fœtorem habet, & ignis ardo- D. rem. Qui itaq; perversa desideria & carnis fœtore * arserant, dignum fuit, ut simul sulphure perirent, quatenus ex justa pœna discerent, ex injusto desiderio quod fecissent.

Zw. fœtori adhæserant.

Quare diebus Noë peccatum Mundi aqua ulciscitur, hoc verò Sodomitarum igne punitur? Quia illud naturale libidinis cum fœminis fuit peccatum, quasi leviori elemento damnatur; hoc verò contra naturam cum viris libidinis peccatum acrioris elementi vindicatur incendio; * & illic terra aquis abluta revirescit, hic flammis cremata, æterna sterilitate arescit.

Zw. illic verò ter.

Quæritur, de cœlo quare vindicta esset super habitatores impios civitatum illarum? Quia clamor peccantium in cœlum ascendisse dicitur, idcirco de cœlo puniendi erant. Cur sulphureo igne puniebantur? Ut putidissimus libidinis ardor putidissimo flammarum ardore puniretur.

Respiciensq; uxor ejus post se versa est in statuam salis. ℣.26.

Cur autem uxor Loth in statuam salis versa est? ad condimentum fidelium; quia punitio impij eruditio est justi.

*Ascenditque Loth de Segor, & mansit in monte; duæ quoque filiæ cum eo. * Timuerat manere in Segor,* usquequo ait; jus ibant *conceperunt ergo duæ filiæ Loth de patre suo.* ℣.30.

Zw. filiæ e- cum eo.

Quo enim consilio filiæ Loth, dum * concubitum patris petierunt, vel ab incestu purgari possunt, dum hoc scientes fecerunt? Ille verò quasi nesciens? * Videtur namq; filias Loth didicisse quædam de consummatione Mundi, quæ immineret per ignem, sed * tanquam puellæ intellire perfectè, quæ didicerant, nescierunt, quod Sodomitis igne vastatis multum adhuc spatium integrum resideret in Mundo. Suspicatæ sunt, tale aliquid factum, quale in temporibus audierant Noë, & ob reparandam mortalium posteritatem solas se esse cum parente servatas. Recuperandi igitur humani generis desiderium sumunt, atque restaurandi sæculi ex sese dandum opinantur exordium; & quamvis grande eis crimen videretur, furari concubitum patris gravior tamen eis videbatur impietas, si humanæ, ut putabant, posteritatis spem servata castitate delerent. Propter hoc ergo consilium ineunt, minori, ut arbitror culpa, * patris mæstitiam, vel rigorem vino molliunt, & resolvunt, singulis ingressæ noctibus, singulæ suscipiunt ab ignorante conceptum; * ultra non repetunt, nec requirunt. Ubi hìc libidinis culpa? Ubi incesti crimen arguitur? quomodo dabitur vitio, quod non iteratur in facto? si Loth quasi incestus in hoc facto culpandus est, an non culpandus est quidem

dum desi in Zw.

Zw. dicunt.

Zw. nec tamen.

Zw. addit argumentoq; majore.

Zw. nec ultra rep.

(m) 1. Cor. 7. v. 5.

quidem in hoc facto Loth, quantum A. ebrietatis ignorantia meretur? Nam & hanc lex æterna condemnat, quæ cibum, & potum non nisi ad salutem corporis sumere mandat. Et hic diligentius intendendum est, quantum sit ebrietatis malum, & valde timendum illis, quibus hoc malum in usu est, non in crimine. Ebrietas decipit, quem Sodoma non decepit. Uritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non ussit. Erat ergo Loth arte, non voluntate deceptus. Ideo medius quidem inter peccatores, & justos, quippe qui ex Abrahæ quidem cognatione descenderat, in So- B. domis tamen habitaverat.* Nam & hoc, quod evadit ex Sodomis, sicut Scriptura indicat*, magis ad honorem Abrahæ, quàm ad meritum pertinet Loth.

Pet. habitaverit.
Zw. dicit.

ỳ.23.ad 27 *Fugit itaq; Loth à Sodoma &c.*

Loth itaq; figuram habuisse Legis, hujus uxorem illum populum ponimus, qui de Ægypto profectus, & de mari rubro, ac persecutione Pharaonis tamquam de Sodomiticis ignibus liberatus, rursum carnes, & ollas Ægypti, & cepas, cucumerosq; desiderans retro respexit, & cecidit in deserto, factusque est etiam C. concupiscentiæ memoria in eremo. Ibi ergo lex primum illum populum tanquam Loth retro respicientem perdidit, ac reliquit uxorem. Inde veniens Loth habitat *in Segor*, de qua dicit: *civitas hac parva, & salvabo animam meam in ipsa.* Ergo quantum ad legem pertinet, civitas pusilla, & non pusilla dicitur. Civitas enim à conversatione multorum est dicta pro eo, quod plurimorum in unum contineat vitas. Hi ergo, qui secundum litteram legis vivunt, parvam habent conversationem. Nihil enim grande est Sabbata, & Neomenias, circumcisionem D. carnis, & ciborum distinctiones observare carnaliter; spiritaliter verò intelligentibus non est pusilla, sed magna.

ỳ.30. *Ascendit ergo Loth post hæc in montem, & habitabat in spelunca; ipse, & duæ filiæ ejus.*

Et Lex ascendisse putanda est, quod ei per Hierusalem templum constructum accessit ornatus, cùm facta est quidem domus DEI domus orationis; mali autem habitatores fecerunt eam speluncam latronum. Duas filias Loth evidenter Propheta describit dicens: (*n*) *Oollam, & Oolibam duas sorores esse, & esse quidem Oolam Judam, & Oolibam esse Samariam.* Istæ sopientes patrem*, & somnum ei inducentes, id est, tegentes, & obruentes ejus spiritalem sensum, solam ex eo carnis intelligentiam trahunt, & inde concipiunt, inde generant filios tales, quos nec sentit, nec agnoscit pater. Talis quoque posteritas non intret in Ecclesiam DEI. (*o*) *Ammonita*, inquit, *& Moabita non introibunt* * *in Ecclesiam Domini usque in tertiam, & quartam progeniem, & usque in sæculum*, designans, quod carnalis generatio legis non intret in Ecclesiam Christi *, nec per tertiam generationem per Trinitatem, nec per quartam per Evangelium, nec in sæculum.

Zw. patriq; som. induc.
Zw. intrabunt.
Zw. DEI.

Moraliter verò Loth significat rationabilem sensum, & virilem animum eorum, qui arcem contemplationis arripere conantur. Uxor autem, quæ retro respicit, carnem concupiscentiis dedi-tam. Duæ filiæ ejus, duo principalia vitia, superbiam videlicet, & vanam gloriam. Observandum est autem, fortè cum quis effugerit flammam Mundi, & incendia carnis evaserit, etiam cum parvam Segor, id est, actualem vitam, quæ est civilis, supergressus fuerit, & ad altitudinem scientiæ, & contemplationis velut ad montem ascenderit, ne insidientur ei duæ filiæ superbia scilicet, & vana gloria; quæ idcirco filiæ dicuntur, quia non extrinsecus, sed de nobis oriuntur, & in spelunca pectoris insidiantur, ut de nobis dormientibus, neque sentientibus generare possint filios, sensus utique, & actus reprobos. Sunt enim nonnulli, qui arcem contemplationis arripiunt; sed dum has secum duas filias ducunt, quodammodo inebriantur ab eis; quia ita mente alienantur à DEO, ut quoscunque filios genuerint, id est, quæcunque opera exercuerint, non per ea in Ecclesiam Domini intrant, sicut Moabitæ, & Ammonitæ videlicet neq; per tertiam, neque per quartam generationem; quia non eis proderit notitia Trinitatis, neq; intelligentia Evangelicæ prædicationis. Sequitur:

(*n*) Ezech.4.v.4. (*o*) Deu.23.v.3.

CAPUT XX.

ŷ.11. P*Rofectus inde Abraham in terram Australem habitavit inter cades, & Sur, & peregrinatus est in Geraris.*

Cades solitudo est, ubi fons judicij est, & Cades Barne in deserto, quæ conjungitur civitati Petræ in Arabia, ubi occubuit Maria, & Moyses rupe percussa aquam sitienti populo dedit. Monstratur ibidem usque ad præsens, ùt beatus Hieronymus ait, sepulchrum Mariæ, sororis Aaron. Sed & Principes Amalech & Codor Lahomor ibi cæsi sunt, & interpretatur sancta, vel sanctificans, & dicta est fons judicij per anticipationem sicut supra descripsimus, quia postea sic vocatus est locus ille, ubi Moyses judicavit populum Domini. *Sur* verò solitudo similiter est. *Geraris* verò, sive *Gerara*, ùt alibi reperi, ex cujus nomine Gerantia vocatur regio trans * Daroma (erat enim olim terminus Chananæorum ad Australem plagam) est civitas Metropolis Palestinæ, & fuit Scriptura hic testante inter Cades, & Sur, hoc est, inter duas solitudines, quarum una Ægypto jungitur, ad quam populus trans fretum rubri maris pervenit; altera verò Cades usque ad Saracenorum eremum extenditur, ibique peregrinatus est Abraham.

Zw. trans Doroma.

ŷ.2. ad 10. *Dixitque de Saraa uxore sua: soror mea est. Misit ergo Abimelech, Rex Gerara, & tulit eam*, & reliqua usquequo ait: *quid fecisti nobis? quid peccavimus in te, quia induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande?*

Cur Abraham sororem suam secundò esse dixit? Quia ex priori Pharaonis correptione certus de DEI defensione, quod violari non potuit, incertus de sua vita, an illorum evaderet manus. Et miranda est Saraæ pulchritudinis forma, quæ in tanta ætate tantum amari poterat, ut vir suus propter ejus pulchritudinem se periclitari metuebat.

Cur dicit DEUS ad Abimelech: *peperci tibi, ut non peccares in me?* ut adverteretur, in DEUM peccari, quando talia committuntur, quæ putant homines leviter habenda tanquam in carne peccata. Cur non mox Abimelech mortuus est, dum dixit ei DEus: ecce tu morieris? Utique DEus, prædixit, quod sine dubio futurum fuisset, si in hac admonitione à peccato abstinendo non caveretur.

ŷ.12. *Respondit Abraham: aliàs autem verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris mea.*

Pater enim, ùt nonnulli volunt, pro fratre ponitur. Thara itaque genuit Abraham, & Aran, cujus filia extitit, Scriptura teste, Saraa. Et ideo dixit, sororem suam esse, sive quia de semine sui patris procreando per filium nata est Saraa, & consuetudo est etiam Scripturarum, consobrinos fratres appellari, similiter & sorores. Propterea non immeritò ait: *aliàs soror mea est.* Et quia fuerunt Abraham, & Aran de uno patre, & non de una matre, idcirco subjunxit: *filia patris mei, & non filia matris mea.*

ŷ.16. *Saraa autem dixit Abimelech: ecce mille argenteos dedi fratri tuo; hoc erit tibi in velamen oculorum * ad omnes, qui tecum sunt*, & reliqua.

Zw. & omnibus.

Benè ait: *hoc erit tibi in velamen oculorum*, id est: in verecundia vel in confusione vultus, ad omnes, qui tecum sunt. Confusio namque esse poterat tantæ mulieris à viro suo fuisse sublatam. *Et quocunque perrexeris, memento te deprehensam* (* subaudi) à me, & subtractam à fratre tuo. Ecce historialiter! Cæterùm spiritaliter Abimelech, qui interpretatur: *Pater meus Rex*, significat sapientes istius mundi, vel regnum terrenum, qui per humanam sapientiam, in quantum eis attributum fuit, cognoverunt DEUM Patrem esse, ac regem totius creaturæ. Saraa significat Ecclesiam. Abraham quippe unigenitum filium patris, qui frater fieri dignatus est per gratiam. Millenarius autem numerus perfectionem * fidei sapientium. Argentum verò scientiam Scripturarum, per quam cognoverunt, quod Saraa uxor esset Abrahæ, id est: Ecclesia Domino copulata per fidem. Ait enim: ecce mille argenteos dedi fratri tuo, qui filius DEI est per naturam, cujus tu soror es per gratiam. Congruè dixit: *fratri tuo*; quia sapientes perfectionem suæ fidei velut mille argenteos Domino dederunt per cognitionem sacrarum videlicet Scripturarum. *In velamento*, inquit, *oculorum tuo-*

Zw. subauditur per me.

Zw. perfectionem.

tuorum, id est, in protectionem per san-A.ctos videlicet doctores. *Qui ex me*, ac si dixisset apertè, ad fidem transierunt ad te. Ipsi namque sunt usque hodie in protectionem sanctæ DEI Ecclesiæ, maximè qui ex humana sapientia, ac sublimitate prodierunt. *Mementoq; te esse deprehensam.* Deprehensam se meminit; quia prius Ecclesia persecuta est, sed intacta permansit. De Abimelech quoque rege Philisthinorum moraliter possumus intelligere; quod Saraam voluerit accipere uxorem. Et quomodo Abraham illam sororem suam esse dixerit, vel quod compescuerit DEUS Abimelech propter illam. B. Puto ergo, quod Saraa, quæ interpretatur Princeps, significet virtutem animi. Hæc verò virtus conjuncta est viro sapienti. Denique Dominus dicit: *quæcunque dixerit tibi, audi vocem illius in omnibus, in quibus consilium dederit tibi.* Non vult ergo Abraham virtutem uxorem suam dici; donec * enim virtus cum alijs participari non potest, nec uxor appellari valet. Cùm verò ad perfectum venerimus, ut simus idonei & alios docere, non jam virtutem, & uxorem intra gremium concludamus: sed ut sororem etiam alijs volentibus copulemus. Unde scriptum C. est: (p) *dic sapientiam sororem tuam esse.* Secundum hoc igitur Abraham Saraam sororem suam esse dicebat. Voluit ergo & Pharao aliquando habere Saraam non in corde mundo. Sed virtus nisi cum cordis munditia non potest convenire. Longè autem (aliter) agit Abimelech iste, quam Pharao. Unde videtur mihi Abimelech iste formam teneat studiosorū, & sapientium Mundi, qui Philosophiæ operam dantes, licèt non integram, & perfectam regulam pietatis attigerint, senserunt tamen DEUM, & Regem omnium. Isti ergo quantum ad moralem Philoso-D. phiam spectat, etiam purificati cordis operam dedisse comprobantur; sed hanc non permisit DEus illos contingere. Hæc enim gratia non per Abraham, sed per Christum tradi gentibus parabatur. Sanat autem DEus Abimelech, & uxorem illius, & ancillas, quas putamus naturalem Philosophiam diversa, & varia sectationum commenta. Interea Abraham impertiri cupit donum * cum gentibus divinæ virtutis. Sed nondum est tempus à priori populo transire ad gentes gratiam DEI. Secundum hanc ergo allegoriam Pharao, qui interpretatur exterminator, Saraam, id est; virtutem accipere non potuit. Manet ergo apud Abraham virtus, manet in circumcisione, donec tempus veniat, ut in Christo JEsu perfecta virtus ad Ecclesiam gentium transiret. Tunc domus Abimelech, & ancilla illius pariunt Ecclesiæ filios. Hoc enim tempus, quo sterilis parit, & orante * Abraham, hoc est, populo per Patriarchas, & Prophetas prophetantes. Unde & illic dicitur: *redde viro suo uxorem, quia Propheta est, & orabit pro te, & vives.* Postea intulit: *orante autem Abraham sanavit DEus Abimelech*, & reliqua.

Zw. dum enim.

Zw. domum,

Petr. honorante.

CAPUT XXI.

Fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis filij sui. ℣. 8.

Quare in die ablactationis Isaac, & non in die nativitatis, vel circumcisionis fecit convivium grande? Ut adverteretur, quod nisi ad aliquam spiritalem significationem referatur, nulla solutio quæstionis est. Fecit itaque Pater excelsus convivium, cùm à lacte depellitur Isaac, & fit lætitia magna, quia summo doctori de his fit gaudium, qui jam lacte non indigent, sed cibo spiritali, qui possibilitate sumendi exercitatos habent sensus, & discretionem boni, & mali, de quibus dicit Esaias: (q) *in foramine aspidis, & in caverna reguli mittet manum suam, qui ablactatus est lacte.* Super his autem convivium non potest agi lætitiæ, de quibus dicit Apostolus: (r) *lac vobis potum dedi, non escam.*

Sed requirendum videtur juxta historiam, post quot annos pueri ablactari soleant. Inter Hebræos autem varia opinio est, asserentibus alijs, quinto anno, alijs duodecimo ablactationis tempus impleri, quod apud nos non ita teneri videtur, sed aut tertio, quartove, aliquando autem quinto anno ablactatur. Sequitur:

Cùm vidisset Saraa filium Ægyptia Agar ludentem cum Isaac, dicit ad Abraham: ejice ancillam hanc, & filium ejus, & reliqua usque: *quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed & filium Ancillæ faciam in gentem magnam.* ℣. 9. ad 14

(p) Prov. 7. v. 4. (q) Isa. 11. v. 9. (r) 1. Cor. 3. v. 2.

Quod duobus modis intelligi potest, A. hoc est: sive quod populus Judæorum copiosus esset in sæculo regnaturus; sive quia cœlestis regni gloriam consecuturi essent, qui ex eis credidissent in Christum. Sed libet notare, in quo ludo arguit Saraa Ismaël, filium Agar. Dupliciter itaque hoc ab Hebræis exprimitur. Sive quod idolothytum fecit juxta illud, quod alibi scriptum est: (s) *sedit populus comedere, & bibere, & surrexerunt ludere.* Sive quod adversum Isaac quasi majoris ætatis loco sibi, & ludo

Zw. vendicaret. primogenita vindicaret. * Quod quidem Saraa audiens non tulit. Et hoc ex ipsius B. approbatur sermone dicentis: *ejice ancillam hanc cum filio suo* &c.

℣.14. *Surrexit itaq; Abraham mane, & tollens panem, & utrem aquæ imposuit in scapula ejus,* & reliqua.

Si tredecim annorum erat Ismaël, quando natus est Isaac, adjunctisque ætate ablactationis annis, quomodo convenit tantæ ætatis adolescentem matris sedisse cervicibus dum dicitur: *sumpsit Abraham panes, & utrem aquæ, & dedit Agar, ponens super humerum ejus, & parvulum, & dimisit eam?* Omnis igitur filius secundum idioma linguæ Hebræorum ad com- C. parationem parentum infans vocatur, & parvulus. Et est sensus: posuit ergo Abraham panes, & utrem super humerum Agar, & hoc facto dedit puerum matri, hoc est: in manum ejus eum tradidit, commendavit, & ita emisit è domo, quod in sequentibus declaratur, dum dicitur: *surge, tolle puerum, & tene manum ejus,* non ut eum de terra, velut jacentem tolleret, sed quasi comitem manu teneret. Quod autem manu parentis tenetur, sollicitus monstratur affectus.

℣.16.17. Quid est, quod dicitur matrem flevisse, & DEum vocem pueri exaudisse? D. Quia mater non suam mortem, sed filii deplorabat, pepercitque DEus puero suo, pro quo fuerat fletus matris.

℣.33. Zw. Quom. autem ad &c. Quomodo * ad puteum juramenti agrum plantaverat Abraham, si in terra illa, quemadmodum Stephanus dicit, non acceperat hæreditatem nec spatium pedis? Ea est intelligenda hæreditas, quam DEus munere suo fuerat daturus gratuitò, non in ista, quæ pretio empta est. Intelligitur autem spatium circa puteum ad illud emptionis pactum pertinere, in quo fuerant agnæ septem datæ, quando Abimelech, & Abraham sibi etiam juraverunt.

Habitavitq; in deserto Pharan. ℣.21.

Faran * nunc oppidum trans Arabiam junctum Sarracenis, qui in solitudine vagi errant. Per hoc transierunt * filii Israël, cum de monte Sina castra movissent. Est autem trans Arabiam, ut diximus, contra Australem plagam, & distat ab Ælia contra Orientem itinere dierum trium. Ibi habitasse Ismaëlem dicitur, unde & Ismaelitæ, qui nunc Sarraceni dicuntur.

Zw. Faron oppidū &c. Pw. interfecerunt.

Eodem tempore dixit Abimelech, & Fichol princeps exercitus ejus ad Abraham: Dominus tecum est in universis, quæ agis. Jura ergo per Dominum, ne noceas mihi, & posteris meis, & reliqua, usque quo legitur: *tentavit DEus Abraham.* ℣.22.ad 34

Per Abimelech regnum, vel sapientes hujus mundi, per Fichol Philosophi istius sæculi (intelliguntur.) Unde benè Abimelech Pater meus Rex; Fichol autem interpretatur *os omnium* propter rationalem intelligentiam, quæ Logica dicitur, quæ DEum Patrem omnium confitetur, ut est Abimelech, & propter moralem, quæ Ethica nominatur, quæ in ore est omnium, & ad omnes pertinet, & pro communium similitudine præceptorum in omnium ore versatur, quam designavit iste Fichol. Hi enim veniunt ad Abraham: quia regnum, vel sapientes, seu Philosophi istius sæculi per humanam intelligentiam venerunt ad Christum, intelligentes in signis, & miraculis Deum esse cum illo in universis, quæ ageret. Unde est illud: (t) *DEus erat in Christo, Mundum reconcilians sibi.* Ait quidem: *jura ergo per Deum, ne noceas,* eò quod tam diu permansi in ignorantia, atque in infidelitate, *& posteris meis,* permansuris in humana sapientia, *stirpique mea,* meditanti hanc intelligentiam. *Sed juxta misericordiam, quam feci tibi,* id est: corpori tuo, quod est Ecclesia, *facies mihi, & terra, in qua versatus es advena:* ut est illud: (u) *vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis*

(s) Exod.32.v.6. (t) 2.Cor.5.v.19. (u) Luc.9.v.58.

nis non habet, ubi caput suum reclinet, A.

Dixitque Abraham: ego jurabo; juxta illud: (w) *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerant servi illius:* quia multos ex credentibus coëgerunt ad idola declinare.

ỳ.26. *Respondítque Abimelech: nescivi, quis fecerit hanc rem. Sed & tu non indicasti*

Zw. subauditur. *mihi.* Subaudi *: neq; per legem, neq; per Prophetas.

ỳ.27. *Tulit itaque Abraham oves,* videlicet simplices, *& boves,* scilicet doctores, *& dedit Abimelech,* id est, sequentibus B. hujus mundi. *Percusseruntque ambo fœdus.*

ỳ.28. *Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum,* & reliqua.

Per septem agnas significantur Apostoli septiformis Spiritus Sancti gratia repleti. Sed ideo agnæ dicuntur; quia membra Christi pariunt, quos Abimelech, id est: regnum, vel sapientia hujus Mundi suscepit, testimonium perhibentes; quia profunditas sanctarum scripturarum, sive gratia baptismatis, quæ significatur per puteum, ad Abraham, id C. est: ad Dominum JEsum Christum pertinent specialiter.

ỳ.31. *Idcirco vocatus est locus ille Bersabee, quia ibi uterq; juravit.*

Duplex autem (est) causa, cur ita appellatus sit, sive quia septem agnas Abimelech de manu Abrahæ acceperit. Septem enim dicuntur *Sabee.* Sive quòd ibi juraverint, quia & juramentum *Sabee* similiter appellatur. Quod si ante hanc causam supra nomen legimus, sciamus, per anticipationem dictum esse, sicut & Bethel, & Galgala, quæ utique

Zw. quod. usque ad tempus, * quo ita appellatæ D. sint, aliter vocabantur. Notandum autem & ex prioribus, & ex præsenti loco, quòd Isaac non sit natus ad Quercum Mambre, sed in Geraris, ubi & Bersabee usque hodie oppidum est. Quæ provincia ante non grande tempus ex divisione

Pav. Palæstina. Præsidum Palestinæ * *salutaris* est dicta. Hujus rei Scriptura testis est, quæ ait: *& habitavit Abraham* in terra Philistinorum.

ỳ.33. *Abraham verò plantavit nemus in Bersabee,* & reliqua.

Nemus arbores sunt umbrosæ, & infructuosæ. Habent enim lata, & amœna folia, & significat eos, quos elegit Dominus ex gentibus, qui erant liberalibus artibus instructi, & quasi per hoc videbantur magni, & dilatati, & tamen sine fructu spiritalis intelligentiæ, quos Abraham, scilicet Dominus, ac Redemptor noster in Bersabee plantavit, id est: sacræ Scripturæ inseruit, per quorum eloquentiæ fæcunditatem * eam in superficie verborum adornavit. Zw. facunditatem.

CAPUT XXII.

TEntavit Deus Abraham, & dixit ad eum: & reliqua, usquequo dicitur: *appellavitque nomen loci illius: Dominus videt.* ỳ.1.

Quæri solet, quomodo verum sit, quod Abraham DEus tentare dicitur; cum Jacobus dicat (x) *Deus neminem tentat?* Nisi quia locutione Scripturarum solet dici tentare, pro eo, quod est: *probat.* Tentatio verò illa, de qua Jacobus dicit, non intelligitur, nisi qua quisque peccato implicatur. Unde Apostolus dicit: (y) *ne forte tentaverit vos is, qui tentat.* Nam & alibi scriptum est: (z) *tentat vos Dominus, ut sciat, si diligatis eum.* Etiam hoc genere loquendi, *ut sciat,* dictum est, ac si diceretur, ut scire vos faciat; quoniam vires dilectionis suæ hominem latent, nisi experimento etiam eidem innotescant. Igitur Abraham tentatus est, ut probaretur, justificaretur, coronaretur *; ut & ejus obedientia tali probata examine posteris innotesceret. Pav. corroboraretur.

Quod autem dicit: *super unum montium, quem monstravero tibi,* ajunt Hebræi hunc montem esse, in quo postea templum conditum est in area Ornam Jebusæi, sicut & in Paralipomenon scriptum est: (a) *& cœperunt ædificare templum in monte Moria.* Qui ideo illuminans interpretatur, & lucens, quia ibi est *dabir,* hoc est: oraculum DEI. ỳ.2.

Itinere dierum trium &c. ỳ.4.

(w) Matth. 16. v. 16. (x) Jac. 1. v. 13. (y) 1. Thessal. 3. v. 5. (z) Deu. 13. v. 3. (a) 2. Par. 3. v. 1.

Notan-

Notandum, quòd de Geraris usq; ad montem Moria, id est: ædem * templi iter dierum trium sit, & consequenter illuc die tertio pervenisse dicatur. Malè igitur quidam Abraham putant illo tempore ad quercum habitasse Mambre, cùm inde usque ad montem Moria vix unius diei iter plenum sit. Quæritur etiam, cur in tentatione Abrahæ dixit Deus: *tolle filium tuum quem diligis Isaac?* Nisi ut charitatis admonitione, & nominis recordatione tentationis pondus accumularetur, & paternus affectus torqueretur ex memoria professionis, dum ante DEus dixit ad eum: *in Isaac vocabitur tibi semen.* Quasi si ille occideretur, tota spes promissionis frustraretur. Et cur non statim licuit ei occidere filium, sed triduana itineris mora, eum immolaturus * secum duci jussus est? Quatenus longitudine temporis tentationis quoque augeretur incrementum. Nam per triduum iter protenditur, & per totum triduum crescentibus curis paterna viscera cruciantur, ut omni hoc spatio tam prolixo intueretur filium pater, cibum cum eo sumeret, tot noctibus puer penderet in amplexibus patris, inhæreret pectori, cubitaret in gremio; quatenus per singula momenta in paterno affectu dolor occidendi filij accumularetur.

Petr. ædem. Zw. cum immolat.

℣.5. Si Abraham indubitanter firmo animo cogitabat mactare puerum Domino in holocaustum; quid est, quod dixit pueris suis: *vos exspectate * hic. Ego, & puer, cùm adoraverimus, revertemur ad vos?* Igitur & indubitanti animo mactare eum credebat, ideo utrumq; laudis est, & in constantia offerendi, & in confidere * suscitandi. Sciebat certissimè DEUM fallere non posse, & licèt puer occideretur, promissionem tamen DEI salvam permanere. Unde & Paulus Apostolus per Spiritum Sanctum didicerat, quid animi habuisset Abraham intra se, dum fidem ejus laudat, dixit: (*b*) *fide Abraham non hæsitavit, cùm unicum offerret, in quo acceperat repromissiones, quia à mortuis eum resuscitare potest DEus.*

Petr. spectate. Petr. in fœdere.

Unde aries iste, qui pro Isaac immolatus est, venit? Solet quæri, an de terra subito ibi creatus esset, vel aliunde ab Angelo allatus? Aries iste non putativus, sed verus esse credendus est. Ideo A. magis à doctoribus æstimatur, aliunde eum Angelum attulisse, quàm ibi de terra post sex dierum opera Dominum procreâsse.

Quare appellavit Abraham nomen loci illius: *Dominus videt?* Nusquam est, quod Dominus non videat. Vidit pro apparuit dixit, hoc est: videri fecit, sicut ibi. *Et nunc cognovi, quia times Deum,* id est: feci, ut cognoscatur, eo genere locutionis, dum per efficientem significatur id, quod efficitur, sicut pigrum frigus dicimus, eò quod pigros facit. Illud autem, quod dixit: *unde usque hodie dicitur: Dominus in monte videbit,* B. exinde apud Hebræos exijt in proverbium, ut, si quando in angustia constituti sunt, Domini optant auxilio sublevari, dicunt: *in monte Dominus videbit*, hoc est: sicut Abrahæ miserebitur & nostri. Unde & signum dati arietis solent * etiamnum cornu clangere. 18.14

Petr. solet.

Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundò de cœlo dicens: quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me. ℣.15.

Numquid Abraham propter Angelum non pepercit suo filio, & non propter DEUM? Aut enim Angeli nomine, C. quo Christus significatus est, qui sine dubio DEUS est, & manifestè à Propheta dictus est *magni consilii Angelus.* Aut quia DEus in Angelo, & ex persona DEI Angelus loquebatur, sicut in Prophetis etiam solet. Nam in consequentibus hoc magis videtur apparere, ubi legitur: *& vocavit Angelus Domini Abraham iterum de cœlo: per memetipsum juravi dicit Dominus.* Quid est, quòd secundò ad Abraham eadem, & non aliæ promissiones fuerunt factæ? Significat duplum semen D. Abrahæ futurum esse; unum carnale; aliud spiritale. Ideo dixit ei Dominus: *sic eris semen tuum, sicut stellæ cœli, & velut arena * maris.* In stellis cœli spiritales; in arena carnales volens * intelligi. Nam quæ est in quod ait superiùs: *per memetipsum juravi, ait Dominus*, more humano loquitur. Homines enim per majores sui jurant. DEUS autem neminem sui majorem habet, & idcirco per semetipsum jurat. Sed jurare DEI est promissiones suas stabiliter firmare. Deinde quod intulit: *possidebit*

Zw. arena, littore maris. Zw. volunt

(*b*) Rom. 4. v. 20.

bit semen tuum portas inimicorum suorum, spiritaliter intelligitur. Ait enim, *possidebit semen tuum*, id est: Christus, vel fideles quique in Ecclesia, quorum tu pater eris per fidem. *Portas inimicorum*, id est: infernalia loca, quæ destructa fuerunt moriente Domino. Seu *portas* possidebit, id est: peccata, per quæ itur ad mortem. Ille enim veraciter possidet portas inimicorum, qui non subjicitur ullis suggestionibus inmundorum spirituum. At verò si quis hanc tentationem spiritaliter pleniter edifcere * voluerit, jam sæpè præfati viri libellum legere curet. Sequitur:

Zw. addiscere.

ỷ. 20. *His itaque gestis nuntiatum est Abraham, quod Melcha quoque genuisset filios Nachor, fratri suo,* & reliqua.

Cur enim nominavit filios Nachor, fratris Abrahæ? Quia de illis, vel de eorum stirpe aliquid celebre postea gestum esse legitur. Igitur Chus, de cujus Job stirpe descendit, scriptum est in exordio voluminis ejus: *vir fuit in terra Chus, Job nomine.* Malè igitur quidam æstimant Job de gente Esau. Secundus natus de Melcha Buzi *, ex cujus genere est Balam ille, divinus, ùt Hebræi tradunt, qui in libro Job dicitur Eliu, primùm vir sanctus, & Prophetes DEI, postea per inobedientiam, & desiderium munerum cæcatus, dum Israël maledicere cupit, divino vocabulo nuncupatus, diciturque in eodem libro: & iratus Heliu, filius Barachiel, Buzites, de hujus videlicet Buzi radice descendens. Camuel quoque pater est Damasci; ipsa enim vocatur Aran *, quæ hic pro Syria scripta, & ipso nomine legitur in Esaia. Carhet quoque quartus est, à quo Casadei, id est Chaldæi vocati sunt. Batuel, de quo Rebecca, & Laban, pater Liæ, & Rachel.

Pat. Buz.

Zw. Aron.

CAPUT XXIII.

ỷ. 1. **V***ixit autem Saraa centum viginti septem annis, & mortua est in civitate Arbee, quæ est Hebron, ipsa est Mambre.*

Quæritur cur una civitas tribus appellata est nominibus? Hebron proprium, & antiquum est nomen, & à gigantibus quondam condita est. Sed nonnulli Chebron per C. & H. aspirationem, sicut Cherubim legendum putant, non

A. per solum E. Lege interpretationes Hebraicorum nominum beati Hieronymi, & ita reperies; quia per Chi Græcam scribuntur. Est autem hæc civitas in campo latitudinis sito ab Ælia, id est: Hierosolymis XXII. millibus separata. Arbee verò, quod in quibusdam codicibus Arboc, sive Arbec corruptè legitur, à numero, id est: quatuor nomen habet; videlicet quia ibi quatuor Patriarchæ sepulti sunt. Adam magnus, & humani generis pater, ùt in Jesu libro apertiùs demonstratur, & Abraham, Isaac, & Jacob. Unde, sicut quidam nostris B. temporibus Hierosolymis veniens, prodente Beda, moderno Doctore, retulit, speluncam duplicem, quam emit Abraham, uno ad Orientem stadio in valle habens, ubi sepulturæ prædictorum Patriarcharum quadrato muro circumdantur, versis capitibus ad Aquilonem, & singula singulis tecta lapidibus, instar basilicæ, dolatis; trium Patriarcharum candidis, Adam obscuriori, & vilioris operis, qui haud longè ab illis ad Borealem, extremamque muri illius partem pausat. Trium quoque fœminarum minores, & viliores memoriæ cernuntur. Mambre C. namque collis mille passibus à monumentis his ad Boream, partem herbosus valde, & floridus, campestrem habens in vertice planitiem, in cujus Aquilonari parte Quercus Abrahæ duorum hominum altitudinis truncus, æde circumdata est. Sed Mambre civitas ex quodam amicorum Abrahæ sic vocata est. Et hæc est ratio, quare tribus vocabulis nominatur.

Deinde legitur, qualiter Abraham emit speluncam duplicem ab Ephron Hethæo CCCC. siclis argenti probati & monetæ publicæ, & ibi sepulta est Saraa. D. Apud Hebræos enim primum nomen Efron scribitur, secundum Efran, postquam pretio victus est, ut sepulchrum venderet, & accepit argentum licèt cogente Abraham, Vau littera, quæ apud illos pro au legitur, ablata de ejus nomine est, & pro Efron appellatus est Efran. significante Scriptura, non cum fuisse consummatæ, perfectæque virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum. Sciant igitur, qui sepulchra venditant, * & non coguntur, ut accipiant pretium sed à nolentibus quoque extorquent, immutare

Zw. vendicant.

mutare nomen suum, & perire quid de merito eorum, cùm etiam ille reprehenditur occultè, ex hoc, quod invitus acceperit.

A

Sed sciendum est, quia spelunca duplex potest significare activam vitam, & contemplativam. Abraham verò figuram gessit Doctoris. Sicli namque argentei scientiam ostendunt divinorum eloquiorum, videlicet utrorumque testamentorum. Scriptum namque est: (c) *eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum.* Unde & centenarius quater ductus plenitudinem potest designare utriusq; vitæ, quæ per scientiam divina eloquia * adimplendo emitur. Quæ non immeritò probatæ monetæ publicæ dicitur. In moneta publica & imago Regis, & nomen invenitur, & significat Decalogum Legis, ubi & cognitio DEI, & nomen Divinæ Majestatis invenitur. Sepelivit itaq; Abraham Saraam in sepulchro duplici, quia anima, quæ sæculo moritur, ut DEO vivat, geminæ vitæ requie suscipitur, id est: actione boni operis, & contemplatione Divinitatis.

B

Zw. divini eloquii.

Dicamus & manifestius non nostra inferendo, sed beati Papæ Gregorij dicta propalando. Ait enim idem prædicator egregius: quid nobis per Abrahæ duplex sepulchrum innuitur, nisi quod perfectus quisque prædicator extinctam à præsentis vitæ desiderijs animam suam sub bonæ operationis tegmine, & contemplationis abscondit, ut à carnali concupiscentia sub activa, contemplativaque vita, quasi insensibilis lateat, quæ prius mundi desideria sentiens mortaliter vivebat. Unde & per egregium prædicatorem dicitur: (d) *mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Activa quippe vita sepulchrum est, quia à pravis operibus mortuos tegit. Sed contemplativa perfectiùs sepelit; quia à cunctis mundi actionibus funditus dividit. Quisquis ergo jam in se contumelias carnis edomuit, superest, ut mentem per studia sanctæ operationis exerceat. Et quisquis jam mentem per sancta opera dilatat, superest, ut hanc usq; ad secreta intimæ contemplationis extendat. Neq; enim perfectus prædicator est, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit.

CAPUT XXIV.

Erat autem Abraham senex, dierumque multorum. ℣.1.

Ut Salomon ait: (e) *cani sunt sensus hominis* *, *& ætas senectutis vita immaculata.* Et illud: coram cano capite surge. *Petr.* homi-num.

Dixitque ad servum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat: pone manum tuam sub femore meo, ut adjurem te per Deum cœli, & terræ, & reliqua. ℣.2.

Quid vult DEus cœli ad femur Abrahæ, nisi ut cognoscatur Sacramentum? Per femur enim genus intelligitur. Ergo quæ fuit illa conjuratio, nisi quia significabatur, de genere Abrahæ venturum Christum in carne? Tradunt Hebræi, quòd in sanctificatione ejus, hoc est: circumcisione juraverit. Sed melius intelligendum est jurare eum in semine Abrahæ, hoc est: Christo; quia ipse Dominus DEUS cœli in carne venturus est, quæ de illo femore propagata est.

C

Quomodo servus Abrahæ in petitione signi augurationis vitio culpandus non est? Aliud est enim mirum aliquid petere, quod ipsum miraculum * significat; aliud est etiam humanos errores superstitiosa vanitate in auspicijs, augurationibus, & divinationibus observare, quæ quædam pacta sunt diabolicæ familiaritatis, & non sine grandi peccato fiunt, quando fiunt. Illud igitur superius petitionis genus comprobatio, & computatio fidei est ad Deum; hoc posterius infidelitatis conjunctio ad diabolum. *Zw. ipso miraculo.*

D

Quod proficiscente * Rebecca *soror nostra es, crescas in millia millium, & hæreditate obtineat semen tuum portas inimicorum suorum,* num Prophetæ fuerunt, quia hoc dixerunt, quod in futuro factum fuerat? Non Prophetæ fuerunt, aut vanitate tam magna optaverunt; sed eos, * quam promiserat DEus Abrahæ, latere non potuit. ℣.60. *deest hic aliquid in utroque Cod. suppl.* benedictio &c.

Deinde sequitur, qualiter *Isaac egressus fuerat ad meditandum in agrum.* Quæ est exercitatio Isaac, qua se exercere dicitur in campo ad vesperam? Significat autem ista exercitatio orationem secundum ℣.63.

(c) Ps.11.v.7. (d) Col.3.v.3. (e) Sap.4.v.8.

cundum illud, quod Dominus *orabat in* A. *monte.* Etiam Isaac in typo Domini fuit.

Quæ est illa terra Austri, ubi habitabat Isaac revertente servo patris sui cum Rebecca? Terra Austri Gerara significat, unde à patre ad immolandum fuerat adductus.

ỳ.65. Quid est Theristrum, quo se operuit Rebecca? Theristrum autem pallij dicitur genus etiam nunc Arabici vestimenti, quo mulieres provinciæ illius velantur.

Spiritaliter Per Abraham DEus Pater significatur; non ut DEus senescat, sed B. ipsa prophetia de Christo, & Ecclesia quasi jam per ætates senuerat. Per Isaac verò Dominus Christus, per servum autem sermo Propheticus, vel Apostolicus. De quo etiam dicitur: *qui præerat omnibus bonis Domini tui.* Quia Apostoli, qui præsules fuerunt omni Ecclesiæ DEI, omnibus virtutibus extiterunt ditati. Per camelos autem significantur hi, qui ex circumcisione crediderunt, & doctores & adjutores Apostolorum fuerunt. Qui benè decem dicuntur propter decalogum legis. Quamquam prædicatores electi ex gentibus velint quidam intelligi. Si- C. ve per camelos motus carnis intelliguntur, ùt Paulus ait: (*f*) *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ* &c. Seu etiam senior servus imaginem habuit legis, per quam sponsa Christi Ecclesia despondebatur, quam ipsa Rebecca significabat. De qua ei dicitur: *non accipies eam de filiabus Chananæorum.* Chananæi enim interpretantur: *commotio eorum*, corda videlicet instabilium. Unde Psalmista: (*g*) *non des in commotionem pedes meos.* De qua etiam subjungitur: *sin autem noluerit sequi te, non teneberis juramento.* Hoc D. est, quod Dominus ait: (*h*) *si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Quæ mulier *vespere*, hoc est: in sexta ætate juxta fontem (subintellige: baptismatis) inventa est ab Apostolis. Et *deposuit hydriam super ulnam suam*, elatam scilicet facundiam, & inclinavit se ad humilitatem; suscepitque fidei ornamenta; accepit videlicet inaures auteas, scripturarum quoque sensus, & clarum eloquium argenti. Secuta est servum, id est: sanctos prædicatores. Ecce stilo currente prælibavimus. Sed pleniùs beato Papa Gregorio exponente, ut legentibus elucescat, inserere nisi sumus.

Ait enim Abraham: *pone manum tuam sub femore meo*, & reliqua. Quid est, quòd Abraham puerum jubet sub femore suo manum ponere, & per cœli Dominum jurare, nisi quod illius caro per illud membrum descensura erat, qui & Abrahæ filius esset ex humanitate, & Dominus ex divinitate? Sic itaque dicitur puero: pone manum sub femore meo, & jura per DEum cœli; ac si apertè diceretur: tange filium meum, & jura per Dominum meum. Unde nec super femur, sed sub femore manum ponere jubetur; quia ex illo femore ille descensurus erat, qui homo quidem, sed super omnes homines veniret. Unde dignum non fuit, ut manum super femur poneret; quia nulla caro super illam carnem est, quam in redemptione nostra sibi Patris unigenitus univit.

Quid est, quod Isaac, dilecto filio uxor de filiabus Chananæorum duci prohibetur, nisi quod illi, de quo scriptum est: (*i*) *hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, nullæ reprobæ animæ conjunguntur? De cognatione autem uxorem filio deducere servus præcipitur; quia sola sancta electorum Ecclesia unigenito filio copulanda erat, quam ipse unigenitus ex prædestinatione jam, & præscientia extraneam non habebit.

Quis verò est puer, qui ad deducendam uxorem mittitur, nisi Prophetarum ordo, atque Apostolorum, omniumque Doctorum, qui dum verbum prædicationis bonis mentibus faciunt, ad unamquamque animam unigenito filio conjungendam quasi provisores fiunt? Qui *pergens secum de bonis omnibus Domini sui* detulit; quia in his, quæ de Domino loquuntur, in semetipsis virtutum divitias ostendunt, ut tanto citiùs ad sequendum DEUM pertrahant, quantò auditoribus suis in semetipsis monstrant, quæ narrant. Atque isdem puer juxta fontem stetit, atque ex præfixa sententia, quæ puella eligenda esset, proposuit; quia prædicatores sancti sacri elo-

(*f*) Rom. 7. v. 23. (*g*) Psalm. 120. v. 3. (*h*) Matth. 10. vers. 23. (*i*) Matth. 3. vers. 17.

quij fluenta considerant, atq; ex ipsis colligunt, quæ, vel quibus prædicationis suæ verba committant, & ex quibus auditoribus fiduciam certitudinis assumant. Potum verò petijt; quia prædicator omnis animam sui auditoris sitit. Sed Rebecca potum præbuit; quia sanctâ electorum Ecclesia prædicatorum suorum desiderio ex virtutis suæ fide satisfecit. Quia enim DEum, quem audivit, confessa est, prædicatori suo aquam refectionis obtulit, ejusque animum refrigeravit.

Et notandum, quod hydriam ab humero in ulnas posuit; quia illa est placita confessio, quæ à bono opere procedit. Vel certè aquam præbuit, quia in eo, quod credidit, vacua non remansit. Nam mox prædicare studuit, quod audivit, & docendo multos ex se prædicatores protulit. Aqua quippe in hydria est scientia prædicationis in mensura; quia sancta Ecclesia studet non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Et hydria aquæ in ulnis est doctrina prædicationis in opere; quæ non solùm ejus comitibus, sed potum etiam camelis præbet, quia verbum vitæ non solùm prudentibus, sed etiam stultis prædicat, juxta Pauli vocem dicentis: (k) *sapientibus, & insipientibus debitor sum.* Vel certè aqua etiam jumentis datur, quando cura carnis quomodo sit habenda, disponitur; ut ex voluptate impendi non debeat, & tamen in necessitatibus non negetur, sicut scriptum est: (l) *carnis curam ne feceritis in desiderijs vestris.* Qui enim hanc in desiderijs fieri prohibet, procul dubio in necessitate concedit juxta hoc, quod rursum dicitur: (m) *nemo carnem suam* Zw. habet. *odio * habuit, sed nutrit, & fovet eam.*

Puer autem Rebeccæ inaures, & armillas si dedit; quia prædicator quisq; & auditum sanctæ Ecclesiæ per obedientiam, & manus per bonæ operationis meritum exornat. Sed inaures duorum siclorum sunt, armillæ autem siclorum decem; quia prima virtus obedientiæ in charitate est; quæ videlicet charitas in duobus præceptis distinguitur, ut DEus, & proximus diligatur: & recta operatio ex decalogi completione perficitur, ut cum

A bona agi cœperint, mala jam nulla perpetrentur. Rebecca autem esse in domo patris sui, locum spatiosum ad manendum perhibuit; quia à priori jam populo naturæ legem sancta Ecclesia se scisse monstravit, & prædicatoris verba in amplo charitatis gremio suscepit. Doctori enim spatiosus ad manendum locus est in auditoris corde latitudo bonitatis. Unde & quibusdam dicitur: (n) *capite nos: neminem læsimus, neminem corrupimus; non angustiamini in nobis; angustiamini autem in visceribus vestris.* Ac si eis apertè diceretur: ad suscipiendam B doctrinam spatiosum locum mentis facite; sed ad cogitanda carnalia angusti remanente. Quod palearum, ac fœni plurimum haberet, indicavit; quia sancta Ecclesia verba vitæ audiens terrena stipendia prædicatoribus reddidit, quæ dum Paulus quasi pro nihilo acciperet, dixit (o) *si nos vobis spiritalia seminavimus, magnum est, si à vobis carnalia metamus?*

Frater autem Rebeccæ erat Laban, qui concitè egressus inaures & armillas sororis aspiciens, intus puerum vocavit. Quia sunt carnales qui fidelibus conjun- C cti, qui dum spiritualium dona aspiciunt in admiratione suspensi, etsi non usq; ad opera, tamen in animam usq; ad suscipiendam fidem verbum prædicationis admittunt. Quia enim bonos sæpe miraculis fulgere considerant, ea, quæ de æternitate audiunt, non recusant, quamvis sanctam electorum Ecclesiam moribus non sequentes in carnali operatione remaneant. Qui Laban paleas, fœnum, aquam, panem obtulit; sed puer, nisi causam prius conjugij obtineret, accepturum se esse recusavit. Quia sunt plerique, quia doctores suos ex tempora- D libus stipendijs continere parati sunt. Sed prædicatores sancti percipere nolunt temporalia, nisi prius obtineant æterna. Si enim in manibus factum non inveniunt, sumere stipendia corporibus contemnunt. Nec pedes aqua lavant; quia laborem sui desiderij nulla consolatione levant. Mox verò causam * conjugij domini sui Zw. conjugium. puer obtinuit, vasa aurea, atque argentea, ac vestes protulit, quas Rebeccæ dedit; quia Doctores sanctæ Ecclesiæ suis tot

(k) Rom. 1. v. 14. (l) Rom. 13. v. 14. (m) Ephes. 2. v. 30. (n) 2. Cor. 7. v. 12. (o) 1. Corinth. 9. v. 11.

tot ornamenta præbent, quot virtutum dona docuerunt. Quæ etenim prius inaures, & armillas acceperat, jam nunc vasa aurea, atque argentea, ac vestes accipit; quia sancta Ecclesia, quæ ante per fidem, obedientiam, & operationem percepit, excrescens postmodum etiam ad spiritalia dona convalescit, ut Prophetiæ spiritu, & virtutum gratia repleta, ampliatis jam muneribus discat. Puer verò matri ejus, ac fratri dona obtulit; quia gentilitas, ex quo Ecclesia ad fidem venit, post conversationem ejus in gloria temporali convaluit, sicut & nunc cernimus; quia ubique Christiani afflictionem sentiunt, & gentiles quique in terrena virtute gloriantur. Sed & fratres ejus dona percipiunt; quia hi, qui in ea fidem verbotenus tenent, sed tamen professionem suam moribus non sequentes carnaliter vivunt, benignè à fidelibus honorari solent pro eo, quòd esse fideles videntur. Mater ergò, & fratres dona percipiunt, à sorte tamen hæreditatis alieni; quia sive infideles, seu carnales, qui intra fidei professionem tenentur, ad hæreditatis æternæ sortem non veniunt, sed tamen supernæ largitatis gloriam temporaliter consequuntur.

Rebecca autem cum puellis suis virum secuta est; quia sancta Ecclesia habet secum minoris meriti animas sodales suas. Nam etsi in quibusdam per ascensum mentis in thoro contemplationis non habitet, quæ videlicet tales animæ, quasi puellæ Rebeccæ sunt, quia sequuntur moribus, sed tamen ad contemplationis thorum minimè ascendunt. Num & isdem puer quosdam habuit in comitatu; quia & cum sanctis Prophetis fuerunt quidam, qui benè viverent, & prophetiæ spiritum non haberent, & cum beatis Apostolis atque Doctoribus fuêre plerique, qui vitam moribus tenerent, at prædicationis verba non promerent. Festinus autem puer ad Dominum redit; quia prædicatores sancti cum prædicando vitam audientium obtinent, illi mox gratias reddunt, de cujus hoc munere perceperunt, ut sibi in ea operatione nil tribuant, sed auctori.

Eo autem tempore Isaac deambulabat per viam, qua ducit ad puteum, cujus nomen est viventis, & videntis. Quis

A. est vivens & videns, nisi omnipotens DEus, de puo scriptum est: *vivo ego in æternum dicit Dominus?* De quo rursum scriptum est: (p) *omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus.* Puteus verò viventis est sacræ scripturæ profunditas, quam nobis ad irrigationem mentis præbuit omnipotens DEus. Quæ est autem via, quæ ducit ad puteum viventis, & videntis, nisi humilitas passionis unigeniti, per quam nobis apertum est hoc, quod prius latenter Scripturæ sacræ fluenta loquebantur? Nisi enim Unigenitus DEI Filius incarnatus, tentatus, apprehensus, colaphis B. cæsus, sputis illitus, crucifixus, ac mortuus fuisset, nobis hujus putei, id est; Scripturæ sacræ profunditas non pateret. Quid ergo fidelibus humilitas passionis ejus facta est, nisi clavis apertionis, per quam mysterium DEI potum invenimus, ut aquam scientiæ de profundo libaremus? Incarnationem quippe, passionem, mortem, resurrectionem, atque ascensionem illius sacri eloquij paginæ loquuntur; quæ quia facta cognovimus, jam nunc intelligimus audita. Hæc autem priùs legi poterant; sed quia necdum venerat, intelligi non valebant. Unde C. & per Johannem dicitur: (q) *vicit Leo de tribu Juda aperire librum, & solvere signacula ejus.* Ipse enim librū aperuit, & signacula illius solvit, qui nascendo, moriendo, resurgendo atque ad cœlos ascendendo Scripturæ sacræ nobis arcana patefecit. Et notandum, quòd non dicitur: *ambulabat per viam, quæ ducit ad puteum; sed deambulabat.* Deambulat quippe, qui viam, per quam ambulat, eundo, & redeundo conculcat. In humilitate autem passionis Dominus deambulavit; quia modò à Judæis verborum contumelias, modò contra se falsum testimonium, modò D. alapas, modò sputa, modò spineam coronam, modò crucem tolerando sustinuit. Deambulâsse ergo in humilitate passionis est, tot adversitates, & probra diversis modis iterando pertulisse.

Qui Isaac, Rebecca veniente *in terra australi habitat;* quia unigenitus Dominus, ac Redemptor noster, veniente ad se Ecclesia in illorum mentibus mansit, quos ex Judæa editos non torporis frigus, sed fervor charitatis tenuit. Ex illo quippe populo Anna prophetissa, ex illo Simeon

(p) Hebr. 4. v. 13. (q) Apoc. 5. v. 9.

Simeon extitit, qui in ulnas Dominum accepit. Egressus autem fuerat ad meditandum in agro. Quia ager mundus accipitur, ipse per se Dominus exponit dicens: (r) *ager autem est Mundus.* Qui in hoc expressus est, quod visibilis apparere dignatus est, sicut scriptum est: (s) *existi in salutem populi tui, ut salvos facias Christos tuos.* Solent autem exerti juvenes in armorum usum meditari. Isaac ergo ad meditandum in agro exijt; quia Redemptor se sequentibus formam humilitatis præbens per exercitium longanimitatis suæ passionis in se, & patientiæ exempla monstravit. Meditatio quippe armorum est frequentia passionum. Qui enim verbera manuum, lanceam, crucem pertulit, passionem suam usque ad mortem in se frequentare permisit. Passiones verò arma dicimus; quia per ipsas ab adversario occulto liberamur, sicut per se ipsum Dominus dicit: (t) *in patientia vestra possidebitis animas vestras.* Qui ad meditandum in agro inclinata jam die exiit; quia passionum exercitia juxta finem mundi suscepit, sicut per Psamistam de crucifixionis suæ expressione loquitur dicens: (u) *elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Quid est autem, quod Rebecca ad Isaac dorso cameli deducitur, nisi quod per Rebeccam, sicut præfati sumus, Ecclesia, & per camelum, cui præsedit, tortus motibus, atque onustus idolorum cultibus gentilium populus designatur? Qui enim ex semetipsis sibi invenerunt Deos, quos colerent, quasi à semetipsis eis onus in dorso excreverat, quod portarent. Rebecca ergo ad Isaac veniens dorso cameli deducitur; quia ad Christum ex gentilitate Ecclesia properans intortis, vitiosisq; vitæ veteris conversationibus invenitur. Quæ ut Isaac vidit, de camelo descendit; quia sancta Ecclesia, quantò Redemptorem suum subtiliùs agnoscit, tantò carnalis vitæ studia humiliùs deserit, atque in semetipsam tortitudini vitiosæ contradicit. Isaac igitur viso descendit; quia Domino cognito vitia sua gentilitas deseruit, & ab elatione celsitudinis ima humilitatis petijt.

Quid est autem, quod Isaac in camelum sedens Rebecca conspexit, nisi

A. quòd ad Redemptorem suum Ecclesia ex gentibus veniens, dum adhuc vitijs esset innixa, & necdum spiritalibus, sed animalibus motibus inhæreret, accessit? Nec movere debet, quod puer quoque cum camelis venerat, in quibus sui domini divitias ferebat. Quia ipsi quoque prædicatores sancti, quamvis jam ad superiora intelligenda, atque proferenda & intellectu, & vita emicent, adhuc tamen in semetipsis contradictionem carnis sentiunt. Nam vident aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivantem in lege peccati. Et divi-

B. tias in camelis portant, quia, ne magnitudo revelationum extollat eos datur eis stimulus carnis suæ. Habent enim thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis * DEI, & non eis. Qui ergo per carnem cœlestia loquuntur, & tamen adhuc in carne contradictionem de vitio sentiunt, quid aliud quam super tortuosa camelorum dorsa divitias ferunt? *Petr. virtus*

Rebecca verò Isaac viso, quis ille homo sit, requisito puero cognoscit; quia cotidie sancta Ecclesia adhuc per Prophetarum, atque Apostolorum dicta, quid

C. de Redemptore suo credere debeat, intelligit. Quæ sese mox pallio operuit; quia quantò subtiliùs Salvatoris sui mysteria penetrat, tantò altius de anteacta vita confunditur, & quia peverse egerit, verecundatur. Pallio se operire curavit; quia viso Domino infirmitatem suæ actionis erubuit, & illa, quæ priùs in camelo liberè gestabatur, descendens, postea verecundia tegitur. Unde eidem Ecclesiæ à priori elatione conversæ per Apostolicam vocem, quasi Rebeccæ de camelo descendenti, sibique pallium superducenti dicitur: (x) *quem enim*

D. *fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?*

Quam Isaac in tabernaculo suæ matris introduxit, atque uxorem accepit; quia loco Synagogæ Dominus, ex qua per carnem natus est, sanctam Ecclesiam diligit, eamque sibi in amore, & contemplatione conjungit; ut quæ priùs proxima ex cognatione, id est: cognita per prædestinationem fuerat, postmodum jam conjuncta in amore continuo uxor fiat. Quam

(r) Matth. 6. v. 38. (s) Hab. 3. v. 13. (t) Lucæ 21. v. 19. (u) Psalm. 140. v. 2. (x) Rom. 6. v. 21.

Quam in tantum dilexit, ut dolorem, qui ex morte matris accesserat, temperaret. Quia ex lucro sanctæ Ecclesiæ Redemptor noster eam, quæ ex perditione Synagogæ accidere potuit, tristitiam detersit dum enim Rebecca conjungitur, dolor de matris morte amputatur. Quia dum sancta Ecclesia ex gentilitate veniens, usq; ad thorum contemplationis perducitur, Judæa pro nihilo habetur.

Zw. Interpretariq; Interpretari, quoq; * ipsa eorum nomina curamus. Isaac risus: Rebecca autem patientia dicitur. Risus verò ex lætitia est; patientia autem de tribulatione. Et quamvis sancta Ecclesia jam cœlestis sit gaudij contemplatione suspensa, habet tamen adhuc, quod tristis * de mortalis carnis pondere toleret. Isaac verò & Rebecca jungitur, id est: risus & patientia permiscetur *; quia fit in sancta Ecclesia hoc, quod scriptum est: (7) *spe autem gaudentes, in tribulatione patientes;* ut hanc & prospera de contemplatione lætificent, & adhuc adversa de tribulatione perturbent.

Pw. triste.

Zw. miscetur.

CAPUT XXV.

ỷ.1. DEinde sequitur, qualiter Abraham mortua Saraa aliam, videlicet Cethuram duxerit uxorem. Cur Abraham post promissum sibi, & natum Isaac, in quo ei multiplicatio prolis, & benedictio gentium promissa est à DEO, aliam voluit ducere uxorem? Non propter incontinentiam, cùm etiam esset grandævus; sed sicut Agar, & Ismaël significant carnales veteris testamenti, sic & Cethura, & filij ejus significant hæreticos, qui se existimant pertinere ad novum Testamentum. Sed utraq; *concubina* dicuntur. Sic enim dicitur:

ỷ.6. *Filiis autem concubinarum largitus est munera.* Sola Saraa semper *uxor* vocatur. Quæ est ista Cethura, aut unde genus duxit? Cethura interpretatur *copulata*, aut *vita*, quam ob causam suspicantur Hebræi eandem esse Agar, quæ Saraa mortua de concubina transiret in uxorem. Et videtur depositi jam Abrahæ excusari ætas, ne senex post mortem uxoris vetulæ novis arguatur nuptijs lasciviisse. Fer-

(7) Rom. 12. v. 12.

A. tur quoque, quia filii Abrahæ, qui ei de Cethura nati sunt, occupaverunt Arabiam usque ad maris rubri littora. Dicitur autem unus ex posteris Abrahæ, qui appellabatur Asser, duxisse adversus Libyam exercitum, & ibi victis hostibus consedisse, ejusque posteros ex nomine Atavi Africam nuncupâsse. Alios quoq; filios Abrahæ ex Cethura occupâsse Indiæ regiones æstimatur.* Zw. æstimant.

ỷ.8. Hinc sequitur, qualiter Abraham deficiens mortuus est. Quomodo convenit Abrahæ, tam sancto viro: *& deficiens mortuus* est? In Hebræo non habe-

B. tur: *deficiens*, sed à LXX. interpretibus additum est. Quid est, quòd *plenus dierum* dicitur? Id est: lucis, & diei operibus plenus occubuit.

Quid est, quod dicit Scriptura de filijs Ismaël: *habitaverunt ab Evila usque Sur, quæ est contra faciem Ægypti?* Evila est regio, quam circuit Phison de Paradiso fluens, dicta de quodam Evila, nepote Noë, & est solitudo contra faciem Ægypti. Sur quoque est solitudo inter Cades, & Barad, extendens desertum usque ad mare rubrum, & Ægypti confinia. ỷ.12.

C. Quid est, quod dicitur de Ismaële, quod duodecim generâsset Principes? Vel Duces regionibus, vel tribubus nomina dederunt. Significat, quòd singuli filiorum Ismaëlis è quibus primogenitus ejus fuit Nabejoth, à quo omnis regio ab Euphrate usq; ad mare rubrum Nabathena usque hodie dicitur, quæ pars Arabiæ est. Nam & familiæ eorum, oppidaque, & pagi, ac munita castella, & tribus horum appellatione celebrantur. Ab uno ex his Cedar in deserto Eoduma, alia regio, & Hemana ad Austrum, & Cedema ad Orientalem plagam dici-

D. tur. ỷ.16.

Quid est, quod dicitur de Ismaële: *coram omnibus fratribus suis obiit*, vel qui sunt *fratris* nomine censiti? id est: in manibus omnium filiorum suorum mortuus est, superstitibus omnium liberis, & nullo prius morte prærepto. Fratres autem pro filijs appellari, Jacob quoque ad Laban demonstrat dicens: *ponatur coram fratribus nostris, ut judicent inter nos.* Nec enim legimus alios fratres Jacob ibi habere, exceptis liberis suis. ỷ.18.

Quæ-

ỳ.22. Quæritur, quo ierit Rebecca *inter-* A. *rogare Dominum, cùm parvuli in utero ejus collidebantur?* Fortè ad locum, ubi aram constitutam constituerat Abraham, orare venit, vel etiam erant aliqui tales etiam illo tempore homines DEI, in quibus posset DEUS interrogari.

ỳ.23. An secundum historiam, vel etiam allegoriam intelligendum est, quod Dominus respondit Rebeccæ: *duæ gentes in utero tuo sunt, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & major serviet minori?* Secundum utrumque modum. Spiritaliter verò sic solet intelligi, quod dictum est; ut Esau B. figuratus sit major populus DEI, hoc est: Israëliticus secundum carnem. Per Jacob autem figuratur Christus in populo Christiano secundum spiritalem progeniem propagatus. Sed etiam historica proprietate hoc responsum invenitur esse completum, ubi populus Israël, hoc est: Jacob minor filius superavit Idumæos, id est: gentem, quam propagavit Esau, eosque fecerunt tributarios per David. Sed postea Idumæi rebellaverunt, & jugum Israëliticum à cervice sua deposuerunt.

ỳ.21. Sed requirendum est: quid est, quod superius dicitur: *deprecatusque est Isaac* C. *Dominum pro uxore sua, eò quòd esset sterilis*, & reliqua?

Ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotente DEO disposita; ut ad hoc electi ex labore orationis * perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis Omnipotens DEUS ante sæcula disposuit donare. Quòd verò ita sit, concitè valet probari. Certè etenim novimus, quia ad Abraham Dominus dixit: *In Isaac vocabitur tibi semen.* Cui etiam dixerat: D. *patrem multarum gentium constitui te.* Cui rursum promisit * dicens: *benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* Ex qua re apertè constat, quia omnipotens DEus semen Abrahæ multiplicare per Isaac prædestinaverat. Et tamen scriptum est: *deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eò quod esset sterilis. Qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.* Si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Isaac prædestinata fuit, cur conjugem sterilem accepit? Sed nimirum constat, quia prædestinatio precibus impletur; quando is, in quo DEUS multiplicari semen Abrahæ prædestinaverat, oratione obtinuit, ut filios habere potuisset.

orationis deest in Petr.

Zw. respondit.

Factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola; Jacob autem vir simplex habitavit in tabernaculis. ỳ.24. Vel sicut in alia translatione dicitur: *habitabat domi.*

Quid per venationem Esau, nisi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus fusi carnem sequuntur? Qui etiam agricola esse describitur; quia amatores hujus sæculi tanto magis exteriora incolunt; quantò interiora sua inculta derelinquunt. Jacob verò simplex in tabernaculis, vel in domo habitare perhibetur. Quia nimirum omnes, qui in curis exterioribus spargi refugiunt, simplices in cognitione, atque in conscientiæ suæ habitatione consistunt. In tabernaculis enim, aut in domo habitare est, se intra mentis secreta restringere, & nequaquam exterius per desideria dissipare; ne, dum ad multa foras inhiant, à se ipsis alienati * cogitationibus recedant. *Zw. alienatis.*

Denique sequitur, qualiter Esau ỳ.31.32.33. primogenita sua propter lentis edulium Jacob vendidit. Quæ sunt primogenita, quæ Esau vendidit Jacob fratri suo? Tradunt Hebræi, omnes primogenitos fungi officio sacerdotum, antequam Aaron in sacerdotium eligeretur, & habuisse vestimentum sacerdotale, quibus induti victimas offerebant, & hæc esse vestimenta Esau, quibus Rebecca induit Jacob filium suum, quorum odore pater delectatus benedictionis initium adstruit. Et hæc sunt primogenita, quæ propter vitium gulæ perdidit. Sed sciendum est, quia quinque nos modis gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit; aliquando verò tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit. Aliquando quælibet sumenda sint, præparari accuratiùs expetit. Aliquando autem & qualitati ciborum, & tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit. Nonnunquam verò & abjectius est, quod desiderat, & tamen ipso æstu immensi desiderii deteriùs peccat. Quæ vitiorum tem-

tempora meliùs ostendimus, si hæc exemplis evidentioribus approbemus. Mortis quippe sententiam patris ore Jonathan meruit, quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit. Et ex Ægypto populus eductus in eremo occubuit, quia despecto manna cibos carnium petijt, quos lautiores putavit. Et prima filiorum Heli culpa suborta est, quòd ex eorum voto Sacerdotis puer non antiquo more coctas vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas quæreret, quas accuratiùs exhiberet. Et cùm ad Hierusalem dicitur: (z) *hæc fuit iniquitas Sodomæ, sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia aquæ*, apertè ostenditur, quòd idcirco salutem perdidit, quia cum superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit. Hinc primogenitorum gloriam Esau amisit; quia magno æstu desiderabilem cibum, id est: lenticulam concupivit, quam, dum venditis etiam primogenitis prætulit, quo in illa appetitu anhelaret, indicavit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Unde & lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. Hic quippe, quem diximus, primatum per lenticulam perdidit, & Elias in Eremo virtutem corporis carnes edendo servavit. Unde & antiquus hostis, quia non cibum, sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit, & primum sibi hominem non carne, sed pomo subdidit, & secundum non carne, sed pane tentavit, hinc est, quod plerumque Adam culpa committitur, etiam cùm abjecta, & vilia sumuntur. Neque enim Adam solus, ut à vetito se pomo suspenderet, præceptum prohibitionis accepit.

CAPUT XXVI.

CAPUT XXVII.

Pez. Hic item posita.

HIc interposita * est historia. Si viri justi voluntas bona est, quid est, quod Isaac non Esau, quem voluit, sed Jacob, quem noluit, benedixit?

Justi hominis, quantum ad conscientiam pertinet, voluntas bona est; quantum autem ad præscientiam, in multis est ab adversis. DEus enim solus est, qui de

A. futuris judicat. Ac per hoc Isaac justus, quantum ad præsentem humanitatem dignum est, majorem filium à se benedicendum magis putabat. Sed DEus, qui occultorum cognitor est, minorem benedictionem mereri ostendit; ut in benedictione non hominis ostenderet esse benedictionem, sed DEI. Ideo dictum est in Numeris ad Moysen, & Aaron sacerdotes: (a) *ponite nomen meum super filios Israël: ego Dominus benedicam eos.* Sacerdotis est benedicere; DEI est effectum tribuere benedictionis. Unde intellexit Isaac per spiritum Prophetiæ, à DEO benedictionem super minorem filium prædestinatam.

B.

Dixit: *benedixi ei, & erit benedictus.* Spiritaliter verò Isaac Judaicum populum designavit, qui caligans oculis, & prophetans in præsenti filium non vidit, cui tamen multa in posterum prævidit. Quia nimirum Judaicus populus prophetiæ spiritu plenus, & cæcus, eum, de quo multa in futuro prædixit, in præsenti positum non agnovit. Qui etiam ad damnationis suæ cumulum eum, quem natum despiciunt, nasciturum longè ante præsciverunt, sed etiam, ubi nasceretur. Nam ab Herode C. requisiti locum nativitatis ejus exprimunt, videlicet Betlehem; ut ipsa eorum scientia & illis fieret ad testimonium damnationis, & nobis ad adjutorium credulitatis. v. 33.

Sevit autem Isaac in terra illa, & invenit in ipso anno centuplum. cap. 26. v. 12. 13.

Licèt in aliena terra seminaverit, non puto, quòd tanta ei fertilitas frugum fuerit. Unde melius puto illud esse, quod habetur in Hebræo, & Aquila quoque transtulit: *& invenit in anno illo centuplum æstimatum.* Tacens enim Scriptura genus frugum, quod centuplicaverat, videtur mihi cunctarum in illo virtutum ostendisse multi-D. plicationem. Denique sequitur: *& benedixit ei Dominus, & magnificatus est vir, & ambulabat videns, & magnificatus est, donec magnus fieret vehementer.* Fertilitas autem, & multiplicatio hordei, ignoro, si quem possit facere gloriosum. Verùm in quibusdam codicibus invenitur: *seminavit post hæc hordeum, & invenit centuplum.* Quod hordeum seminat, & non frumentum, & tamen benedicitur in eo, & magnus efficitur, apparet, quod nondum erat magnus; sed postea, quàm semi-

(z) Ezech. 16. v. 49. (a) Num. 6. v. 27.

seminavit, & collegit centuplum, tunc factus est magnus valde. Hordeum quippe jumentorum maximè cibus est, & servorum. Nam Isaac significat sermonem DEI. Qui sermo in lege hordeum seminat, in Evangeliis triticum. Ille enim cibus perfectioribus, & spiritalibus; hic imperitioribus, & animalibus paratus est; quia scriptum est: (b) *homines, & jumenta salvos facias Domine*. Et tamen in ipso hordeo invenit centesimum fructum. Invenis enim in lege martyres, quorum est centesimus fructus. Seminavit hordeum, legem videlicet exponendo, & manifestavit, quod lex spiritalis est. Tunc seminavit triticum, Evangelicam videlicet prædicationem. Inde est, quòd priùs quinque millia hominum de quinque panibus; deinde quòd quatuor millia de septem panibus saturavit.

ib. ỳ. 17. Deinde *venit in valle Geraris, & habitavit ibi*. Pro valle *torrentem* habet in Hebræo. Neque enim Isaac habitare poterat in valle. Habitavit autem in torrente, postquam magnus factus est. De quo scriptum est: (c) *de torrente in via bibet*. De quo etiam Elias bibit. Sed quia Elias non erat perfectus, ùt Christus, ideo torrens ille aruit. Dominus verò noster etiam in torrente traditus est, dedicans regenerationem nostram, & Baptismi sacramentum.

ib. ỳ. 23. 24. Porro quibusdam interpositis sequitur historia, quòd *ascendit ab illo loco in Bersabee, ubi apparuit ei Dominus in ipsa nocte*, & reliqua usquequo ait: *ad quem locum cùm venissent Abimelech, & Ochoza, amici illius, & Ficol Dux militum*, &c. Et ait: *ego sum DEus Abraham patris tui*.

ỳ. 25. Ac si diceret: dum patris tui DEus sum, misericors ero tui, sicut & illorum. Cæterum Isaac spiritaliter Dominus scilicet noster *extendit tabernaculum*, id est: Ecclesiam. *Præcepitque servis suis*, id est Apostolis, *ut foderent puteum*, id est: doctrinam Apostolicam; *propriis manibus*, videlicet propriis scriptionibus. Sed quid diversi putei Isaac, quos foderunt pueri ejus, significent, jam sæpe præfati viri liber indicat, si quis nosse gestierit. Sequitur:

(b) Ps. 35. v. 7. (c) Ps. 109. v. 7.

A. *Ad quem locum cùm venisset Abimelech, & Ochoza amici illius, & Ficol, dux militum, locutus est eis Isaac*, & reliqua. ỳ. 26.

Sciendum est autem, quòd Abimelech iste, quem diximus significare superiùs Philosophos, & studiosos quosque, qui per eruditionem Philosophiæ multa etiam ex veritate comprehenderunt, non semper habuit pacem cum Isaac; sed aliquando dissidet, aliquando pacem requirit. Neque enim Philosophi semper cum verbo DEI consentiunt, nec semper contrarij sunt. Multi enim Philosophi unum DEUM esse, qui cuncta B. creaverit, scribunt. Nonnulli etiam hoc addiderunt, quod cuncta per verbum suum fecerit, & verbū Dei sit, quod cuncta moderetur. In hoc cum lege, & Evangelio consentiunt. Dissident verò à nobis, cùm dicunt, DEO coæternam materiam esse, cum negant DEUM curare mortalia, sed providentiam illius supra Lunaris globi spatium cohiberi, cùm nascentes stellarum cursibus pendunt. Dissident, cùm perpetuum dicunt hunc Mundum, & nullo fine claudendum. Sunt & alia, in quibus dissident, & concordant. Et ideo Abimelech secundum hanc figuram ali-C. quando in pace esse cum Isaac, aliquando dissidere describitur. * Sed non otiosè scribitur, quod duo alij cum Abimelech venerint, id est: Ochoza gener ejus, & Ficol dux militum. Interpretatur autem Ochoza *tenens*, & Ficol *os omnium*. Ipse autem Abimelech *pater meus Rex*. Qui tres, sicut longè superiùs ostendimus, imaginem totius Philosophiæ tenent, quæ apud eos in tres partes dividitur, Logicam, Physicam, Ethicam, id est: rationalem, naturalem, & moralem. Rationalis est, quæ DEUM Patrem omnium confitetur, ùt est Abimelech. Naturalis est D. illa, quæ fixa est, & tenet omnia velut naturæ illius viribus nitens, quam profitetur Ochoza, qui dicitur *tenens*. Moralis est, qui in ore est omnium, & ad omnes pertinet, & pro communium similitudine præceptorum in omnium ore versatur, quam designat iste Ficol, qui os omnium interpretatur. Hi ergo omnes in hujuscemodi institutionibus instituti veniunt ad legem, & dicunt: *vidimus tecum esse Dominum, & idcirco diximus: fit juramentum inter nos*, & reliqua usque: ỳ. 29.

Fort. præscribitur.

sed

℣. 29. *sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini.*

Possunt quidem isti tres, qui pacem requirunt à verbo DEI, & pervenire cupiunt pacto, & societati ejus, figuram tenere trium Magorum, qui ex orientis partibus veniunt, eruditi paternis libris, & institutione majorum, & dicunt: quia videntes vidimus natum Regem, & vidimus, quia DEUS est cum illo, & venimus adorare eum. Istiusmodi accedens ad Legem DEI necessario dicit: (d) *juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Sed dum petunt: *ut non facias nobis quidquam mali*, & reliqua, re-
Zw. hoc. missionem peccatorum per hæc * deposcere videntur, & ne recipiant mala, benedictionem postulant, non retributionem.

℣. 30. *Et fecit illis convivium.* Certum est enim, quia qui ministrat verbum, sapientibus, & insipientibus debitor est.

CAPUT XXVII.

℣. 42. D*ixitque Rebecca ad Jacob: audivi, quòd frater tuus Esau minatur occidere te.*

Quæritur: quomodo annuntiata sunt verba Esau Rebeccæ, quibus comminatus est occidere fratrem suum; cùm Scriptura dicat, hoc eum in sua cogitatione dixisse? Nisi quia hic nobis datur
Zw. eis. intelligere, quòd divinitus ei * revelabantur omnia.

CAPUT XXVIII.

℣. 11. & seq. INde sequitur, qualiter Jacob in itinere dormiens, lapidem capiti suo supposuit, & obdormivit, & vidit scalam à terra cœlo inhærentem, innixum scalæ Dominum, ascendentes quoque, & descendentes Angelos conspexit. In itinere quippe dormire est, in hoc præsentis vitæ transitu ab rerum temporalium amore quiescere, & ab appetitu visibilium mentis oculos claudere. Angelos verò ascendentes, & descendentes cernere est, cives cœlestis patriæ contemplari, vel quanto amore conditori suo super semetipsos inhæreant, vel quanta compassione charitatis nostris infirmitati-

A. bus condescendant. Et notandum valde est, quòd ille dormiens Angelos videt, & in lapide caput ponit. Quia nimirum ipse ab exterioribus operibus cessans, interna penetrat, qui intenta mente, quod principale est hominis, imitationem sui Redemptoris observat. Caput quippe in lapide ponere, est mente Christo inhærere.

Quid est, quod Jacob dixit: *terribilis est locus iste. Non est hic aliud, nisi domus DEI, & porta cœli?* ℣. 17.

Hæc verba ad prophetiam pertinent, quod futurum erat in terra repromissio-
B. nis DEUM verum timere, & colere, tabernaculumque ei fieri, eumque, qui est super omnia benedictus DEUS, pedibus suis ambulare in ea. Portam cœli autem sic intelligere debemus, tanquam inde fiat aditus credentibus ad capessendum regnum cœlorum.

Cur Jacob oleum fudit super lapidem, quem erexit in titulum? ℣. 18.

Non idololatriæ fecit simile. Non enim vel tunc, vel postea frequentavit lapidem adorando, aut ei sacrificando; sed signum fuit in prophetia evidentissima constitutum, quæ pertinet ad unctio-
C. nem. Unde Christi nomen à Chrismate est. Prodamus manifestiùs per singula.

Viditque Dominum Jacob innixum scalæ, dicentem sibi: ego sum Deus Abraham, patris tui, & Deus Isaac. Terram, in qua dormis, tibi dabo. ℣. 13. 14.

Subauditur: in spe, *& semini tuo,* in re. Id est: Christo juxta illud: (e) *postula à me, & dabo tibi gentes.* Vel semen illius Apostoli designantur. *Eritque germen tuum*, id est: fideles, *sicut pulvis terræ*, præ multitudine * subauditur, *dilataberis ad Occidentem, & Orientem, &* Zw. magnitudine.
septentrionem, & meridiem. Quod impletum videmus; quia in quatuor partibus Mundi Ecclesia Christi est dilatata. *Et benedicentur in te*, id est: in Christo, quem tu præfiguras, *& in semine tuo,* hoc est: in Apostolis, *cunctæ tribus terræ*, id est: omnes nationes terræ.

Et ero custos tuus, quocunque perrexeris. ℣. 15. Quia DEUS Pater custodivit eum, vel corpus ipsius, quod est Ecclesia. *Et reducam te in terram hanc*; juxta quod Paulus

(d) Ps. 118. v. 106. (e) Ps. 2. v. 8.

Paulus ait: (f) *caecitas ex parte conti-
gic in Israel. Cùm autem plenitudo tem-
poris introierit, tunc omnis Israël salvus
fiet.*

ỳ.16. *Cumq; evigilasset Jacob de somno, ait: verè Dominus est in loco isto.*

Prophetando dixit, sicut jam manifestè demonstravimus. Quia futurum erat, ut Dominus in eadem terra visibiliter appareret. *Et ego nesciebam.* Hoc ex persona Judaici populi dixit, qui nescierunt Christum pro salute Mundi in terris advenisse. Sequitur:

ỳ.19. *Appellavitque nomen urbis Bethel.*

Quæ interpretatur: *Domus DEI.* Significat Ecclesiam, quæ Domus DEI est. *Quæ priùs Luza vocabatur*, quæ interpretatur: *amygdalum.* Significat Judæam. Sicut amygdalus enim ante omnes arbores folia emittit; ita & Judæa ante omnes gentes notitiam DEI, & legis habuit, & quasi fide floruit, & sicut quidem poma amygdali tria continent in se, hoc est: corium, testam, & nucleum; ita sacra Scriptura, quam Judæa plebs percepit, trinam continet in se intelligentiam, id est: Physicam, Ethicam, & Logicam, hoc est: historialem, allegoricam, & moralem significationem.

CAPUT XXIX.

ỳ.1. P*Rofectus ergo Jacob*; id est: Dominus JEsus Christus, cujus typum tenuit in hoc loco, *ad terram Orientalem*; hoc est: ad populum Judæorum, qui videbantur notitiam legis, & DEI habere, de quo Propheta ait: (g) *ecce vir, oriens nomen ejus.*

ỳ.2. *Et vidit puteum in agro.* Profunditatem videlicet Scripturarum in populo Judaico, seu gratiam Baptismi in libris legis, & Prophetarum præfiguratam. *Tresque greges ovium accubantes juxta eum.* Quia Judaicus populus tripliciter divisus erat, id est: in Pharisæis, & Saducæis, & populo vulgari. *Nam ex illo pecora adaquabantur.* Id est: Judæi in bonis terræ sperantes, qui dictis veteris testamenti instruebantur; vel Patres antiqui, qui Baptismum in libris legis, & Prophetarum * intelligentes. *Et os ejus grandi lapide claudebatur.* Lapis enim Christum,

* *Sc. non intel.*

(f) Rom. 11. v. 25. (g) Zach. 6. v. 12.

A. qui occultabatur incredulis, vel duritiam legis, qua spiritalis intelligentia, vel gratia Baptismi celabatur, significat.

Morisque erat, ut cunctis ovibus congregatis devolverent lapidem. ỳ.3.

Quia cum plenitudo temporis advenit, ut per Unigenitum genus humanum salvaretur, ipse revelare dignatus est, & tunc duritia legis manifestata est. Scriptum namque est: (h) *tunc aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas. Et refectis gregibus*: hoc est: credentibus fidelibus. *Rursum super os putei ponerent.* Quia gentibus credentibus Judæi in sua

B. infidelitate permanserunt, & neq; Christum, neque profunditatem Scripturarum intelligunt.

Dixitque Jacob pastoribus: adhuc multum tempus diei superest. ỳ.7.

Quomodo Dominus ista loquitur prædicatoribus: videlicet, quia multum spatium est amodo usque ad futuram resurrectionem, quod spatium diei non immerito comparatur; quia modò licet in claritate fidei consistentes bona usque ad finem sæculi operari. Nec tempus est, ut ad caulas greges, id est: ad mansiones cœlestes; quia priùs perfectè fideles

C. instruendi sunt cognitione fidei. Unde & subditur: *date ante potum ovibus.* Scilicet, ac si dicatur: instruite simpliciter simplices, & sic ad pastum, hoc est: ad meditationem Scripturarum reducite.

Qui responderunt: non possumus, donec omnia pecora congregentur, & amoveamus lapidem de ore putei, ut adaquemus greges. ỳ.8.

Benè quidem ajunt: *non possumus, donec omnia pecora congregentur.* Quia antiqui prædicatores nec profunditatem Scripturarum, nec gratiam Baptismi alus

D. pandere potuerunt, donec adveniret tempus, quo omnes gentes per Christum ad profunditatem Scripturarum, & ad fontem Baptismi aggregarentur.

Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui. Nam gregem ipsa pascebat. ỳ.9.

Potest enim per Rachel, quæ *ovis* interpretatur, Ecclesia significari, quæ pavit olim, & pascit modò populum Catholicum, quæ cum fidelibus venit ad Christum.

(h) Luc. 24. v. 45.

Quam

℣.10. *Quam cùm vidisset Jacob*, Dominus A. scilicet verus *supplantator*; *& sciret consobrinam suam*, Ecclesiam videlicet de gentibus collectam, quæ filia extitit Synagogæ, quæ est soror unici Filii DEI Patris, cujus filia dicitur esse per gratiam. *Oves Laban, avunculi sui*, id est: gentilis populi, ex quo processit priùs Synagoga Judæorum, de qua Dominus carnem assumere dignatus est. Quamquam Laban divinam significet gratiam, cujus oves sunt omnes electi. Amovit lapidem, quo puteus claudebatur. Id est: duritiam legis, qua spiritalis intelligentia claudebatur.

℣.11. *Et adaquato grege.* Refecto videlicet populo fideli ex profunditate Scripturarum, seu renato fonte Baptismatis. *Osculatus est eam.* Quia postea reconciliatus est Ecclesiam suam. *Elevataque voce flevit.* Flevit, quia misertus est generis humani.

℣.12. *Et indicavit ei, quòd frater esset patris ejus, & filius Rebecca.*

Benè ait: *& indicavit, quòd frater esset patris ejus, & filius Rebecca.* Quia ex stirpe Patriarcharum, & ex Synagoga Judæorum Dominus incarnari dignatus est: *At illa festinans nuntiavit patri* C. *suo.* Quia Ecclesia non extitit contenta solummodo propria salute, sed gentibus, atque sapientibus hujus mundi prædicare studuit.

℣.13. *Qui cùm audisset venisse Jacob, filium sororis suæ, cucurrit* gressibus fidei, & amplexatus est eum brachiis dilectionis, & fidei, *& in oscula ruens*, videlicet societatem reconciliationis promeruit, & charitatis. *Duxit in domum suam.* Quia hospitium mentis ei præparavit per fidem, ut in ipso habitare dignaretur, juxta quod ipse ait per Prophetam: (*i*) *& inhabitabo, inambulabo in eis, eroque eis pater, & ipsi* D. *erunt mihi in filios dicit Dominus.*

Deinde jam sequitur, quatenus Jacob serviendo apud Laban duas accepit uxores, hoc est: primò Liam; secundò Rachel, pro qua servivit septem annis aliis. Sed animadvertendum est, quia nunc quidam malè æstimant, post septem annos alios eam accepit uxorem; sed post septem dies nuptiarum primæ uxoris.

℣.30. Nam sequitur: *& ingressus est ad Rachel, & dilexit Rachel magis, quàm Liam, &* A. *servivit ei septem annis aliis.* Inde sibi accepit Liæ ancillam, nomine zelfam, & ancilla Rachelis Balam ex quibus quatuor genuit duodecim filios, & unam filiam. De Lia scilicet genuit Ruben, Simeon, Levi, Judam, Isachar, Zabulon. De Rachel autem Joseph, & Benjamin. De Bala ancilla Rachelis Dan, & Neptalim. De Zelfa, ancilla Liæ, Gad, & Aser. Hi sunt duodecim filii Israël Patriarchæ.

Sed antequam inde * longius stilum *Par. in.* vertamus, libet istorum propter compendium lectionis etymologias nominum pariter dicere; ut compendioso ser- B. mone ostendamus legentibus, quid in suis vocabulis resonant. Nam ex causis propriis nomina propria acceperunt; ut aut futuris quibusdam, aut præcedentibus eorum causis conveniant. Verùm manente in eis spiritali sacramento, nunc priùs tantùm ad litteram interpretationes historiæ prosequimur; ut postea valeamus manifestiùs spiritales eorum significationes depromere. Jacob quippe interpretatur *supplantator*, sive quod in ortu plantam nascentis fratris apprehenderit; sive quòd postea fratrem arte deceperit. Unde & Esau dixit: *juste vocatum est nomen ejus Jacob; supplantavit enim me en altera vice.* Lia interpretatur *Laboriosa*, utique generando. Plures enim dolores, quam Rachel, fœcunditate pariendi experta est. Rachel interpretatur *ovis*. Pro ea enim Jacob pavit primùm oves Laban.

Et videbantur ei pauci dies. ℣.20.

Quid est hoc, cùm magis breve tempus longum esse soleat amantibus? Sed dictum est propter laborem servitutis, quem facilem, & levem amor faciebat.

Ruben *videns filium*, vel *filius visionis*. Sic enim, quando eum peperit Lia, vocavit nomen ejus Ruben dicens: *vidit DEus humilitatem meam.* Simeon *auditio*, vel *exauditus*; Sic enim dixit Lia, quando eum peperit; *quia exaudivit me DEus.* Nonnulli enim interpretantur: *audivit tristitiam*, vel nomen habitaculi, quod spiritaliter congruit. Levi *additus*, vel *assumptus*. Dixit enim Lia, quando eum genuit non ambigens de amore viri: *nunc mecum erit vir meus; quia peperi ei tres*

(*i*) 2.Cor.6.v.16.

tres filios. Juda *confessio* dicitur; quando enim peperit eum Lia, laudem Domino retulit, dicens: *nunc super hoc confitebor Domino.* Et ob id vocatus est Juda. A confessione itaque nomen ejus est dictum, quod est gratiarum actio. Isachar interpretatus est *merces. Is* quippe dicitur: est merces. Hoc autem ideo, quia mandragoris filii Ruben introitum viri, qui Racheli debebatur, ad se emerat Lia. Unde & dum natus est, Lia dixit: *dedit Deus mercedem meam.* Zabulon interpretatur *habitaculum.* Sextum enim hunc filium genuerat Lia. Propterea jam secura dixit: *habitabit mecum vir meus. Unde & filius ejus vocatus est* habitaculum. Neptalim *è conversione*, sive *comparatione* causa nominis ejus est. Unde & dixit Rachel, cùm eum peperisset ancilla ejus Bala: *habitare me fecit DEus habitatione cum sorore mea.* Dan interpretatur *judicium.* Bala enim, dum eum peperisset, dixit Rachel, domina ejus: *judicavit Dominus, & exaudiens dedit mihi filium*, causam nominis ejus expressit, ut ab eo, quod judicâsset Dominus, filio ancillæ judicii nomen imponeret. Gad ab eventu, * sive procinctu vocatus est. Quando enim peperit eum Zelfa, dixit domina ejus Lia: in fortuna, id est, quod dicitur: in procinctu, vel eventu, & ut apertius dicatur, interpretatur *tentatio*, vel *accinctus.* Aser *beatus* dicitur. Dum enim peperisset eum Zelfa, dixit Lia: beata ego, & beatificant me mulieres, & ab eo, quòd beata dicatur, ex etymologia nominis *beatum* vocavit. Joseph ab eo, quod sibi alium addi mater optaverat, vocavit *augmentum.* Hinc Pharao Saphaneth Ægyptio sermone appellavit, quod Hebraicè *absconditorum repertorem* sonat, pro eo, quod obscura somnia revelavit, & sterilitatem prædixit. Tamen quia hoc nomen ab Ægyptio ponitur, ipsius linguæ debet habere rationem. Interpretatur enim Saphaneth Ægyptio sermone *salvator Mundi*, eo quod orbem terræ ab imminenti famis excidio liberavit. Benjamin interpretatur *filius dexteræ*, quod est virtutis. Dextera enim appellatur *Jamin.* Mater quippe ejus moriens vocavit nomen ejus *Benoni*, id est: *filius doloris mei.* Pater hoc mutavit, filium dexteræ nominans. Dina transfertur *in causam.* Jurgii enim in Sicimis causa extitit.

Pet. eunte.

Verumtamen Jacob spiritaliter significat Dominum, ac Redemptorem nostrum, vel perfectos viros, qui omnia desiderantes volunt quieti vivere in vita contemplationis. Rachel verò vitam contemplativam; Lia autem activam. Laban quippe, qui interpretatur *dealbatio*, gratia DEI omnipotentis, per quam fit remissio peccatorum, cui serviunt perfecti viri ob vitam contemplativam. Quod si libitum tibi fuerit, Lector, pleniùs nosse, beati Papæ Gregorii summi Prædicatoris, & Isidori strenui Doctoris dicta vigilanti cura perlustra, quæ præ angustia nos temporis inserere non libuit. Quamquam Victorinus Martyr, aliique Doctores, super Synagoga, & Ecclesia intelligi velint has duas uxores Jacob. Lia, inquiunt, major natu typum tenuit Synagogæ; quia prior DEI * genuit populum. Et quid est, quod oculis legitur * gravida, nisi quia lex per Moysen data, cooperta est, atque signata? Quod autem in nocte conjungitur Jacob, significat ipsam Synagogam DEO conjunctam in tenebris litteræ. * Turba verò amicorum ipsius designat turbam Patriarcharum, & Prophetarum, ùt quibusdam videtur. Rachel autem junior, & pulchra priùs sterilis est, postmodum fœcunda; similitudo est Ecclesiæ. *Junior*, quia tempore posterior. *Pulchra*, quia corpore, & spiritu sancta. Oculi ejus decori; quia Evangelium perspicere meruerunt. Quæ etiam tam diu sterilis fuit, quousque Synagoga populum generabat. Quæ in die copulata est Jacob; quia Ecclesia gentium in die novi Testamenti sociatur Christo. Ad cujus etiam nuptias turbæ amicorum conveniunt; quia per sanctos Apostolos, qui sunt amici ipsius, Ecclesia incorporatur Domino. Habuit etiam ancillas earum Jacob, & ex eis genuit filios; quia sunt in utroque populo docentes carnales, atque in vita veteris hominis permanentes, quorum prædicatione filii Domino generantur. Unde Bala interpretatur: *inveterata*, illos demonstrans, qui carnalibus sensibus dediti, tamen spiritalia etiam de ipsa incommutabilis substantia Divinitatis annuntiant. Zelfa verò, quæ interpre-

Zw. priori.
f. gravata.
Zw. latere.

terpretatur: *os hians*, illos figurat, quorum A prædicatione *os* aperitur, & cor non sequitur: de qualibus scriptum est: (*k*) *populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me.* Et alibi: (*l*) *quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt facere nolite.*

Cur autem Jacob pro Rachel servit, & supponitur Lia; nisi quia Dominus, ut Ecclesiam assumeret, priùs Synagogam sibi conjunxit? Sed videamus, quales filii nascuntur. Ex Lia namque nascuntur Ruben, Simeon, & Levi, & reliqua. Ruben, qui interpretatur: *videns filium*, significat perfectum Doctorem ex B Synagoga Judæorum in fide nascentem. Qui benè videns filium (dicitur.) In filiis opera designari Psalmista testatur, qui in beati viri benedictionibus inter cætera dicit: (*m*) *filii tui sicut novella olivarum.* Et infra: *& videas filios filiorum tuorum.* Non enim, qui timet Dominum, nisi genuerit filios, nepotesque susceperit, beatus esse non potest, cum virgini fideli potior merces expectat. Sed in filiis, ùt diximus, opera, in filiis verò filiorum fructus operum, id est mercedem designat æternam. Denique iste Ruben egressus tempore messis triticeæ in agrum reperit C mandragoras, quas matri Liæ attulit, & reliqua. Significat sanctos Apostolos, cæterosque prædicatores, qui possunt in agrum prædicationis exire, & ad publicum procedere, verbumque annuntiare, operibusque adimplere, & prolem spiritalem gignere. Possumus per agrum etiam libros legis, Prophetarumque præconia; per mandragoras verò, quæ bonum habent odorem, sed insipidum saporem Dominum JEsum Christum intelligere, habentem bonum odorem apud eos, qui crediderunt in eum; insipidum apud illos, qui in infidelitate permanse- D runt, & qui pravè de illo senserunt, juxta quod scriptum est: (*n*) *alii dicebant: bonus est; alii verò non, sed seducit turbas.* Sed benè tempore messis triticeæ exiit; quia eo tempore destinati fuerunt ad prædicandum, quando jam tempus erat, ut populus colligeretur ad fidem, secundum quod de eis dicitur: (*o*) *levate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt jam ad metendum.* Ipse attulit Liæ matri; quia Dominum priùs prædicaverunt Synagogæ matri. Sed per Liam pervenit ad Rachel; quia per primitivam Ecclesiam pervenit ad Ecclesiam gentium Christus.

Deinde sequitur Simeon. Simeon verò, qui interpretatur: *audivit tristitiam*, vel *nomen habitaculi*, ùt quibusdam videtur, illos significat, qui hic studiosè laborant, & tristantur pro suis, aliorumque delictis, audiuntque, quicquid eis pœnitendo prædicatur. Unde benè: *audivit tristitiam*, vel *nomen habitaculi* dicitur; ut etiam hujus qualitate vocabuli evidentiùs inculcaret, & quid hic habendum, & quid sit salubriter expectandum. Illis enim cœlestis habitaculi gaudium dabitur, quorum hic animus fructuosa pœnitentia contristatur, quibus & dicitur: (*p*) *tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Levi proinde Simeoni succedit, id est: *additus.* In quo intelligimus sive eos, qui temporalibus æterna mercantur, sicut Salomon dicit: (*q*) *redemptio animæ viri propriæ divitiæ ejus;* seu illos, qui DEI sequendo consilium percipiunt in hoc sæculo centuplicia cum tribulationibus; in futuro autem sæculo vitam æternam. His etiam; quod scriptum est, convenit: (*r*) *qui addit scientiam, addit laborem.* * Nam & sancto Jacob ad hoc tribulationum acerbitas addebatur; ut probato præmiorum merces amplior redderetur.

* *Zw.* dolorem.

Judas. Judas enim, qui interpretatur *confessio*, vel *laudatio*, illos significat, qui in vera confessione fidei perseverant, & laudes gratiarum Domino rependunt. Sive illos, qui delicta sua veraciter confitentur: quia sine confessione malorum, culmen bonorum nullus apprehendit, & nisi per confessionem renuntiemus actibus malis, non informamur rectis.

Isachar. Isachar interpretatur *merces.* Significat illos, qui tentationes præsentis vitæ patientia fulti solummodo pro superna mercede libentissimè tolerant, & futuræ mercedis contemplatione firmantur; quia sciunt juxta Apostolum, (*s*) *quod non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ reve-*

(*k*) Matth. 15. v. 8. (*l*) ibid. 23. v. 2. (*m*) Ps. 127. v. 4. (*n*) Joan. 7. v. 12. (*o*) ib. 4. v. 35. (*p*) ib. 16. v. 20. (*q*) Prov. 13. v. 8. (*r*) Eccl. 1. v. 18. (*s*) Rom. 8. v. 18.

revelabitur in eis. Fructuosiùs quippe pugnatur, ubi merces speratur.

Dan. Dan interpretatur *judicium*. Eximios videlicet, atque summos sui interpretatione nominis significat, qui spiritaliter conservantes sciunt judicare omnia, juxta quod Paulus ait: (*t*) *spiritalis judicat omnia, & ipse à nemine judicatur.*

Zabulon. Zabulon interpretatur *habitaculum fortitudinis*. Illos designat, qui pro Christo animas suas ponunt, in quibus Dominus hæc, quæ superiùs diximus, operatur, & perficit; videlicet quando virtus in infirmitate perficitur, ut corpus, quod ab inimicis putatur infirmum, & per cujus materiam animo quoque inferre nituntur interitum, DEO confortante experiatur invictum.

Nephtalim, qui interpretatur *latitudo*, illos liniat, qui dilatati sunt largis operibus misericordiæ, atque dilatato corde ad cœlestia tendunt, & carnis curam non in desideriis, sed sola necessitate requirunt, sicut Apostolus ait: (*u*) *& carnis curam ne feceritis in desideriis.*

Gad. Gad interpretatur *tentatio*, vel *accinctus*. Significat eos, qui in exercitio tentationum sunt fortes; qui postquam bona inchoant, majoribus tentationibus necesse est, ut probentur, atque ad bella graviora accingantur, ut fide illorum fortitudo conprobetur, dicente Salomone: (*w*) *fili accedens ad servitutem DEI, sta in justitia, & timore, & prapara animam tuam ad tentationem.* Itemq; Psalmista: (*x*) *pracinxisti me*, inquit, *ad bellum.*

Et quoniam beatificamus eos, qui sustinuerunt sufferentiam, Aser: Aser interpretatur *beatus*, illos præfigurat, qui tentationes patienter sufferunt, securi de promissione cœlestis præmii, ac felices de victoria certaminum. Unde post Gad Aser, id est; *beatus*, congruo satis ordine ponitur. (*y*) *Beatus vir, qui suffert tentationes, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Quia hujus beatitudinis fida promissione patientes non angustantur; sed spe gaudentes, in tribulatione patientes cum Psalmographo decantant: (*z*) *in tribulatione dilatasti me.* Et item: (*a*) *viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatares cor meum.*

A. Joseph. Joseph interpretatur *augmentum*, vel *addens*. Significat illos, qui pro augmento spiritalis substantiæ, virtutumque student. Unde & augmento felici succedente gratiarum dona tribuuntur eis, & insuper additur gloria cœlestis muneris; quia super præcepta DEI aliquid amplius vel in virginitate, vel ex facultatum suarum quantitate offerunt.

Benjamin. Benjamin interpretatur *filius dextera*, illos demonstrans, qui

B. omnia sua ideo faciunt, ut ad dexteram judicis statuantur. Et benè extremò Benjamin ponitur loco; quia cum novissima inimica mors destruetur, felicitas hæreditatis æternæ donabitur electis; sive unusquisque fidelium, filius dexteræ jure dicatur, seu omnis cœtus Ecclesiæ, de qua canimus: (*b*) *adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate.* Et hæc videlicet Ecclesia ex utroque populo collecta tamquam duæ uxores Jacob parit hos filios, & pro his deservit Jacob septem annis. Servitus itaque Jacob septem annorum pro duabus

C. uxoribus, hujus vitæ præsentis tempus significat, qui per septem dies volvitur, in qua Dominus formam servi accepit, factus obediens paternæ voluntati usque ad mortem. Ille enim pro ovibus servit; & Dominus noster ait: (*c*) *non venit filius hominis ministrari, sed ministrare.* Ille oves pavit*; & Dominus in Evangelio dicit: (*d*) *ego sum pastor bonus.* Ille *Zw. pascit.* mercedis lucro varium sibi pecus abstulit; Christus diversarum gentium varietatem sibimet congregavit. Ille tres virgas amputatis corticibus in alveis aquarum apposuit; ut earum contemplatione

D. multiplicarentur ejus oves; & Dominus noster in aqua Baptismatis trium personarum nomina, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti populo fideli proposuit, ut quisque hoc pleno corde perspexerit, efficiatur opus DEI.

Aliter. Quid est enim virgas viridesamygdalinas, atque ex platanis ante gregum oculos ponere, nisi per Scripturæ seriem antiquorum patrum vitas, atq;

(*t*) 1.Cor.2.v.15. (*u*) Rom.13.v.14. (*w*) Eccli.2.v.1. (*x*) Ps.17.v.40. (*y*) Jac.1. v.1. (*z*) Ps.4.v.1. (*a*) Ps.118.v.32. (*b*) Ps.44.v.10. (*c*) Matth.20.v.28. (*d*) Joan.11.v.14.

atque sententias in exemplum populis A. præbere? Quæ nimirum, quia juxta rationis examen rectæ sunt, virgæ nominantur. Quibus ex parte corticem subtrahit; ut in his, quæ expoliantur, intimus candor appareat. Et ex parte corticem servat; ut sicut fuerant exteriùs, in viriditate permaneant. Variusque virgarum color efficitur, dum cortex ex parte subtrahitur ex parte retinetur. Ante considerationis enim nostræ oculos præcedentium patrum sententiæ, quasi virgæ variæ ponuntur. In quibus, dum plerumque intellectum litteræ fugimus, quasi corticem subtrahimus; & dum ple- B. rumque intellectum litteræ sequimur, quasi corticem reservamus. Dumque ab ipsis cortex litteræ subducitur, allegoriæ candor interior demonstratur; & dum cortex relinquitur, exterioris intelligentiæ virentia exempla monstrantur. Quas benè Jacob in aquæ canalibus posuit; quia & Redemptor noster in libris eas sacræ scientiæ, quibus nos intrinsecus infundimur, fixit. Has aspicientes arietes cum ovibus coëunt; quia rationales nostri spiritus, dum in earum intentione defixi sunt, singulis quibusque actionibus permiscentur; ut tales C. fœtus operum procreent, qualia exempla præcedentium in vocibus præceptorum vident, & diversum colorem prolis boni operis habeat; quia & nonnunquam subtracta litteræ cortice acutiùs interna considerat, & reservato non nunquam historiæ tegmine benè se in exterioribus format.

Verumtamen requirendum est juxta historiam, quomodo pro aspectu virgarum variarum varii pecorum fœtus nascebantur. Observabat ergo Jacob tempore, quo ascendebantur pecora, & post calorem diei ad potandum avida D. pergebant. Discolores virgas ponebat in canalibus, & admissis arietibus, & hircis in ipsa potandi aviditate oves, & capras faciebat ascendi, & ex duplici desiderio dum avidè bibunt, & ascenduntur à maribus, tales fœtus conciperent, quales umbras arietum, & hircorum desuper ascendentium in aquarum specula contemplabantur. Ex virgis enim in canalibus positis varius erat etiam imaginum color. Nec mirum hanc in conceptu fœminarum esse naturam, ut, quales perrexerint, sive mente conceperint in extremo voluntatis æstu, quo concipiunt, talem sobolem procreent; cùm hoc ipsum etiam in equarum gregibus apud Hispanos dicatur fieri, & Quintilianus in ea controversia, in qua accusabatur matrona, quod Æthiopem peperit, pro defensione illius argumentetur, hanc conceptus esse naturam, quam supra diximus. Et multa dicuntur similiter fieri in animalium fœtibus. Sed & mulieri accidisse traditur, & scriptum reperitur in libris antiquissimi, & peritissimi medici Hippocratis, quod suspicione adulterii fuerat punienda, cùm pulcherrimum peperisset utrique parenti, generique dissimilem, nisi memoratus medicus solvisset quæstionem, illis admonitis quærere, ne fortè aliqua talis pictura esset in cubiculo, qua inventa mulier à suspicione liberata est.

Quare Jacob primi temporis sua es- ỳ. 42.
se voluit, & serotina Laban? Vel cur hac arte sua non magis omnia esse fecisset? Jacob prudens, & callidus justitiam, & æquitatem etiam in nova arte servabat. Si enim omnes agnos, & hædos varios pecora procreâssent, erat aliqua suspicio doli, & apertè huic rei Laban invidus contraîsset. Ergo ita omnia temperavit, ut ipse fructum sui laboris acciperet, & Laban non penitus spoliaretur; si quando oves, & capræ primo tempore ascendebantur; quia melior vernus est fœtus, ante ipsas ponebat virgas, ut varia soboles nasceretur. Quæcunque oves, & capræ serò quærebant marem, ante harum oculos non ponebat, ut unius coloris pecora nascerentur, & quicquid primum nascebatur, suum erat, quia discolor & varium erat, & quicquid postea, Laban; unius enim tam in nigro, quàm in albo coloris pecus oriebatur.

Cur nec Jacob fraudis in hoc facto arguendus est? Per hoc cogit inquiri prophetiam, & aliquam figuratam significationem res ista; quamquam sine dubio, ùt propheta fecit Jacob. Non enim tale aliquid, nisi revelatione spiritali eum fecisse credendum est.

Quomodo sexdecim vicibus dicit A.
Jacob loceio suo mutâsse eum mercedem suam? Hic est enim sensus, quod per singulos fœtus semper Laban conditionem mutaverit. Si videbat, varium nasci pecus, post fœtum dicebat: volo, ut in futurum mihi varia nascantur. Rursum cùm vidisset unius coloris nasci pecora (Jacob quippe hoc audito virgas in canalibus non ponebat) dicebat, ut futuros fœtus unius coloris sibi pecora procrearent. Et quid plura? Usque ad vices decem semper à Laban pecoris sui Jacob mutata conditio, & quodcumque sibi proposuerat, ut nasceretur, B.
in colorem contrarium vertebatur. Ne cui autem in sex annis decem pariendi vices incredibiles videantur, lege Virgilium, in quo dicitur: *bis gravida pecudes.* Natura autem Italicarum ovium, & Mesopotamiæ una esse perhibetur.

Spiritaliter verò Laban, qui separavit, sicut superiùs legitur, capras, & oves, hircos, & arietes varios, atque maculosos, cunctum autem gregem tradidit in manus filiorum suorum, significat Judaicum populum. Unde & Laban *dealbatio* interpretatur; quia idem populus dealbatus siquidem est apud se- C.
metipsum per hypocrisin, & simulationem. Laban accepit alba, & nigra; quia populus Judæorum albus quidem est apud semetipsum, ùt diximus, hypocrisi; sed niger multitudine peccatorum. Filii, vel pastores Laban significant Pharisæos, & Saducæos, qui videbantur præesse populo Judæorum, quasi ovibus. Jacob quippe typum tenuit Salvatoris. Spatium verò trium dierum inter eos significat; quia fide sanctæ Trinitatis, seu in cognitione, locutione, & opere peccaverunt contra Dominum. Sequitur: D.

CAPUT XXXI.

ỳ.19. E*Odem tempore Laban ierat ad tondendas oves, & Rachel furata est idola patris sui.*

Ubi nunc *idola* legimus, in Hebræo *theraphim* scriptum est, quæ Aquila figuras, vel imagines interpretatur. Hoc autem ideo; ut sciamus, quid in Judicum libro: (*e*) *theraphim* sonet, diximus.

Jamq; Jacob extenderat in monte Galaad tabernaculum. ỳ.25.

Non quòd eo tempore Galaad mons diceretur, sed per anticipationem, ùt frequenter diximus, illo vocatur nomine, quo postea nuncupatus est.

Tulit itaque Jacob lapidem, & erexit illum in titulum, dixitque fratribus suis: afferte lapides, & reliqua. ỳ.45.46.

Quæritur: quare constituit Jacob lapidem super titulum? Sed diligenter advertendum * est, quòd istos titulos in rei cujusque testimonio constituebant, non ut eos pro Diis colerent, sed ut eis aliquid significarent. *Zw. animadvertendum.*

Quem vocavit Laban: tumulus testis, & Jacob: Acervum testimonii, uterque juxta proprietatem linguæ suæ. ỳ.47.

Acervus lingua Hebræa *Gal* dicitur: *aad* verò testimonium. Rursum lingua Syra acervus *Igar* appellatur, testimonii: *sedutha.* Jacob igitur acervum testimonii, hoc est *Galaad* lingua Hebræa appellavit; Laban verò idipsum, hoc est: acervum testimonii *Igar sedutha* gentis suæ sermone vocavit. Erat enim Syrus, & antiquam linguam parentum provinciæ, in qua habitabat, sermone non mutaverat.

Juravit Jacob per timorem patris sui Isaac. ỳ.53.

Quid est, quòd juravit per timorem patris sui Isaac? Per DEUM utique, quem timebat Isaac pater ejus, jurâre intelligitur, quem timorem etiam superius commendavit, cùm diceret: *DEus patris mei Abraha, & timor patris mei Isaac.*

CAPUT XXXII.

F*Ueruntque ei obviam Angeli DEI; quos cùm vidisset, ait: castra DEI sunt hæc.* ỳ.1.2.

Nulla dubitatio est, quod Angelorum fuerat multitudo; ea quippe in Scripturis *militia cœli* nominari solet.

Dixitque Jacob ad Dominum: erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo. ỳ.11.

(*e*) Jud.17. & 18.

Quæri

Quæri solet, quomodo fidem habuerit Jacob, quandoquidem tantùm timuit Esau fratrem suum? Satis enim in verbis ejusdem Jacob, quæ sequuntur, & humana infirmitas, & fides pietatis apparet; ut & DEus liberaret eum, & quæ promisit, impleret. Admonendi tamen fuimus hoc exemplo, ut, quamvis credamus in DEUM, faciamus tamen, quæ facienda sunt ab hominibus in præsidium salutis; ne prætermittentes ea, DEUM tentare videamur.

ỷ.22. *Et transivit vadum Jaboc.*

Non enim legendum est, ut falsò in quibusdam codicibus invenitur: *& transivit vadum Jacob*; sed Jaboc, quod est proprium nomen ipsius vadi. Itaque.

ỷ.23.24. ad 29. *Transductisque omnibus, quæ ad se pertinebant, remansit solus. Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane*, & reliqua usquequo ait: *nequaquam, inquit Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israël.*

Quomodo ergo Jacob ab eo postulabat * benedici, cui luctando prævaluit? Magna hæc est de Christo prophetia. Duplex enim hic Jacob intelligitur, id est: carnalis, & spiritalis. Prævaluit enim Jacob Christo, vel potiùs prævalere visus est. Per eos enim Israëliticos, à quibus crucifixus Christus, & ab eo benedicitur in eis Israëliticis, qui crediderunt in Christum, ex quibus erat, qui dicebat: (f) *nam & ego Israëlita sum ex genere Abraham, de tribu Benjamin.* Unus ergo, atque idem Jacob & claudus, & benedictus; claudus in latitudine femoris tamquam in multitudine * generis, de quibus dictum est: (g) *claudicaverunt à semitis suis.* Benedictus autem in eis, de quibus dictum est: (h) *reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt.*

Pet. postulat.

Br. magnitudine.

Quæ est causa immutati nominis Jacob, ut Israël vocaretur? Varia hujus nominis interpretatio æstimatur. Sed beatus Hieronymus taliter de ejus interpretatione dixit: sensus itaque hic est: non vocabitur nomen tuum supplantator, hoc est: Jacob; sed vocabitur princeps cum DEO, hoc est: Israël. Quomodo enim ego Princeps sum, sic tu, qui mecum luctari potuisti, princeps vocaberis. Si autem mecum, DEO, sive Angelo,

A. quoniam plerique variè interpretantur, pugnare potuisti, quantò magis cum hominibus, hoc est, cum Esau pugnare formidare non debes. Illud autem, quòd in libro nominum interpretantur Israël: *vir videns Deum*, sive *mens videns Deum*, omnium penè sermone detritum, non tam verè, quàm violenter mihi interpretatum videtur.

Moraliter verò designat Angelus DEUM, & Jacob, qui cum Angelo contendit, uniuscujusque perfecti viri, & in contemplatione positi animam exprimit. Is enim, qui certat in luctamine aliquando superiorē se, aliquando verò eū, cū
B. quo contendit, inferiorem invenit. Quia videlicet anima, quæ contemplari DEum nititur, velut in quodam certamine posita, modo quasi exsuperat, quia intelligendo, & sentiendo de incircumscripto nomine aliquid degustat; modò verò succumbit; quia & de gustando iterum deficit. Quasi ergo vincitur Angelus, quando intellectu intimo apprehenditur Deus. Sed notandum, quòd isdem victus Angelus nervum femoris Jacob tenuit, eumque marcescere statim fecit, atque ab eo Jacob tempore uno claudicavit pede.
C. Quia scilicet omnipotens DEus, cùm jam per desiderium, & intellectum cognoscitur, omnem in nobis voluptatem carnis arefacit, & qui prius quasi duobus pedibus innitentes & DEum videbamur quærere, & sæculum tenere, post agnitionem suavitatis DEI unus in nobis pes sanus remanet, atque alius claudicat. Quia necesse est, ut debilitato amore sæculi solus in nobis amor convalescat DEI. Si enim tenemus Angelum, uno claudicamus pede; quia, dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis. Omnis quip-
D. pe, qui uno pede claudicat, soli illi pedi innititur, quem sanum habet, quia hic, cui desiderium terrenum jam arefactum fuerit, in solo pede amoris DEI tota virtute se sustinet. Et in ipso stat; quia pedem amoris sæculi, quem ponere in terra consueverat jam à terra suspensum portat. Et nos ergo, si ad parentes proprios, id est: ad spiritales patres redimus, teneamus in via Angelum, ut suavitate intima apprehendamus DEum. Contemplativæ etenim vitæ amabilis valdè dul-

(f) Rom.11.v.1. (g) Ps.17.v.46. (h) Rom.11.v.5.

dulcedo est, quæ super semetipsum animum rapit, A cœlestia aperit, terrena autem debere esse contemptui ostendit, spiritalia mentis oculis patefacit, corporalia abscondit. Unde bene Ecclesia in Canticis Canticorum dicit: (*i*) *ego dormio, & cor meum vigilat.* Vigilanti etenim corde dormit, qui per hoc, quod interiùs contemplando proficit, ab inquieto foris opere quiescit. Sequitur:

CAPUT XXXIII.

ỷ. 1. 2. 3. **D***ivisitque Jacob filios Liæ, & Rachel, ambarumque famularum, & posuit utramque ancillam, & liberos earum in principio. Liam verò, & filios ejus in secundo loco; Rachel autem, & Joseph novissimos. Et ipse progrediens adoravit pronus in terram*, & reliqua.

Non ut plerique æstimant, tres turmas fecit, sed duas. Denique ubi nos habemus, *divisit*, Aquila posuit: *dimidiavit;* ut unum cuneum faceret ancillarum cum parvulis suis; & alium Liæ, & Rachel, quæ liberæ erant, cum filiis earum; primasque ire faceret ancillas, secundas liberas, ipse autem ante utrumque gre- C gem, fratrem adoraturus occurreret.

ỷ. 10. ad 14 *Dixitque Jacob: sic enim vidi faciem tuam, quasi viderem vultum DEI*, & reliqua usque: *præcedat Dominus meus ante servum suum, & ego sequar paulatim vestigia ejus.*

Quid sibi vult, quod Jacob ait fratri suo: *vidi faciem tuam, quasi viderem faciem DEI?* Utrum paventis, & perturbati animi verba usque in hanc adulationem proruperunt? Hæc verba fraterna sunt, & benigno animo dicta. Quoniam post benignam susceptionem metus ipse D transierat. Et fortassis *DEI* nomen, & Angelorum, vel aliquem sanctum hoc loco intelligere debemus, secundum Apostolum, qui dixit: (*k*) *etsi sunt, qui dicuntur Dii sive in cœlo, sive in terra, quemadmodum sunt Dii multi, & domini multi.*

Quomodo promisit Jacob fratri suo, ut sequeretur vestigia ejus, cùm alio itinere tenderet? Fortè ad horam sequebatur, vel primo veraci animo promiserat, sed aliud postea cogitando delegit.

Et Jacob venit in Socoth, & ædificata domo, & fixis tentoriis appellavit nomen loci illius Socoth, id est: tabernacula. ỷ. 17.

Quia enim pecoribus suis ædificavit tabernacula, ideo vocavit nomen loci illius tabernacula. Ubi nos tabernacula habemus, in Hebræo legitur *Sotheoth*. Est autem usque hodie civitas trans Jordanem hoc vocabulo inter partes Scythopoleos.

Transivitque in salem, urbem Sicimorum, quæ est in terra Chanaan, & reliqua. ỷ. 18.

Error oboritur: quomodo Salem civitas appellatur, cùm Hierusalem, in qua regnavit Melchisedech, Salem ante sit dicta? Aut igitur unius nominis urbs utraque est, quod etiam de pluribus Judææ locis possumus invenire, ut idem urbis, & loci nomen in alia, atque alia tribu, ita ut aut certè istam Salem, quæ nunc pro Sichima nominatur, dicimus hic interpretari consummatam, atque perfectam; & illam, quæ postea Hierusalem dicta est, *pacifica* nostro sermone transferre. Utrumque enim * accentu paululum declinato hoc vocabulum sonat. *Petr.* accepta.

Tradunt Hebræi, quod claudicantis femur Jacob ibi convaluerit, & sanatum sit, propterea eandem civitatem curati, atque perfecti vocabulum consecutam.

CAPUT XXXIV.

E*Gressa est Dina, ut videret mulieres regionis illius*, & reliqua usque: *tristemq; blanditiis delinivit.* ỷ. 1. 2. 3. 4.

Dina quippe, ut mulieres videat extraneæ regionis egreditur; quando unaquæque mens sua studia negligens, actiones alienas curans extra habitum, atque extra ordinem positum evagatur. Quam Sichem, princeps terræ opprimit; quia videlicet inventam in curis exterioribus Diabolus corrumpit. *Et adglutinata est anima ejus cum ea;* quia unitam sibi per iniquitatem respicit, & quia cùm mens à culpa resipiscit, atque admissum flere conatur, corruptor autem spes, ac securitates vacuas ante oculos vocat, quatenus uti-

(*i*) Cant. 5. v. 2. (*k*) 1. Cor. 8. v. 5.

utilitatem tristitiæ subtrahat, rectè illic A. adjungitur: *tristemque blanditiis delinivit.* Modò enim aliorum facta graviora; modò nihil esse, quod perpetratum est; modò misericordem DEUM loquitur; modò adhuc tempus subsequens ad pœnitentiam pollicetur; ut dum per hæc deceptamens ducitur, ab intentione pœnitentiæ suspendatur: quatenus tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala nulla contristant: & tunc plenius obruatur suppliciis, quæ nunc gaudent etiam in delictis.

ỷ.7. Deinde sequitur, quomodo duo filii Jacob Simeon, & Levi Emmor, & B. Sichem pariter interfecerunt, & reliqua.

Quomodo duo filij Jacob tantam cædem, & deprædationem per se in terra aliena facere potuerunt? Multitudo enim non parva erat cum Jacob, qui plurimum ditatus fuit. Sed filii ejus in hoc facto nominantur; quia ejusdem facti principes, atque auctores fuerunt.

CAPUT XXXV.

ỷ.1.2.3.4. &c.usq; ad fin.cap. DIxit Jacob: *abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt. Et dederunt* C. *ei postea omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, qua erant in auribus eorum* Deinde etiam sequitur, quemadmodum apparuit iterum DEus Jacob, & benedixit ei, & ipse postmodum egressus inde venit verno tempore ad terram, quæ ducit Efratam, & reliqua usque: *hæ sunt autem generationes Esau.*

Zr. Quid est, quòd Jac. Quomodo * Jacob dixit domui suæ: *projicite Deos alienos, qui in medio sunt vestri?* Et iterum: *dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, qua in auribus eorum erant?* Quæ si ornamenta erant, ad idololatriam non pertinebant. D. Intelligendum est, has inaures phylacteria fuisse Deorum alienorum. Nam Rebeccam à servo Abrahæ inaures accepisse, Scriptura testatur, quod non fieret, si eis inaures habere ornamenti gratia non liceret. Ergo illæ inaures, quæ cum idolis datæ sunt, ùt dictum est, idolorum phylacteria fuerant.

Quare secùndò dicitur ad Jacob: *non vocaberis Jacob, sed Israël erit nomen tuum, & appellavit eum Israël?*

Dudum nequaquam ei ab Angelo nomen imponitur; sed quod imponendum à DEO sit, prædicatur. Quod igitur futurum promittitur, hic dicitur expletum. Nimirum ergo nomen hoc ad illam rectè intelligitur pertinere promissionem, ubi sic videbitur DEUS, quò modò non est antea à Patribus visus.

Quæ est Efrata, ubi Jacob Rachel uxorem suam condidisse dicitur, quærendum videtur. Efrata verò, & Bethlehem unius urbis vocabulum est sub interpretatione consimili: siquidem in frugiferam domum, & domum panis vertitur, propter eum panem, qui de cœlo descendisse dicitur.

Sed movet, ubi est *turris gregis*, ỷ.21. juxta quam dicitur Jacob habitasse? Juxta Bethlehem, ubi vel Angelorum grex Domini in ortu cecinit; vel Jacob pecora sua pavit, loco nomen imponens; vel quod verius est, quod vaticinatio * futurorum jam tunc mysterium monstrabatur. f. vaticinio

Quid est, quod de Isaac dicitur: *& consumptus ætate mortuus est, & adpositus populo suo?* Quomodo consumptus, vel ỷ.29. à quo populo adpositus? Consumptus ætate, id est: perfectus ætate. Verum Angelorum populo, vel sanctarum animarum adponuntur, qui hanc vitam placentes DEO finiunt. Tunc dicuntur adponi, quando nulla jam remanet sollicitudo tentationum, & periculum peccatorum. Quod intuens ait Scriptura: *(l) ante mortem ne laudes hominem quemquam.*

CAPUT XXXVI.

QUomodo Scriptura dicit, post mortem Isaac patris sui Esau abscessisse de ỷ.7.8. terra Chanaam, & habitâsse in monte Seir, cùm veniente de Mesopotamia Jacob, legitur misisse eum nuntios ad fratrem suum in terra Seir regionis, Edumeumque ibi habitâsse tum temporis? In promptu est cogitare, quod scilicet Esau postea, quàm in Mesopotamiam frater ejus abscessit, noluit habitare cum parentibus suis, sive ex illa commotione, qua dolebat, benedictione se fraudatum, sive causa uxorum suarum, quas odiosas videbat esse parentibus, & cœperat

(l) Eccli.11, v.30.

perat

perat habitare in monte Seir. Deinde A. post reditum Jacob fratris sui facta inter eos concordia reversus est & ipse ad parentes, & cum mortuum patrem simul sepelissent; quia eos plurimùm ditatos terra illa, sicut scriptum est, minimè capiebat, abscessit rursus in Seir, & ibi propagavit gentem Idumæorum.

Erant autem filii Jacob duodecim; & computatis omnibus, Benjamin, quod & addidit: *hi filii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syria.* * Dum constat Benjamin natum esse in Chananæa, quomodo tunc duo decim nasci dicuntur in Mesopotamia? (Al. Syriæ.)

Nulla enim est facilior solutio hujus quæstionis, quàm ut per synecdochen accipiatur. Ubi enim major pars est, aut fortior, solet ejus nomine etiam illud comprehendi, quod ad ipsum nomen non pertinet.

ỳ.8.9. ad 21. *Habitavitque Esau in monte Seir, ipse est Edom, & hæc nomina filiorum ejus: Eliphaz filius Ada, uxoris Esau*, & reliqua usque quo ait: *hi duces eorum, ipse est Edom, & isti filii Seir Horrai habitatores terra: Lotha, & Sobal, & Sebeon, & Ana.*

Eliphaz filius Esau ipse est, qui in C. libro beati Job legitur. Edom verò, & Seir, & Esau unius nomen est hominis: trinomius enim fuit, & ex propriis causis variè nuncupatus. Dicitur enim Esau, id est: *rufus*, ob coctionem scilicet rufæ lentis ita appellatus, cujus edulio primogenita perdidit. Edom autem ob ruborem corporis dictus est, quod Latinè sanguineus dicitur. Seir verò, quod fuerit hispidus, & pilosus: quando enim natus est, totus, sicut pellis, pilosus erat, & non habebat lenitatem. Quod autem sequitur:

Et Horrai habitantes, seu, sicut in D. quibusdam codicibus invenitur, *Corrai*, & reliqua: postquam numeravit * filios Esau, altiùs repetit, & exponit, quanti Esau in Edom terra principes fuerint ex genere Horræorum, qui in lingua nostra interpretantur *liberi*. Legamus diligenter Devteronomium, ubi manifestiùs scribitur, quomodo venerint filii Esau, & interfecerunt Corræos, ac terram eorum in hæreditatem * possederunt. (Al. enumeravit.) (Al. eor. hæreditate possed.)

ỳ.22. *Et fuerunt filii Lothan Bosri, & Emman, & soror Lothan Tamna.*

Hæc est autem Tamna, de qua supra dictum est: & Tamna concubina erat Eliphaz, filii primogeniti Esau, & ex ipsa natus est Amalech. Idcirco autem Corræorum recordatus est; quia primogenitus filiorum Esau ex filiabus eorum acceperat concubinam. Quod autem dicitur: *Theman, & Cenef, & Amalech*, & reliqua, sciamus postea regionibus Idumæorum ex his vocabula imposita.

ỳ.24. *Iste est Ana, qui invenit aquas cali-* B. *das in solitudine, cum pasceret asinos Sebeon patris sui.*

Judæi asserunt, quòd iste Ana nepos Esau equarum greges in deserto ab asinis fecerit primus ascendi; ut mulorum inde nova contra naturam animalia nascerentur. Onagros quoque ad hoc admissos esse ad asinas, & ipsum istiusmodi reperisse concubitum, ut velocissimi ex his asini nascerentur. Industria quippe humana diversum animal in coitu coëgit, sicque adulterina commixtione genus aliud reperit; sicut & Jacob contra naturam colorum similitudines procuravit.

CAPUT XXXVII.

ỳ.2. *Joseph cùm sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis, adhuc puer, & erat cum filiis Bala, & Zelfa uxorum patris sui. Accusavitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.*

Quærunt enim, quale sit hoc crimen? Nonnulli volunt intelligi idololatriam * superstitionem, quasi idolum adoràssent. Alii verò super crimine Sodomorum, & Gomorræorum interpretantur. Verumtamen movere potest, quid est, quod hìc ancillæ *uxores* appellantur, cùm superiùs *concubinæ* dicantur, nisi quia more Scripturarum fortè omnis concubina uxor, non autem uxor concubina. Nam Saraa, & Rebecca, & Lia, & Rachel concubinæ dici non possunt: Agar verò, & Cethura, & Bala, & Zelfa & uxores, & concubinæ dicuntur. (f. idolatricam seu idololatricam.)

Fecitque

℣.3. *Fecitque Jacob tunicam Joseph polymitam.*

Pro Polymata *variam* nonnulli interpretati sunt, quod Aquila interpretatus est tunicam *astragalon*, id est: talarem.

℣.9. *Aliud quoque Joseph vidit somnium, quod narrans fratribus suis, ait: vidi somnium, quasi Solem, & Lunam, & stellas undecim adorare me.*

Quomodo impletur somnium Joseph, quod dicit se vidisse solem, & Lunam, & undecim stellas adorâsse se; dum constat eo regnante in Ægypto matrem ejus Rachel multò ante esse defunctam; immò nec patrem eum legimus B. adorâsse? Ergo in Christo facile * est somnii perfectionem intelligere: (m) *cui donatum est nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JEsu omne genu flectatur*, & reliqua.

utrumque Cod. facilis.

℣.25. ad 29. *Viderunt viatores Ismaëlitas venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & resinam, & stacten in Ægyptum*, & reliqua usque: *& prætereuntibus Madianitis negotiatoribus vendiderunt viginti * argenteis.*

Zw. XXX.

Quæritur, quare Ismaelitas scriptura, quibus à fratribus venditus est Joseph, etiam Madianitas vocet; cùm Ismael fit C. de Agar filius Abrahæ; Madianitæ verò de Cethura? Quia Scriptura dixerat de Abraham, quod munera dederit filiis concubinarum suarum, Agar scilicet, & Cethura, & dimisit eos ab Isaac filio suo, in terra Orientis unam gentem fecisse intelligendi sunt. Spiritaliter verò aromata, quæ in camelis portantur, duas leges significant: per resinam autem legem librorum, per stacten quippe legem Prophetarum. Per camelos namque Doctores designantur. Quòd autem Joseph non est liberatus per consilium Judæ, significat Christum non liberatum ex parte D. carnis per feram pœnitentiam Judæ Scarioth.

℣.35. *Dixitque Jacob: descendam ad filium meum lugens in infernum.*

Quomodo intelligitur, quod Jacob dicit: *quoniam descendam ad filium meum lugens in infernum?* Perturbati, & dolentis verba sunt, mala sua etiam hinc exaggerantis. Vel etiam inferni nomine sepulchrum significavit: quasi dixisset: in A. in luctu maneo, donec me terræ suscipiat * sepulchrum, sicut illum.

Zw. suscipiet.

CAPUT XXXVIII.

℣.1. usq; ad 30. *Eodem tempore descendens Judas, à fratribus suis devertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram*, & cætera usque: *postea egressus est frater ejus, in cujus manu erat coccinum, quem appellavit Zaram.*

Qualiter historia de Juda, & tribus filiis ejus, & uxore Thamar intra tam B. paucos annos compleri potuit? cùm ergo ipse Joseph anno septimo decimo ætatis suæ venditus fuisse credatur, tredecim annos peregerat in Ægypto ignotus Pharaoni. Ad hos enim tredecim annos accesserunt septem anni ubertatis, & facti sunt anni viginti; his adduntur duo, quia secundo anno famis intravit Jacob in Ægyptum cum filiis suis, & inveniuntur viginti duo anni, quibus absuit Joseph à patre, & à fratribus suis; quo medio tempore quomodo fieri potuerunt?

Solet enim Scriptura sancta pro C. capitulatione multa præferre. Aliquot annos ante venditum Joseph hæc fieri cœpisse, intelligi datur. Etiam mox, ut adolesceret Judas, cœperit incidisse in amorem ejus, quam duxit uxorem, nondum vendito Joseph in Ægyptum. Cur dixit de Thamar: *depositis vestimentis viduitatis suæ?* Quatenus intelligeres ex temporibus Patriarcharum certa, & sua fuisse vestimenta viduarum, non utique talia, qualia conjugatarum.

Quare dixit Judas: *justior est Thamar, quàm ego?* Thamar verò in bivio, ℣.26.
sive in compito sedens, ubi diligentiùs D. debet viator aspicere, quod iter gradiendi capiat, non ut vagans turpitudinis libidinem impleret; sed ut liberos à socero acciperet, justior est causa, quàm socer. Ille libidinis; illa liberorum. Et ideo in comparatione ejus minùs male fecerat.

Si enim Phares inde sortitus est nomen divisionis, quia diviserat membranam secundarum; unde Zara sic nomen ℣.29.30.
accepit? Zara interpretatur *Oriens.* Sive igi-

(m) Philip. 2. v. 10.

igitur, quia primus apparuit; sive quia plurimi ex eo nati sunt justi, sicuti in Paralipomenon legimus.

CAPUT XXXIX.

v. 1. *Igitur Joseph ductus in Ægyptum, emitque eum Putiphar, eunuchus Pharaonis.*

Ubi quæritur: quomodo postea uxorem habere dicatur? Tradunt Hebræi emptum ab hoc Joseph ob nimiam pulchritudinem in turpe ministerium, & à Domino viribus ejus arefactis, postea electum esse juxta morem Hierophantarum in Pontificatum Heliopoleos, & hu-
Zw. Asanez jus filiam esse Asenec*, quam postea Joseph uxorem acceperit.

CAPUT XL.

His itaque gestis accidit, ut peccarent duo Eunuchi, pincerna Regis Ægyptij, & pistor Domino suo. Iratusque est Pharao contra eos, & misit eos in carcerem, in quo erat vinctus & Joseph, & cætera usquequo ait fratribus suis: *ego sum Joseph, quem vendidistis in Ægyptum.*

Hic enim spiritalem intelligentiam prætermittimus, sicut in præfatione prædiximus, & historialem intellectum prosequi nitimur; ne modum libelli excedamus. Denique quæritur salvo spiritali intellectu, cur gentiles homines fuerunt in carcere cum Joseph, & præsagia futurorum viderunt? Non pro suis meritis, sed ut magnificaretur Joseph, & manifestaretur, qui latebat.

Quæ sunt tres propagines? Tres propagines sunt tres rami.

Cur Pharao, vel Herodes diesnativitatis suæ honoribus festivos habuerunt? Eò quod putaverunt, quòd hora nativitatis eorum se ordinâsset in regnum, similem rem facientes adorationis, ut dicitur, quorum erat par impietas, esset & una sollemnitas.

Quid est, quod Pharao dixit: *pu-*
Zw. flumē, *tabam me super fluvium * stare?* Id est, quod & in alio loco dicitur in Genesi:
Zw. ecce ego sto super fontem aquæ. *ecce ego super fontem sto.* * Atque hoc genere locutionis & in Psalmo dicitur: (n) *qui fundavit terram super aquam.* Non cogantur homines putare: fundavit terram super aquam. Secundum hanc enim locutionem rectè intelligitur, quòd altior sit terra, quàm aqua; ab his quippe aquis sustollitur, ubi habitent terrena animalia.

Quomodo multitudo frugum arenæ multitudini comparatur? Quia sicut arena innumerabilis est; ita multitudo frugum usitato numero comprehendi non poterat.

Quomodo de viro sancto Joseph intelligere debemus, quòd fratres suos inebriâsset? Ebrietas autem secundum idioma Hebraicæ linguæ pro satietate ponitur, sicut ibi: (o) *visitasti terram, & inebriasti eam.* Et iterum: (p) *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.*

Quid sibi vult, quòd Joseph fratres suos toties ludificavit, & tanta exspectatione suspendit, antequam manifestare se voluisset? Tribulabat eos, non ut se vindicaret in eis; sed ut illos purgaret à crimine transacti sceleris in eum. Vel magis, ut hac dilatione accumularetur gaudium eorum, dum ostenderetur, & tantam gloriam ejus vidissent, quem à se extinctum esse arbitrabantur.

CAPUT XLVI.

Surrexit autem Jacob à puteo juramenti, & descendit in Ægyptum, & filii ejus, & nepotes, filiæ, & cuncta simul progenies, usquequo ait: *omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt Ægyptum, fuerunt septuaginta.* v. 5.

Quomodo dicitur: filii ejus & filiæ ejus descenderunt cum eo in Ægyptū, cùm Jacob pluriores non habuit filias, quàm Dinam tantummodo? Aut etiam nepotas filiarum nomine significatas intelligere debemus; aut pluralis numerus pro singulari positus est, sicut ibi: *misit in eis muscam caninam.*

Quod dicit Scriptura: *omnes animæ, quæ egressæ sunt de femoribus Jacob:* quid respondendum est eis, qui hoc testimonio confirmare nituntur, à parentibus simul animas cum corporibus propagari? Animas enim dictas pro hominibus,

(n) Ps. 23. v. 2. (o) Ps. 64. v. 10. (p) Ps. 35. v. 9.

bus, à parte totum significante locutione, nullus debet dubitare.

ỳ.15. *Hi filii Liæ, quos genuit in Mesopotamia Syria cum Dina; anima filiorum & filiarum triginta tres.*

Numquid istæ omnes triginta, & tres animæ ex Lia in Mesopotamia Syriæ natæ sunt, dum ibi Jacob non plus viginti annis cum socero suo moratus est: & septem anni transierunt, antequam Liam uxorem duxisset? Ideo etiam Scriptura Sancta hos omnes in Mesopotamia ortos esse dixit: quoniam eorum patres ibi orti sunt.

ỳ.26. Si sexaginta, & sex sunt, quæ ingressæ sunt animæ cum Jacob in Ægyptum; & ibi Joseph cum duobus filiis suis inventus est: quomodo septuaginta postea dicuntur esse animæ domus Jacob? Ipso vero patre Jacob quasi radice adnumerato septuaginta esse noscuntur.

ỳ.27. Dum enim in Genesi legimus septuaginta animas esse Domus Jacob; quomodo in Actibus Apostolorum dicitur in animabus septuaginta quinque descendisse Jacob in Ægyptum? Non enim aliquid poterat Lucas contrarium scribere adversum eam Scripturam, quæ jam fuerat gentibus divulgata; ut utique majoris opinionis illo duntaxat tempore Septuaginta interpretum habeatur auctoritas, quàm Lucas, qui ignotus, & vilis, & malæ * fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter observandum, quod, ubicumque sancti Apostoli, aut Apostolici viri loquuntur ad populos, his plerumque testimoniis abutuntur, quæ jam fuerant in gentibus divulgata. Licèt plerique tradunt, Evangelistam, ut proselytum Hebræas litteras ignorâsse.

Zv. magnæ

CAPUT XLVII. & XLVIII.

ỳ.3. Filii Jacob interrogati, *quid operis haberent? responderunt: pastores ovium sumus, sicut & patres nostri*, & reliqua, usquequo ait: *vocavit autem Jacob filios suos, & ait eis: congregamini, ut adnuntiem, quæ ventura sunt vobis diebus novissimis.*

Filii Jacob interrogati, quid operis haberent, responderunt; pastores ovium sumus, sicut & patres nostri. Quare Patriarchas primos pastores ovium, & non reges gentium legimus esse? Quia sine ulla dubitatione justa servitus & justa dominatio, cùm pecora homini serviunt, & homo pecoribus dominatur. Sic enim dictum est, cùm crearetur: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & habeat potestatem piscium maris, & volatilium cæli, & omnium, quæ sunt super terram.* Ubi insinuatur, rationem * debere dominari irrationali vitæ. Servum autem hominem homini vel iniquitas, vel adversitas fecit. Iniquitas quidem, sicut dictum est: *maledictus Chanaan, erit servus fratribus suis.* Adversitas verò, sicut accidit ipsi Joseph; ut venditus à fratribus servus alienigenæ fieret. Itaque primos servos, quibus hoc nomen in Latina lingua inductum est, bella fecerunt. Qui enim homo ab homine superatus jure belli posset occidi, quia servatus est, appellatus inde servus; & mancipia, quia manu capta sunt.

Zv. rationalem.

Quæ est terra Gessen, vel Ramesses? Ut Judæi autumant, quæ nunc Thebaida vocatur. Ramesses igitur pagum Arsenoiten sic olim vocatum putant. ỳ.6.

Quæritur: quomodo in terra Ægypti pascua pecoribus invenire potuissent; dum terra Ægypti pluviis non irrigatur, dum fratres Joseph ideo terram Chanaan reliquisse se dicunt; quod herbam gregibus suis non invenissent? Perhibetur ab eis, qui loca sciunt, in multis Ægypti paludibus potuisse pascua non deesse, etiam cum fames esset frumentorum, quæ solent Nili fluminis inundatione provenire. Magis enim dicuntur paludes illæ feraces pascua gignere, quando aqua Nili minùs excresceret. * Unde Gessen vertitur in *imbrem.*

Zv. excrevisset.

ỳ.29. Quid sibi vult à tanto viro, & tali Patriarcha tam sollicita corporis commendantia; ut non in terra Ægypti sepeliatur, sed in terra Chanaan juxta patres suos? In his ergo sacramenta tibi quærenda sunt, & admirationis gaudium invenies. Cadaveribus quippe mortuorum peccata significari in lege, non dubium est. Hinc illa sententia dicta est: (q) *qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit * lavatio ejus?* Sic & qui jejunat super peccato suo, & iterum

Zv. prodest.

(q) Eccli. 34, v. 30.

rum ambulans hæc eadem facit. Sepultura ergo mortuorum temissionem significat peccatorum. Eo pertinet, quod dictum est: (r) *beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Ubi ergo sepelienda erant hæc significantia cadavera Patriarcharum, nisi in ea terra, ubi ille crucifixus est, cujus sanguine facta est remissio peccatorum?

℣. 31. Quid est, quod Jacob conversus ad caput lectuli sui oravit DEUM? Scilicet postquam juraverat ei filius de petitione, quam rogaverat, adorare DEUM contra caput lectuli sui voluit. Sanctus quippe, & DEO deditus vir, oppressus senectute habebat lectulum positum, ut ipse jacens habitus absque difficultate ulla ad orationem esset paratus.

c. 48. ℣. 5. Quid est, quod Jacob dicit: * *duo filii tui Ephrem, & Manasses, sicut Ruben, & Simeon, duæ tribus erunt, & suis vocabulis vocabuntur?* Sicut Ephraim, & Manasses duæ tribus erunt, duosque populos procreabunt, & sic hæreditabunt repromissionis terram, sicut & filii mei. *Reliquos autem filios, quos post mortem meam genueris, tui erunt. In nomine patrum suorum vocabuntur in hæreditate sua*, qui non accipient separatim terram *, nec funiculos habebunt proprios, ut reliquæ tribus: in tribu Ephraim, & Manasse quasi appendices populi commiscebuntur.

Z. duo filii tui Ephr. & Ma sicut Rub. & Simeon erūt mei? Significat, sicut Rub. & Sim. duæ tribus erūt, & suis vocabulis vocabuntur, sic Ephr. & Ma. duæ tribꝰ erūt, duosque pop. procreabunt & sic h. r. t. f. & f. m. *hic desinit Cod. Zwetlensis.*

Cur Jacob Joseph filio suo, quasi nescienti indicare voluit, ubi & quando sepelierit matrem ejus? Fortè propheticè commemorare voluit, ibi sepultam matrem Joseph, ubi Christus fuerat nasciturus.

ib. ℣. 22. Quæ est pars una, quam Jacob dedit Joseph filio suo extra fratres suos, quam tulisse se de manu Amorrhæorum dicit *in gladio, & arcu suo?* Significavit urbem, quæ Hebraicè Sichem dicitur, & secundùm Græcam, & Latinam declinationem Sicima appellatur, & corruptè à plurimis Sychar nominatur: quæ & nunc Neapolis dicitur, urbs Samaritanorum. Sichem Hebræa lingua transfertur in *humerum.* Unde septuaginta ita interpretati sunt. Quod autem dicit, se eam *in arcu, & in gladio possedisse*, arcum hìc & gladium justitiam vocat, per quam meruit peregrinus, & advena interfecto Sichem, & Emot de periculo liberari. Timuit enim, quod supra legimus, ne vicina oppida, atque castella ob eversionem fœderatæ urbis adversum se consurgerent: & Dominus non dedit eis, ut nocerent illi. Vel certè sic intelligendum: *dabo tibi Sichimam, quam emi in fortitudine mea*, hoc est: in pecunia, quam multo labore, & sudore quæsivi. Quod autem ait: *super fratres suos*, ostendit absque sorte dedisse eam tribui Joseph, & mausoleum ejus ibi hodieque cernitur. Sequitur:

(r) Pf. 31. v. 1.

CAPUT XLIX.

℣. 2. 3. *Congregamini, & audite filii Jacob, audite Israël patrem vestrum. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea*, & reliqua, usquequo ait: *benedixitque singulis benedictionibus propriis.*

Quid intelligendum est de benedictionibus, quibus Jacob Patriarcha benedixit filios suos? An historicè, vel allegoricè intelligendæ sint, dum dixit: *congregamini filii Jacob, ut annuntiem vobis, quæ ventura sunt in novissimis diebus?* Et videtur ex his verbis magis allegoriam sonare, quàm historiam. Utrumque, & historiam, & allegoriam. Historiam in divisione terræ repromissionis, quæ divisiones dividendæ erant nepotibus illorum. Igitur allegoriam de Christo, & Ecclesia in novissimis temporibus futuram. Sed priùs historiæ fundamenta ponenda sunt; ut aptius allegoriæ culmen priori structuræ superponatur.

℣. 3. 4. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, principium doloris mei, prior in donis, major imperio, effusus es sicut aqua, non crescas: ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum ejus.*

Est autem sensus hic: tu es primogenitus, major in liberis, & debebas ordine * nativitatis tuæ hæreditatem, quæ primogenitis jure debebatur, sacerdotium accipere, & regnū: hoc quippe inportat honorē, & prævalidū robur quod monstrat. * Dicamꝰ per singu-

Cor. ordinem.

Cod. hoc q. inportando honorem, & prævalido robore,

singula manifestius; patet litteræ sensus. Quia beatus Jacob primum filium Ruben ex Lia uxore sua susceperit, qui se dignè tanto patre tractaret, ad eum primogenita, regnumque pertineret. Unde dicit eum sibi primogenitum: quasi cui deberentur dona primogeniti. Sed & fortitudinem suam eum nominat, eo quod robur Imperii ad eum debuerit declinare. Hæc autem non ideo indicativè protulit; quòd ita futura esse præviderit, vel voluerit, sed ut per hæc dicta ad pœnitentiam cohortaretur, cùm recoleret, à quanta dignitate peccando decidisset. Unde & dicit: *principium doloris*, & reliqua. Principium namque doloris illius fuit, qui ruptis castimoniæ habenis infrenis ruit in constuprandam conjugem patris, quæ res non mediocri dolore eum stimulâsse credenda est. Verum quia peccâsti, & quasi vasculo aqua, quæ quolibet non tenetur, voluntatis effusus es impetu, idcirco præcipio tibi; ut ultra non pecces, sisque in fratrum numero pœnas peccati lugens, quod primogeniti ordinem perdidisti. Principium autem doloris est omnis primogenitus; quia pro eo commoventur primùm viscera parentum.

ỳ.5.6.7. *Simeon, & Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia: in consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea; quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio illorum, quia dura. Dividam eos in Jacob, & dispergam illos in Israël.*

Significat autem non sui fuisse consilii, quòd Sichem, & Hemor, fœderatos viros interfecerint contra jus pacis, & amicitiarum tempore sanguinem fuderunt innocentem, & quasi quodam furore, sic crudelitate raptati murum hospitæ urbis everterent. Unde dicit: *maledictus furor eorum, quia pertinax*, & reliqua. Et: *dispergam eos in Israël.* Levi enim hæreditatem propriam non accepit, sed in omnibus sceptris paucas urbes ad

Cod. ad inhabitandas inhabitandum * habuit. De Simeone verò in libro Jesu scriptum est, quòd & ipse proprium funiculum non acceperit, sed de tribu Juda quiddam acceperit. In Paralipomenon autem manifestiùs scribi-

A. tur, quòd, cùm multiplicatus fuisset, & non haberet possessionis locum, exierit in desertum.

Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filij patris tui. Catulus Leonis Juda; ad prædam fili mi ascendisti (sive, ùt in Hebræo scriptum est: *de captivitate fili mi ascendisti*) *requiescens accubuisti ut Leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* ỳ.8.

Quia Juda *confessio*, sive *laus* interpretatur, rectè scribitur: Juda confite-

B. buntur tibi fratres, vel laudabunt te. Et licèt de Christo grande mysterium sit; sed tamen secundum litteram significat, quòd per David stirpem generentur Reges, & quod adorarent eum omnes tribus. Non enim ait: filij matris tuæ; sed: *filij patris tui.* Et quod sequitur: *ad prædam, fili mi, ascendisti*, ostendit eum captivos populos esse ducturum, & juxta intelligentiam sacratiorem: ascendisti in altum, captivam duxisse captivitatem, sive, quod melius puto, captivitas passionem; ascensus resurrectionem significat.

C.

Alligans ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam. ỳ.11.

Quod videlicet pullum asinæ, cui supersedit JEsus, hoc est: gentium populum vineæ Apostolorum, qui ab Judæis sunt, copulaverit. *Et ad vitem*, sive ùt in Hebræo habetur: *ad Sorech*, id est: *electam vitem*: alligaverit asinam, cui supersedit, Ecclesiam ex nationibus congregatam. Quod autem dicit: *fili mi*, conversionem ad ipsum Judam facit, quòd Christus hæc sit universa facturus. Quod autem dicitur: *non auferetur sce-*

D. *ptrum de Juda, & dux de femoribus ejus, donec veniat ille, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Significat, quod non deficerent Principes de tribu Juda usque ad tempus, quo natus est Christus, qui missus à Patre expectatio est gentium.

Issachar, asinus fortis, accubans inter terminos. Vidit requiem, quòd esset bona, & terram, quòd optima, & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens. ỳ.14.15.

Quia de Zabulon dixerat, quod A maris magni littora esset possessurus, Sidonem quoque, & reliquas Phœnicis urbes contingeret, nunc ad Mediterraneam provinciam redit, & Isachar, qui juxta Nephtalim pulcherrimam in Galilæa regionem possessurus est, benedictione sua habitatorem facit. Asinum autem osseum, vel fortem vocat, & humerum ad portandum; quia in labore terræ, & vehendis ad mare, quæ in finibus suis nascebantur, plurimùm laboraret, regibus quoque tributa comportans. Ajunt Hebræi, per metaphoram significari, quòd Scripturas sanctas die, ac nocte meditans, B. studium suum dederit ad laborandum, & idcirco ei omnes serviunt, quasi Magistro dona portantes.

℣.16.17. *Dan judicabit populum suum sicut & alia tribus Israël. Fiat Dan coluber in via, & cerastes in semita mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. Salutare tuum expectabo Domine.*

Samson Judex Israël de tribu Dan fuit. Hoc ergo dicit nunc videns in spiritu comam nutrire Samsonem: Nazaræum tuum cæsis hostibus triumphare, quod in similitudinem colubri, reguli- C. que obsidentis vias, nullum per terram Israël transire permittat: sed etiam, si quis temerarius virtute sua, quasi velocitate equi confisus eam voluerit, prædonis more populari, non effugere valebit. Totum autem per Metaphoram serpentis, & equitis loquitur. Videns ergo tam fortem Nazaræum tuum, quod ipse propter meretricem mortuus est, & moriens nostros occidit inimicos, putavi, ô DEUS, ipsum esse Christum filium tuum. Verùm quia mortuus est, & non resurrexit, & rursum captivus ductus est Israël, alius mihi salvator Mundi, & mei D. generis præstolandus est, ut veniat, cui repositum est. Ipse erit expectatio gentium.

℣.19. *Gad accinctus prœliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum.*

Significat, quòd ante Ruben, & dimidiam tribum Manasse, & filios, quos trans Jordanem in possessione dimiserat, post quatuordecim annos revertens, prælium adversum eos gentium vicinarum grande reperiret, & victis hostibus fortiter dimicaret. Lege librum Jesu Nave, & Paralipomenon.

Nephtalim cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis. ℣.21.

Sive Nephtalim *ager irriguus*; utrumque enim significat Hebræum verbum: *nalasylva*. Significat autem, quòd aquæ calidæ in ipsa nascuntur tribu. Sive quòd super lacum Genesareth fluenta Jordanis irrigua sit. Hebræi autem volunt propter Tiberiadem, quæ legis videbatur habere notitiam, agrum irriguum, & eloquia pulchritudinis prophetari. *Cervus* autem *emissus* propter temporaneas fruges, & velocitatem terræ uberioris ostendit. Sed melius, si ad doctrinam Salvatoris cuncta referamus; quòd ibi vel maximè docuerit Salvator, ut in Evangelio quoque scriptum est.

Filius meus Joseph accrescens, filius meus accrescens, & decorus aspectu. Filiæ discurrerunt super murum; sed exasperaverunt eum, & jurgati sunt, invidentesque illi habentes jacula. Sedit in forti arcus ejus, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum ejus per manus potentis Jacob. Inde pastor egressus est, lapis Israël. ℣.22.

O fili Joseph, qui tam pulcher es; ut te tota die de muris, & turribus, ac fenestris puellarum Ægypti turba prospectant. Inviderunt tibi, & ad iracundiam provocaverunt fratres tui, habentes livoris sagittas, & Zeli jaculis vulnerati. Verùm arcum tuum, & arma pugnandi posuisti in DEO, qui fortis est propugnator, & vincula tua, quibus te fratres ligaverunt, absoluta sunt, & disrupta; ut ex tuo semine tribus nascatur Ephraim fortis, & stabilis, & instar lapidis durioris invicta, imperans quoque decem tribubus Israël.

Benjamin lupus rapax, mane comedit prædam, & vespere dividet spolia. ℣.27.

Quia de Paulo Apostolo manifestissima sit prophetia, omnibus patet, quod in adolescentia persecutus Ecclesiam, in senectute prædicator Evangelii fuerit. Hebræi autem ita dixerunt, altare, in quo immolabantur hostiæ, & victimarum sanguis ad basem ipsius fundebatur, in parte tribus Benjamin fuit. Hoc, inquiunt,

quiunt, ergo significans, quòd Sacerdo- A.
tes immolent manè hostias; ad vesperam dividant ea, quæ sibi à populo ex lege collecta sunt, Lupum sanguinarium, lupum voracem super altaris interpretatione ponentes, & spoliorum divisionem super sacerdotibus, qui servientes altari vivunt de altari. Hæc autem historicè.

Spiritaliter autem in Ruben prioris populi Judæorum ostendisse personam, cui à Domino per Prophetam dicitur: *Israël primogenitus meus.* Etenim juxta quod primogenitis debebatur, ipsius erat accipere Sacerdotium, & regnum. B.
Additur: *tu virtus mea*, utique quia ex ipso virtus DEI, qui est Christus, advenit. Quomodo autem ipse sit principium dolorum, nisi dum Patri DEO semper irrogaret injuriam, dum convertat ad eum dorsum, & non faciem? *Iste prior in donis;* quia primùm ipsis credita sunt eloquia DEI, & legislatio, & testamentum, sive promissio. Iste *major imperio*, utique pro magnitudine virium; quia copiosiùs cæteris in hoc sæculo populus idem regnavit. *Effusus est autem sicut aqua*, peccando in Christo. Quæ vasculo non tenetur, voluntatis effusus C.
est impetu; & idcirco addit: *ultra non crescas;* quia ipse populus, postquam universo Orbe dispersus est, valde imminutus est. Sed quare talia meruit, ita subjecit: *quia ascendisti cubile patris tui.* Primogenitæ autem plebis audaciam prædicat; quæ ascendit cubile patris sui, & maculavit stratum ejus; quando corpus Dominicum, in quo plenitudo Divinitatis requiescebat, raptum in cruce suspendit, & ferro commaculavit.

Simeon, & Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia. Per Simeonem, & Levi Scribæ, & Pharisæi, & sacerdotes Ju- D.
daici populi intelliguntur. De Simeone enim Scribæ Judæorum erant. Et de tribu verò Levi Principes Sacerdotum, qui consilium fecerunt, ut JEsum dolo tenerent, & occiderent. De quo consilio dicit: *in consilium eorum non veniat anima mea.* Horrebat enim tanta scelera jam videre, quæ novissimis temporibus facturi erant Judæi; *quia in furore suo occiderunt virum*, id est: Christum, de quo dicitur: (*s*) *ecce vir, oriens nomen ejus.* Et alibi: (*t*) *fœmina circumdabit virum. Suffoderunt murum*, id est: illum spiritalem fortissimum murum, qui custodit Israël, lancea confoderunt. *Maledictus furor eorum, quia pertinax;* utique quando furore accensi, & ira obtulerunt Christum Pontio Pilato, dicentes: (*u*) *crucifige, crucifige. Et indignatio eorum, quia dura;* dum Barabbam latronem peterent, & principem vitæ crucifigendum postularent. *Dividam eos in Jacob, & dispergam illos in Israël:* quia nonnulli ex ipsis crediderunt; quidam in infidelitate permanserunt. Dicuntur enim divisi hi, qui ab eis separantur, & veniunt ad fidem. Dispersi autem, quorum patria, temploque subverso per Orbem terræ incredulum genus spargitur.

Juda, te laudabunt fratres tui. Per hunc Judam verus confessor exprimitur Christus, qui ex ejus tribu secundum carnem est genitus. Ipsum laudabunt fratres sui, Apostoli scilicet, & omnes cohæredes ejus, qui per adoptionem filii DEO Patri effecti sunt, & Christi fratres effecti per gratiam, quorum ipse est Dominus per naturam. *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum.* Iisdem enim manibus, id est: crucis trophæo & suos texit, & inimicos, & adversarias potestates curvavit, juxta quod & Pater promisit ei dicens: (*w*) *sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Adorabunt te filii patris tui;* quoniam multi ex filiis Jacob adorent eum per electionem gratiæ salvi facti. *Catulus Leonis Juda:* quando nascendo parvulus factus est nobis. *Ad prædam, fili mi, ascendisti*, id est: ascendens in crucem captivos populos redemisti, & quos ille contrarius invaserat, tu moriens eripuisti. Denique rediens ab inferis ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem. *Requiescens accubuisti ut Leo*, manifestissimè in passione Christus recubuit, quando inclinato capite tradidit spiritum; sive quando in sepulchro securus, velut quodam corporis somno quievit. Sed quare *ut Leo*, & velut catulus leonis? In somno enim suo Leo fuit; quia non necessitate, sed potestate hoc ipsum implevit, sicut ipse dicit: (*x*) *nemo*

(*s*) Zachar. 6. v. 12. (*t*) Jerem. 31. v. 22. (*u*) Lucæ 23. vers. 21. (*w*) Ps. 109. v. 1. & 2.

(*x*) *nemo tollit animam meam*, *sed ego ponam eam.* Quòd verò addidit: *Et ut catulus Leonis.* Inde enim mortuus est, unde & natus. Benè Christus ùt Leo requievit, qui non solùm mortis acerbitatem non timuit, sed etiam in ipsa morte mortis imperium vicit. Quod autem dicit: *quis suscitabit eum?* quia nullus, nisi ipse dicit: solvite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. *Non deficiat Dux de Juda*, & reliqua. Hic manifestissimè ad Judam refertur. Diu enim fuit ex semine illius intemerata apud Judæos successio regni; donec Christus nasceretur. Et hoc supra diximus. *Alligans ad vineam pullum suum.* Pullus suus populus est ex gentibus, cui adhuc numquam fuerat legis onus impositum. Hunc copulavit ad vineam Apostolorum, qui ex Judæis sunt. (*y*) *Nam vinea Domini Sabaoth domus Israël est. Et ad vitem asinam suam.* Ipse dixit: (*z*) *ego sum vitis vera.* Ad hanc ergo vitem alligat asinam suam, Synagogam tardigradam scilicet, & gravi legis pondere depressam. *Lavabit in vino stolam suam;* sive carnem suam, in sanguine passionis; sive sanctam Ecclesiam, illo vino, quod pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Et in sanguine uvæ pallium suum.* Pallium gentes sunt, quas corpori suo junxit, sicut scribitur: vivo ego, dixit Dominus, nisi hos omnes induam sicut vestimentum. *Pulchriores oculi ejus vino.* Oculi Christi Apostoli sunt, & Evangelistæ, qui lumen scientiæ Ecclesiæ præstant: quorum præcepta austeritatem vini priscæ legis superant; quia longè clariora sunt, quàm veteris testamenti mandata. *Et dentes lacte candidiores.* Dentes præceptores sunt sancti, qui præcidunt ab erroribus homines, & eos quasi comedendo in Christi corpus * transmutant. Nomine autem *lactis* doctrina legis significatur, quæ carnalem populum tamquam parvulos poculo lactis alebat. Cujus quidem candidiores effecti sunt prædicatores Ecclesiæ; quia fortem, & validum verbi cibum mandunt, atque distribuunt, de quibus dicit Apostolus in Epistola ad Hebræos; (*a*) *perfectorum autem est solidus cibus.* Et benè candidiores lacte dentes ejus dicit. Omnes enim, qui perfecti sunt, & qui Scripturarum cibos explanantes, subtilem & minutum intellectum, qui spiritalis dicitur, Ecclesiæ corpori subministrant, candidi esse debent, & puri, atque ab omni macula liberi.

* *Cod.* transmittunt.

Issachar asinus fortis. Issachar, qui interpretatur *merces*, ad populum gentium, quem Dominus sanguinis sui pretio mercatus (est, refertur.) Hic Issachar asinus fortis scribitur? quia prius gentilis populus, quasi brutum animal, & luxoriosum erat, nullaque ratione subsistens; nunc verò fortis est, Redemptoris dominio colla subjiciens, & jugum disciplinæ Evangelicæ perferens. Hic *accubans inter terminos vidit requiem, quòd esset bona, & terra, quòd optima.* Inter terminos namque accubare est, præstolato Mundi fine requiescere, nihilque de his, quæ nunc versantur in medio, quærere; sed ultima desiderare. Et fortis asinus requiem videt, & terram optimam; cùm simplex gentilitas idcirco ad robur boni operis se erigit; quia ad æternæ vitæ patriam tendit. Unde etiam & *ponit humerum suum ad portandum;* quia dum ad promissam requiem pervenire desiderat, cuncta mandatorum onera libenter portat. Unde & *factus est tributis serviens*, hoc est: Regi, & Christo suo fidei dona, operumque bonorum munera offerens.

Zabulon in littore maris habitabit, & in statione navium. Zabulon qui interpretatur *habitaculum fortitudinis*, Ecclesiam significat, fortissimam ad omnem tolerantiam passionis. Hæc in littore maris habitat, & in statione navium; ut credentibus sit refugium, & periclitantibus demonstret fidei portum. Hæc contra omnes turbines seculi inmobili, & inconcussa firmitate solidata expectat naufragium Judæorum, & hæreticorum procellas, qui circumferuntur omni vento quorum etsi tunditur fluctibus, frangit tamen ipsius fluctus, non frangitur, nec ullius hæreseos tempestatibus cedit, nec ulli vento schismatum commota succumbit. *Pertendit autem usque ad Sidonem*, hoc est usque ad gentes pervenit. Legitur etiam in Evangelio, inde assumptos aliquos Apostolorum, & in ipsis locis Dominum sæpe docuisse, sicut scriptum est:

(*x*) Joan. 10. vers. 18. (*y*) Isa. 5, vers. 7. (*z*) Joan. 15, vers. 1. (*a*) Hebr. 5. vers. 14.

est (b) terra Zabulon, & terra Nephtalim, via maris trans Jordanem Galilaeae gentium; populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam.

Dan judicabit populum suum, sicut & alia tribus Israël. Fiat Dan coluber in via, & cerastes in semita &c.

Alii dicunt, Antichristum per hæc verba prædici de ista tribu futurum; alii de Juda, à quo traditus est Christus, hæc scripta pronuntiant, & equitem, atque equum Dominum cum carne suscepta designare volunt. Retrorsum autem caderet, ut in terram reverteretur, unde sumptus est. Sed quoniam die tertia resurrexit, ideoque ait: *salutare tuum expectabo Domine.* Sicut & per David dicit: (c) *non derelinques animam meam in inferno.* Hæc quidam ita exponunt. Alii verò hanc prophetiam ad Antichristũ transferunt. De tribu enim Dan venire Antichristũ ferunt pro eo, quòd hoc loco Dan & *coluber* asseritur, & *mordens.* Unde & non immerito, dum Israëliticus populus terram in castrorum partitione susciperet, primus Dan ad Aquilonem castra metatus est, illum scilicet significans, qui in corde suo dixerat: (d) *sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* De quo & per Prophetam dicitur: (e) *à Dan auditus fremitus equorum ejus.* Qui non solùm coluber, sed etiam *cerastes* vocatur. Cerastæ enim Græcè cornua dicuntur, serpensque hic cornutus esse perhibetur. Per quem dignè adventus Antichristi asseritur, qui contra vitam fideliũ cum morsu pestiferæ prædicationis armabitur etiam cornibus potestatis. Quis autem nesciat, semitam angustiorem esse, quàm viam? Fit ergo Dan coluber in via, quia in præsentis vitæ latitudinem eos ambulare provocat, quibus quasi parcendo blanditur. Sed in via mordet; quia eos, quibus libertatem tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit iterum cerastes in semita; quia quos fideles reperit, & sese ad cœpta angusta itinera constringentes, non solùm nequitia callidæ persuasionis impetit; sed etiam terrore potestatis premit, & in persecutionis angore post beneficia fictæ dulcedinis exercet cornua potestatis. Quo in loco *equus* hunc Mundum insinuat, qui per elationem suam in cursu labentium temporum spumat. Et quia Antichristus extrema Mundi apprehendere nititur, cerastes iste *ungulas* mordere perhibetur. Ungulam quippe mordere est extrema sæculi feriendo contingere. *Ut cadat ascensor ejus retro.* Ascensor equi est, quisquis extollitur in dignitatibus Mundi. Qui retro cadere dicitur, & non in faciem, sicut Saulus cecidisse memoratur. In faciem enim cadere est in hac vita suas unumquemque culpas agnoscere, easque pœnitendo deflere. Retro verò, quod non videtur, cadere est ex hac vita repente decidere, & ad quæ supplicia ducatur, ignorare. Et quia Judæa erroris sui laqueis capta, pro Christo Antichristum expectat, benè Jacob eodem loco repente in electorum voce conversus est dicens: *salutare tuum expectabo Domine.* Id est: non sicut infidelis Antichristum; sed eum, qui redemptione nostra venturus est, verum credo fideliter Christum.

Gad accinctus præliabitur ante eum. Iste Gad accinctus personam Domini exprimit, qui in primo adventu humilitatis suæ ante adventum Antichristi præliaturus occurrit, accinctus gladio verbi sui circa femur potentissimè, quo inimicos divisit, i.e.: filiumà patre, filià à matre, nurum à socru juxta quod legitur in Evangelio: (f) *non veni pacem mittere in terram, sed gladium.* Quod autem ait: *& ipse accingetur retrorsum*, claritas Domini nostri in secundo regno ejus ostenditur. Quia cùm venerit Antichristus, occurret retrorsum, id est: post ejus vestigia Christus celeri adventu progrediens, ut interficiat eum gladio oris sui. Unde & benè idem Gad *latrunculus* interpretatur, eò quòd posterior, id est: secus pedes, quasi latrunculus rapido, atque improviso adventu exiliat contra apertam Antichristi oppugnationem. Hinc est, quod Evangelista proclamat dicens: (g) *quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* Christus ergo & ante, & retro præliari contra Antichristum scribitur. Ante eum namque in occulto adventu humilitatis; post eum manifestus in gloria majestatis. Demonstrat apertè Moyses prophetiam Patriarchæ hujus specialiter pertinere ad Chri-

(b) If. 9. v. 2. (c) Pf. 15. v. 10. (d) If. 14. v. 13. (e) Jerem. 8. v. 16.
(f) Matth. 10. v. 34. (g) 1. Thess. 5. v. 2.

Christum. Sic enim ait: *benedictus*, in-quit, *in latitudine Gad; quasi Leo requie-vit, cœpitque brachium, & verticem, & vidit principatum suum*. Agnoscant ita-que, quis requieverit sicut Leo, nisi Christus in sepulchro suo: quis confre-gerit verticem, brachiaque potentum, nisi Redemptor noster, qui humiliavit virtutem, & superbiam excelsorum. Quis vidit principatum suum, nisi ille, cui da-tus est principatus, & honor, & re-gnum?

Aser pinguis panis ejus, & præbet de-litias regibus. Aser, cujus nomen signi-ficat divitias, idem Christus est, cujus est altitudo divitiarum sapientiæ, & scien-tiæ. Qui propter nos pauper factus est, cùm dives esset. Cujus panis pinguis fa-ctus est: caro scilicet ejus, quæ est esca Sanctorum, (*h*) *quam si quis manduca-verit, non morietur in æternum*. Ita etiam præbet delitias sapientiæ regibus, id est: qui sensus proprios benè regunt, qui do-minantur vitiorum suorum, qui casti-gant corpora sua, & in servitutem subji-ciunt.

Nepthalim, quod interpretatur *di-latatio*, Apostolos, & prædicatores san-ctos significat, quorum doctrina in lati-tudine totius Mundi effusa est. Ex hac enim tribu fuerunt Apostoli, qui sunt Principes Ecclesiarum, & duces, (*i*) *prin-cipes Zabulon, & principes Nephtalim*, qui sine dubio ad personam referuntur Apo-stolorum. Ipsi sunt, (*k*) *filii excusso-rum*, id est: filij Prophetarum, qui in manu potentis DEI positi, tamquam sa-gittæ excussæ pervenerunt usque ad fines terræ, Unde & benè hinc Nephtalim *cervus emissus* scribitur: quia nimirum Apostoli sive prædicatores veloci saltu exilientes in morem cervorum transcen-dunt implicamenta seculi hujus, sicque excelsa, ac sublimia meditantes *dant elo-quia pulchritudinis*, id est: prædicant cunctis gentibus doctrinam Domini Sal-vatoris.

Filius accrescens Joseph. Hæc pro-phetia post patratam ascensionem pater-næ vocis imaginem prætulit, qua re-deuntem in cœlum post victoriam Chri-stum Pater alloquitur dicens: *Joseph filius accrescens*, utique in gentibus; quia

A. cùm ob incredulitatem Synagogæ popu-lum reliquisset, innumeram sibi plebem Ecclesiæ ex omnibus gentibus ampliavit. Quod & David cecinit dicens: (*l*) *re-miniscentur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ*. Filius accrescens, & *decorus aspectu*: omnes enim superat illius pulchritudo, juxta quod & de ipso in Psal-mis canitur: (*m*) *speciosus forma præ filiis hominum. Filiæ decurrerunt super murum*. Id est: gentes, vel Ecclesiæ, quæ crediderunt in Christum, hæ super soliditatem fidei, quasi super murum pul-chritudinis Christi accensæ discurrunt,

B. ut verum sponsum per contemplationem aspiciant, & osculo charitatis illi copu-lentur, atque adhæreant. Sed *objurgati sunt eum*; quando falsis testimoniis ca-lumniantes Sanctum Domini opprimere Synagogæ populi tentaverunt. *Invide-runtque illi habentes jacula*. Neq; enim quisquam in Joseph conjecit sagittas, vel aliquod vulneris telum; sed hoc specia-liter evenit in Christo. *Sedit in forti ar-cus ejus*. Christus enim arcum suum, & arma pugnandi posuit in DEO, qui for-tis est propugnator; cujus virtute conci-ditur omnis nequitia perfidorum. *Et*

C. *dissoluta sunt vincula brachiorum ejus*, qui-bus fratres eum vinctum ad Pilatum du-xerunt, vel quibus eum suspensum ligno crucifixerunt. Recisa sunt enim *per ma-nus potentis Jacob*, hoc est: per manus omnipotentis DEI Jacob, ex cujus ore ipse Dominus, bonus pastor egressus est lapis, & firmitas credentium in Israël. *DEus patris tui erit adjutor tuus*. Quis adjuvit filium, nisi DEUS Pater, qui dixit: Ja-cob puer meus, suscipiet eum anima mea? *& omnipotens benedicet tibi benedi-ctionibus cœli desuper benedictionibus abyssi jacentis deorsum*. Universa enim subjecit

D. ei, cœlestia per benedictionem cœli, & terrena per benedictionem abyssi jacen-tis deorsum, ut omnibus Angelis, & ho-minibus dominaretur. Benedictionibus uberum, id est: sive duorum testamen-torum, quorum altero nuntiatus est, al-tero demonstratus. Sive benedictioni-bus uberum Mariæ, quæ verè benedi-cta erat; quia eadem sancta Virgo de se Domino potum lactis immulsit. Un-de illa mulier in Evangelio ait: (*n*) *bene-dictus*

(*h*) Joan.4.v.52. (*i*) Ps.67.v.28. (*k*) Ps.126.v.4. (*l*) Ps.21.v.28. (*m*) Ps.44.v.3. (*n*) Luc.11.v.27.

dictus venter, qui te portavit, & ubera, A
quæ suxisti. Benedictionibus uberum, & vulvæ. Etiam benedicitur vulva ejusdem Matris; illa utique virginalis, quæ nobis Christum Dominum edidit, de qua Pater per Hieremiam prophetam dicit: (o) *priusquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de vulva, sanctificavi te. Benedictiones patris tui confortata sunt benedictionibus patrum tuorum.* Benedictiones, inquit, Patris tui cœlestis, quæ datæ sunt tibi à summo cœli, & abyssi, confortatæ sunt, id est: prævaluerunt benedictionibus patrum tuorum. Ultra omne enim sanctorum meritum Patriarcharum, B
sive Prophetarum convaluit benedictio omnipotentis Patris in filio, ita ut ei nullus sanctorum æquetur. *Donec veniret desiderium collium æternorum.* Colles isti sancti sunt, qui Christi adventum prophetantes magno cum desiderio incarnationem ejus expectaverunt, de quibus Dominus dicit: (p) *quia multi justi, & Prophetæ cupierunt videre, quæ videtis.* Hi ergo Sancti dicti sunt colles propter excellentiam sanctitatis. Qui etiam æterni vocantur, quia vitam consequuntur æternam, nec intereunt cum Mundo; sed esse creduntur æterni. *Fiant in capite Joseph*, omnes scili- C
cet benedictiones istæ super Christo ponuntur, quas incarnatus accepit, *& super verticem Nazaræi*, de quo scriptum est: (q) *quoniam Nazaræus vocabitur*, id est: sanctus DEI inter fratres suos, quia ipse caput omnium eminens universorum Sanctorum, quos etiam & fratres vocat in Psalmis.

Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam & vespere dividet spolia. Quibus dictis Apostolus Paulus designatur, de Benjamin stirpe progenitus, qui mane rapuit prædam, id est: in primordiis fideles, quos potuit, devastavit. Vespere D
autem spolia dividit: quia fidelis postmodum factus, sacra eloquia audientibus descriptione mirifica dispensavit. Legimus quendam ex Doctoribus, ad Urbem Hierusalem, ea, quæ de Benjamin scripta sunt, referentem. Benjamin, inquit, filius doloris interpretatur. Hic sorte hæreditatis eum locum accepit, in quo terrena est Hierusalem, quæ nunc propter incredulitatem abjecta est, atque repulsa. Hæc enim in filiis suis sub persona Benjamin designatur. Nam sicut Benjamin ultimam consequitur benedictionem; ita & idem populus ultimus est salvandus, posteaquam plenitudo gentium introierit. Dixit enim: *Benjamin lupus rapax:* lupus scilicet; quia ipse populus effudit sanguinem Prophetarum, atque justorum. *Rapax* autem propter aviditatem dicitur. Ex multa enim fame verbi DEI, & inedia venit rapax; quia & ipse violenter diripuit regnum DEI. Hic autem *mane comedit prædam.* Mane illud tempus creditur, quo legem accepit. Tunc Mundo prima quidem inluminatio scientiæ data est. Comedit autem mane; quia legem, quam mane accepit, comedit adhuc, & meditatur; licèt sequens legem justitiæ in legem fidei non pervenit. *Ad vesperam autem dividet spolia.* Vespere est illud tempus novissimum, quo convertetur. Tunc ergo dividet escam: tunc intelliget dividendam esse litteram ab spiritu, & tunc cognoscet; quia littera occidit; spiritus autem vivificat. Quia ergo jam per gratiam Domini inluminatus incipit in lege spiritalia à corporalibus dividere, & separare; ideo dicitur: *ad vesperam dividet escam*, quod tota die in lege meditans ante non fecit.

Quæritur autem de Jacob, cur omnes, quos de liberis, & ancillis genuit, æquales honore filios, & hæredes constituerit? Nisi ut ostenderet, quòd Christus Dominus omnibus gentibus, qui per fidem corpori ejus conciliantur, cunctis pari honore, & gloria habitis cœlestia præmia largiatur. Non est enim discretio: (r) *Judæus, an Græcus, barbarus, an Scytha, servus, an liber sit; quia per omnia, & in omnibus Christus est.* Propterea enim figuram servi Salvator noster, & Dominus induit, & pro libero, & pro servo servivit; ut omnibus credentibus in se æquale donum bonorum cœlestium largiatur. Nec præfertur apud illum, qui secundum carnem nobilior sit. Quicunque enim fidem promeretur, nullis maculis carnalis nativitatis obfuscatur. Nam hoc ita futurum etiam per Prophetam significatur, dicente Domino: (s) *erit in diebus novissimis, effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Sequitur:

(o) Jer. 1. v. 5. (p) Matth. 13. v. 17. (q) Matth. 2. v. 23. (r) Col. 3. v. 11. (s) Joel. 2. v. 28.

CAPUT L.

Vocavit autem Joseph fratres suos, dixitque eis: post mortem meam visitabit vos DEUS, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram, quam juravit Abraham, Isaac, & Jacob. Asportate vobiscum ossa mea de loco isto.

Quid est, quòd tantus vir ossa sua ab Ægypto asportari præcepit? Non enim otiosè mandâsse credendus est. Qui prophetare potuit, non improvidè ista præcepit. Cùm enim esset in DEI creatoris devotione propensior, sciens ab ipso percepisse, quod Ægyptum in tanta majestate gubernaret, noluit, ut sibi honor, sed debitus creatori deferretur: & ideo errorem post mortem suam expetiit auferri, perpendens, ab Ægyptiis causa vanitatis illicitum honorem impendi sibi post mortem, certus, vanitatem vulgi mortuos magis, ùt Deos, venerari, quàm vivos. Et ideo, ut esset alienus à vana superstitione Ægyptiorum, ne aliquando ad DEI injuriam ista fierent, præcepit, ossa sua asportari ab Ægypto; quod quidem & Apostolos invenimus secutos, Paulum scilicet, & Barnabam. Nam cùm sacrificari sibi vidissent, scientes, exosum esse DEO, sciderunt vestimenta sua dicentes: quid facitis? (*t*) *Nam & nos homines sumus vobis similes.* Et sic compescuerunt turbas. Verùm si cui spiritaliter interpretari placuerit, videlicet ut Joseph significet Dominum, ac Redemptorem nostrum, Ægyptus, qui interpretatur *tenebra*, Judæam propter obscuritatem suæ perfidiæ, ossa ejus virtutes fidei, quam Judæa retinere indigna suis exigentibus tenebris ignorantiæ fuit, & fratres Joseph sanctos Apostolos, quorum figuram multis in locis obtinent, terram ipsorum Ecclesiam ex gentibus, ubi fidem Salvatoris prædicârunt; nos contradicere nolumus; sed suo judicio sine contentione derelinquere decrevimus.

(*t*) Actor. 14. v. 14.

Liber enim jam finem exposcit; clausula terminum petit. Unde in calce lectorem humiliter precamur; ut si hoc opusculum lectione dignum duxerit, & utile, si quid invenerit; auctorem quidem scriptionis Domino commendare non abnuerit; quia ejus est donum, quòd aliquid utilitatis ediderim. Nam si aliqua digna reprehensione repererit, nostræ stultitiæ, ac infirmitati deputet, quoniam non grata, nec præsumptuosa, sed imperata potiùs describere conati sumus, & si de artificiosa compositione causatus fuerit, sciat, quia prudentes viri non compta, sed utilia in scripturis requirunt, & eis non verba artificiosa, sed dicta proficua placent; quia sciunt, quòd non res pro verbis, sed verba pro rebus describendis sunt instituta.

FINIS Libri.



CAN-

CANDIDI PRESBYTERI,
Alcuini Diſcipuli,
Expoſitio
PASSIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Eruta ex MS. Cod. Bibliothecæ Sanct-Emmerammenſis Ratisbon.

Ab
Adm. R. D. P. Caſparo Altlechner, Cœnobita Mellicenſi.

INCIPIT

PRÆFATIO CANDIDI PRÆSBYTERI IN EXPOSITIONEM PASSIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

NOtum est vobis Fratres Charissimi, & frequenti sancti Evangelii lectione compertum, quòd DEUS Omnipotens pro salute humani generis filium suum Unigenitum mittere in hunc mundum dignatus est; qui ei semper Coæternus & Coomnipotens quasi ad nos venire dicitur, cum humanam naturam, ut ab hominibus videri potuisset, assumpsit. Est enim fratres divina natura invisibilis, & incomprehensibilis, & ubique tota. Hoc est ergo, quod vobis dicimus: ille in sua natura divina ubique est; dicitur autem venire ad nos in hunc mundum, B. cum humanam naturam induit, ut videri potuisset. Natus est ergo, ut scitis, ex Sancta Virgine Maria his novissimis temporibus, qui ante sæcula ex DEO Patre natus, Patri est, & Spiritui Sancto coæternus. Natus est inquam secundum humanitatem, qui in divinitate semper ex DEO natus est. Ad hoc autem natus; ut homines suo exemplô & verbô doceret, & via esset omnibus credentibus ad regnum cœlorum. Ita dico *via*, quia qui sic ambulat sicut ipse ambulavit, & exemplum præbuit, & ipse docuit, & quæ docuit, ipse implevit, pervenire poterit ad regnum cœ- C. lorum. Ideoque dicitur *via*, quia sicut per viam, ita nobis per ejus doctrinâ, & exempla veniendum est ad regnum cœlorum. Venit igitur filius DEI, ut doceret; venit, ut, quæ docuit, impleret; docuit, ut unusquisque homo diligeret DEUM, & diligeret proximum sicut se ipsum. Ille semper DEum diligebat, & diligit ille proximos, i.e. fideles animas, quas sibi proximas fecit; quia humanam animam ad unitatem suæ personæ assumpsit: dilexit inquam proximos ita, ut se ipsum pro suis fratribus, & proximis ad mortem trade-

A. ret. Nam aliter humanum genus ab æterna morte redimi non potuit, nisi ut aliquis innocens pro omnibus moreretur. Sed quia post prævaricationem primorum hominum nullus ex viro, & fœmina natus innocens apparuit: ideo DEUS filius DEI ex sola virgine natus innocens & sine peccato in mundo apparuit; ut pro multis peccatoribus unus moreretur non peccator, sed peccatorum redemptor. Hoc ergo Sacramentum Dominicæ Passionis modò tempus illud agimus, quo factum esse legitur. Sic enim solet sancta DEI Ecclesia omnibus annis memoriam passionis ejusdem, qua mundus ab æterna morte redemptus est, solemniter agere, seq; bonis operibus, ut ad Resurrectionis ejus consortium pertinere mereatur, præparare; quod in omni quidem tempore, sed in hoc devotissimè agendum est. Igitur audiamus fratres intento corde, & mente devota, quomodo ipse Dominus noster ad hanc pro nostra salute suscipiendam passionem venire dignatus est: & quam patientèr sibi inlatam toleraret, qualéque exemplum patientiæ suis fidelibus præbere (ut eam sequerentur) dignatus est; ut his auditis & memoriæ commendatis possimus DEO auxiliante ad gaudium ejus Resurrectionis parati, & bonis operibus impleti, audiendum pervenire. *Si enim*, ait Apostolus, *compatimur, & conglorificabimur*. (Rom. 8. v. 17.) Et, si sequimur vestigia mortis ejus, simul & resurrectionis participes erimus. Quia si talis necessitas evenerit, parati esse debemus mori pro Christo, sicut ille pro nobis mortuus est. Attamen, si usque ad mortem nos nemo persequitur, mente tamen debemus parati esse, ut ei commoriamur, ut & convivere mereamur. Agamus semper gra-

tias

tias divinæ pietati, quæ tantùm nos dili- A.
gere dignata est, & non solùm verbis,
sed etiam mandatis, quæ ipse præcepit,
probemus nos eum diligere, qui priùs
dilexit nos, & tradidit semetipsum pro
nobis ad mortem. Ergo quatuor Evangelistæ Matthæus scilicet, & Marcus, & Lucas, & Joannes, historiam nobis Dominicæ Passionis, quo ordine peracta fuisset, enarrant: sed quia longum est uniuscujusque eorum verba per ordinem omnia vobis explicare, omnium quatuor simul vobis, quasi unius verbis Passionem Dominicam enarrare, brevitérque explanare volumus.

CAPUT I.

Textus Passionis Domini ordinabilis per quatuor Evangelistas.

Sicut igitur Evangelistis narrantibus agnovimus, cum consummâsset JESUS sermones doctrinæ suæ omni populo dicendæ:

Joan. 13. *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et dixit discipulis suis: scitis, quia post biduum pascha*
Matth. 26. *fiet, & filius hominis tradetur ut crucifigatur.*

Consummatâ ut diximus doctrinâ Evangelii, qua totam plebem docere disposuit, prædixit tunc discipulis, quod prope fuisset Pascha id est: post biduum, quod nobis intelligendum reliquit, videlicet post duos dies legis naturalis, & legis litteræ. Venit ille, ut nobis, quid Pascha fuisset, exemplô ostenderet; sciebat enim, inquit Evangelista, *quia*
Joan. 13. v. 1. *venit ejus hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*: hoc est enim Pascha, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem. Hoc ipsis discipulis voluit his verbis ostendere, scilicet, quod filius hominis tradendus erat in manus occidentium eum; ut post mortem transiret ad Patrem, Pascha enim *transitus* interpretatur. Ergo ipse verbis illis ostendit, quid esset Pascha, id est, ut filius hominis traderetur, & crucifigeretur, & à morte transiret ad Patrem, cum quo semper fuit.

Matth. 26. *Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & consilium fecerunt, ut JESUM dolô tenerent, & occiderent. Dicebant autem: non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.*

Illi principes sacerdotum, & seniores populi Judæorum, qui ad hoc constituti sunt, ut legem DEI meditarentur, & populo prædicassent, mutaverunt officium suum, & se ad hoc congregabant; ut salutem suam à se auferrent, & quantum ad illos pertinebat, occiderent. Dicebant autem, hoc non agendum in die festo, hoc est Paschæ, ne tumultus fieret
B. in populo. Magis timebant populum quàm DEUM: solebat enim ad solemnitatem Paschæ multitudo populi convenire. Timebant autem, ne eum populus tolleret de manibus eorum. Sed vellent nollent, tempus illud à DEO & præfinitum, & longè ante præfiguratum erat; ut quando agnus paschalis immolari solebat, ipse verus agnus adveniens pro totius mundi immolaretur salute. Ipse enim agnus DEI, qui tulit peccata mundi, ipse traditus est propter delicta nostra. Traditor autem ejus fuit unus ex illis duodecim, quos eligit, discipulis: nam ut
C. Joannes Evangelista ait:

CAPUT II.

Sex diebus ante Pascha venit Jesus Bethaniam, ubi erat Lazarus mortuus, quem suscitavit JESUS. Et fecerunt ei cœnam ibi in domo Simonis cujusdam leprosi, & Martha soror Lazari ministrabat; Lazarus verò ipse unus erat ex discumbentibus cum eo. Accessit autem Maria soror ejus altera, & accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit caput, & pe- D. *des JESU recumbentis, & extersit capillis suis pedes ejus, & domus impleta est ex odore unguenti.* Joan. 12.

Fratres mei, ista cœna facta est, sicut dixi, sex diebus ante Pascha: sed ad hoc vobis modò dicitur, ut sciatis, quomodo ille nefandus proditor Judas ad hoc venisset, ut Dominum traderet Judæis, sicut modò in sequentibus audietis. Venit ergo Dominus in Bethaniam. Bethania castellum est in Judæa, & nomen illud interpretatur *domus obedientiæ*. Significat

ficat autem Ecclesiam istam Christi, quæ A. non aliter ejus Ecclesia est, nisi domus obedientiæ sit. Qui enim eam primò fundavit Christus JESUS Dominus, ille obediens DEO Patri fuit usque ad mortem: qui ergo ejus Ecclesiæ particeps esse voluerit, per obedientiam hoc se sciat posse mereri. Sed in ista Ecclesia Christi duo genera hominum esse solent: Unum eorum, qui prædicant fidem Christi. Alterum eorum, qui fidei doctrinam à prædicatoribus accipientes, ipsos prædicatores de substantia terrena sustentant, ut opus prædicationis implere valeant. Ista autem cœna facta dicitur in Bethania, B. quasi in Ecclesia, & in domo Simonis leprosi, quasi in populo gentium, qui ante peccatis leprosus à DEO mundatus dignus factus est, ut in ejus domo cœna Domini fieret. Ubi ut diximus duo genera hominum sunt, qui Christo serviunt. Prædicatores, & quibus prædicatur. Nam & in ista cœna dominica duæ sorores fuerunt, Martha & Maria: Martha ministrabat, & Maria cum unguento unxit Dominum. Quæ ministrabat, significat homines, qui prædicatores suos de sua substantia sustentant, & adjuvant ad opus prædicationis; Maria autem ipsos C. prædicatores designat, quæ unxit Dominum, quia qui prædicat Christum verum DEUM, ipse caput Domini ungit: & qui eum hominem prædicat, ipse pedes ejus ungit, & extergit pedes Domini capillis. Nam ad hoc parati debent esse prædicatores, ut sicut ipse pro nobis mori dignatus est, ita & illi pro ejus fide
1. Pet. 2. v. 21. semper mori parati sint. *Christus* enim *passus est pro nobis relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* Si ergo tempus tale sit, ut pro ipso mortem pati necesse sit, parati simus; sin autem vel capillis tergamus pedes, id est, D. sæculi divitias, & honores relinquamus pro ejus nomine, hoc enim significant capilli, quibus pedes Domini illa mulier tergebat. *Impleta est*, inquit, *domus ex odore unguenti.* Diximus ante, domum Simonis leprosi significare populum gentium, qui ante leprosus erat peccatis multis & variis, sed à Domino mundatus per sanguinem passionis suæ; ipse est enim agnus, qui tulit peccata mundi. In hujus ergo Simonis domo unctus est Dominus unguento, id est: in illo populo gentium prædicatum est Evangelium Christi, & domus ex illo odore impleta est: quia sicut Dominus præcepit, euntes docebant omnes gentes. Et sicut Psalmista ait: *In omnem terram exivit sonus eorum.* Ps. 18. v. 5.

Videntes autem discipuli indignati sunt, & unus ex illis Judas Schariothes, qui erat eum traditurus ait: ut quid perditio hæc? Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum; sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebant exportabat. Joan. 12.

Videtis fratres, quia Judas iste miser non tunc primò peccavit, quando per avaritiam Dominum vendidit pecuniâ: sed ante jam fur erat, & ea, quæ illis dabantur, portans furatus est. Hujus Judæ similitudinem habent ministri Ecclesiæ, qui ad hoc serviunt Ecclesiæ, ut pecuniam inde sibi colligant, & turpe lucrũ sectantes utuntur Ecclesiâ, sicut tunc Judas Dominô utebatur, ut sub ejus nomine colligant sibi pecunias, & thesauros. Et heu prô dolor, jam in mundo tales Judæ proditores multi sunt! Usque hodie populus Judæorum hoc agit, quod tunc Judas fecit, indignans scilicet, quòd Ecclesia gentium DEUM sua fide, & credulitate ungit.

Dixit ergo JEsus: sine, ut in diem sepulturæ meæ servet illud. Quid molesti estis mulieri? Bonum opus operata est in me: semper enim pauperes habetis vobiscum, & cum volueritis, potestis illis bene facere; me autem non semper habebitis vobiscum. Nam quod habuit hæc fecit, mittens unguentum hoc in corpus meum prævenit ungere illud ad sepeliendum me faciens. Amen dico vobis ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam ejus. Joan. 12. Matth. 26. Marc. 14.

Alii autem Discipuli Domini indignati sunt pro perdito, ut eis videbatur unguento, quod tantum valuit, trecentos scilicet denarios. Sed illi cæteri verè

pro hoc fecerunt, ut argentum illud pauperibus daretur; Judas autem solus, qui fur erat, voluit illud furari. Respondit ergo eis JEsus, id est, aliis Discipulis, non Judæ, & ostendit eis, quod bene fecisset illa mulier. Illô enim unguentô unxit corpus Domini, quia post mortem ejus, cum iterum hoc ei facere vellet, ante resurgente Domino non invenit jam in sepulchro corpus ejus. Hoc est enim, quod Dominus ait: Prævênit ungere corpus meum. Ideo sinite inquit illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud, id est, hoc modò faciat, quod si eum invenisset, tunc factura erat. Amen inquit dico vobis: ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium. Recordamini modò fratres, quod supra dixi vobis, scilicet, quod hoc unguentum significat Evangelium. Et quod ibi dixit: *domus impleta est ex odore unguenti*, hoc hìc dixit: prædicabitur Evangelium hoc in toto mundo. Ex ista ergo causa perditi ut ei videbatur unguenti, quod in turpe lucrum mutare voluit, post quatuor dies biduô ante Pascha abiit ille ipse

Matth. 16. Luc. 22. *Judas unus ex duodecim, qui dicebatur Judas Scarioth, ad principes sacerdotum, & ait illis: quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Illi autem gavisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare triginta argenteos; & spopondit, & quærebat opportunitatem, ut traderet illum sine turbis.*

Ille dixit: quid vultis mihi dare, ut ego vobis eum tradam? In illorum æstimatione posuit Dominum suum.

Luc. 22. Matth. 26. *Prima autem die Azymorum, quando Pascha necesse erat occidi, accesserunt discipuli ad JEsum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At JEsus misit Petrum, & Joannem dicens: Euntes parate nobis Pascha, & ite in civitatem, & occurret vobis homo amphoram aquæ portans; sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicite Patrifamilias domûs: Magister dicit: tempus meum propè est, apud te faciam Pascha cum discipulis meis. Ubi est diversorium ubi Pascha manducem? Et ipse vobis ostendet cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. Euntes autem invenerunt, sicut dixit illis, & paraverunt Pascha.*

Duos discipulos misit Dominus, ut sibi transitum pararent, quô transiret ex hoc mundo ad Patrem. Isti duo Petrus & Joannes fuerunt; Petrus significat fidem, Joannes charitatem: Per istas namque transit ad incorruptionis gloriam, & ad vitam beatam. Fide, quâ credamus in DEum Patrem, & ipsum filium ejus, & in Spiritum Sanctum. Charitate verò, quâ eum, in quem credimus, diligamus. In tali ergo transitu dignatur Dominus accumbere; nam & solemnitas illa apud Judæos Azyma vocabatur, quod est sine fermento. Et Apostolus Paulus, quid hoc esset ostendit, ubi ait: *Epulemur non in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* 1. Cor. 5. v. 8. Videte fratres, quales duo discipuli mittuntur ad parandum Pascha sinceritas & veritas: sinceritas cordis ad charitatem pertinet, veritas ad fidem. Nam in veteri lege scriptum est: *Diliges amicum tuum, & odiô habebis inimicum tuum.* Matth. 5. v. 43. Remansit, ibi fermentum odii, & malitiæ in corde ejus, qui odiô habebat inimicum suum; Christus autem vult Pascha sine fermento, ait enim: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, & non dimisit aliquem, quem Matth. 22. v. 39. odisses: *Omnes enim*, inquit, *fratres estis.* Matth. 23. v. 8. Vetus lex vindicare præcepit sanguinem proximi, ibi fermentum iræ remansit. Christus autem: *Orate*, inquit, *pro persequentibus vos.* Matth. 5. v. 44. Et iterum: *Dimittite peccata fratrum vestrorum, de cordibus vestris.* Matth. 18. v. 35. Vult enim, ut dixi, ubi ille manere dignatur, mansionem habere sine fermento malitiæ. Cor ergo, ubi Christus Pascha vult manducare, fide sit, & charitate paratum, & tunc dignum est, ut Christus in eo maneat. *Ite*, inquit, *ad quemdam.* Non nominavit aliquem, ut liberum unicuique esse signaret, utrùm Christum susciperet an non. *Prope*, ait, *est tempus meum.* Tempus videlicet, quô finiendum erat vetus fermentum, ut immolaretur agnus sine macula pro peccatis hominum: hoc est enim, ut supra diximus, Pascha, quô ille transivit de morte ad vitam æternam.

Vespe-

Joan. 13. *Vesperâ autem cœnâ factâ, cum diabolus jam se misisset in corde, ut traderet eum Judas Scariothes, sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à DEO exivit, & ad DEum vadit.*

Ista cœna dominica sicut bonis & electis discipulis bona fuit, & multorum mysteriorum revelatio, ac novi testamenti initium; sic illi misero proditori initium plenæ perditionis fuit. Tunc enim *immisit diabolus in cor ejus, ut traderet eum Judas.* Hæc namque pravorum maximè solet esse perditionis causa, quando pravo corde & iniqua cogitatione plena accedere audet ad sacramenta DEI, & se corpore sanctis jungere nititur, à quibus malitia longè est. Cavendum est hoc vobis Fratres, & valde cavendum, ne ad sancta mysteria cum fermento malitiæ accedere præsumatis; qui enim sibi conscius est iræ & malitiæ, vel concupiscentiæ perpetratæ, vel aliorum malorum criminum, & non hæc de corde expellit, proque perpetratis pœnitentiam non gesserit, si ad sacramenta divina accesserit, diabolo accessum præbet, quo eum tentet, & ad baratrum perditionis, unde non exeat, præcipitet. Ideo Fratres, ut Apostolus ait: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs.* Et: *probet se unusquisque, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.*

2. Cor. 7. v. 1. — 1. Cor. 11. v. 28.

CAPUT III.

Joan. 13. *SUrgit autem à cœna Dominus, & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum præcinxit se. Deinde misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum suorum.*

D. Hoc humile ministerium, quod Dominus præbere dignatus est discipulis suis, & foris humilitatis nobis magnæ dat documentum, & intus totum plenum est mysteriis salutis, & redemptionis nostræ. Humilitatis magnæ, & verè inæstimabilis, quod Dominus noster secundum divinitatem DEus, Creator omnium, & secundum humanitatem caput nostrum, & totius Ecclesiæ dignatus est pedes lavare discipulorum, exemplumque nobis præbere, quo invicem, & in pedum lavatione, & in omnibus quæcunque evenerint necessi-

A. tatibus servire curemus: pedes quippe infima corporis membra, & terræ proxima sunt. Sic Fratres, sic debemus infirmioribus membris Christi in necessitatibus suis succurrere, eosque de nostra humilitate & charitate quantû valemus curare. Illud nobis in hoc mystico Domini ministerio foris innuitur. Sed & magnum intus hoc facto continetur mysterium; surgit quidem à cœna Dominus, quando à prædicatione Sancti Evangelii exaltatus est pro nobis in cruce, ponitque vestimenta, cùm anima, quam pro nobis adsumpsit, ad horam corpus deserente mortem gustavit B. pro omnibus, in ipsoque mortis momento accepit linteum, & se præcinxit, duram scilicet carnis passionem sustinens, per quam spiritum reddidit. Misit aquam in pelvim, quia de latere ejus fluxit sanguis redemptionis nostræ, & aqua baptismi, quô abluuntur peccata fidelium, sanguine quidem quotidie, aquâ verò semel, & hoc in pelvi; in sola enim Ecclesiæ baptismo peccatorum remissio agitur. Nam, ut dixi aqua & sanguis exiit de latere Christi, & aquâ semel lavamur in remissionem peccatorum, sanguine verò, cotidie ut lavemur, necesse est: hoc C. est enim, quod ait: *Cœpit lavare & extergere linteo, quò erat præcinctus.* Nam linteum, ut supra audistis, dolorem duræ passionis designat, quam suscepit pro nobis, quia passione ipse Christus in dextera DEI Patris interpellat pro nobis.

Venit ergo ad Simonem Petrum; & dicit ei Petrus: Domine tu mihi lavas pedes? Respondit JEsus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea. Dixit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei JEsus: si non lavero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Petrus: non tantùm pedes meos, sed & manus & caput. Joan. 13.

Venit JEsus ad Simonem Petrum; ab illo enim primò cœpit: at Petrus utpote homo expavitad ministerium, cujus nesciebat mysterium. Timuit quippe quamvis bonus, & super cujus fidem Ecclesia fundanda erat, tamen homo; timuit inquam, ut à DEO sibi serviretur, sed nesciebat, quid hoc significaretur. Scilicet quòd Dominus sua passione mundum à peccatis lavaret, & quæcunque post

post baptismum peccata commisimus, ejus misericordiâ, ut mundentur, indigemus. Hoc autem nesciens adhuc Petrus, quod Dominus significare vellet, ait: *Non mihi lavabis pedes in æternum.* Quod utique omnes dicturi erant, si ejus non terrerentur exemplo, & eô, quô Dominus ait: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Hoc enim timentes, & quantulamcunque facti illius rationem percipientes consenserint, quod nullus consensurus esset; si hæc Petro dicta non audirent. Respondit JEsus: *si non lavero te, non habebis partem mecum.* Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI. Et nisi illi cotidie clamemus: *Dimitte nobis debita nostra*, non poterimus ad ejus partem, id est, regnum cœlorum pervenire. Lavat ergo ille semel in baptismo omnia anteacta peccata, lavat cotidie per nostram pœnitentiam, quæ committimus peccata.

Joan. 13. *Dicit ergo ei JESUS: qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes; sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum, propterea dixit: non estis mundi omnes.*

Qui lotus est, inquit, *non indiget, nisi ut pedes lavet.* Qui in baptismo lotus est, non indiget, immo non debet, iterum baptizari; qui enim baptizatur, in morte Christi baptizatur, scilicet ut omnibus anteactis peccatis moriatur. Qui ergo baptizatur, in morte Christi, quæ semel fuit, baptizatur, & qui rebaptizari vult, quasi iterum velit Christum mori. Ideo, Fratres, dixit Dominus: *qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.* Cum enim post baptismum multa peccata committimus, illa necesse est, ut cotidie laventur; per pedes enim significatur ista conversatio terrena; quia sicut pedibus terram tangentibus adhæret pulvis, sic in hoc mundo viventibus nobis adhæret etiam sæpe nolentibus de mundana occupatione peccatum, quod cotidiana pœnitentia indiget ut lavetur. *Et vos*, inquit, *mundi estis, sed non omnes.* Id est: per hoc, quod ego hoc ministeriô significare volo, mundandi estis, & quasi jam mundi; quia à Domino jam factum erat, quod hominibus futurum erat: nam & illi, & omne genus humanum morte Christi mundandi erant. Sed si, inquit, ego mundavi vos, qui prædestinati estis ad vitam æternam, non tamen (licèt vobiscum mundentur increduli, & proditores fidei, hæretici scilicet & schismatici) non tamen, inquam, mundi permanebunt; quia post dimissa peccata ad priora mala revertuntur, ideoque & polluuntur à se ipsis, qui à me mundati sunt. Hoc autem dixit tunc de Juda traditore, qui licèt cum Apostolis tunc lavaretur, statim tamen post lavacrum introivit in illum Sathanas, & illum perdidit. Ille ergo Judas significat eos, qui in Ecclesia quidem cum electis baptismum suscipiunt; non tamen cum electis ad vitam æternam pervenient; quia dimissa peccata repetunt, & iniquè agentes, Ecclesiæ DEI, vel publicè repugnant, vel quod gravius est, eam occulte decipiunt.

CAPUT IV.

POstquam ergo lavit pedes eorum accepit vestimenta sua, & cum recubuisset iterum, dixit eis: scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister, & Domine, & benedicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus, & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Joan. 13.

Postquam lavit pedes discipulorum accepit vestimenta sua, id est, postquam ille per suum sanguinem nostra lavit peccata, & mortem pro nobis gustavit indebitam, resurrexit tertia die, & corpore, quô passus est, vivus apparuit discipulis suis. Dixit ergo eis, cum recubuisset: *Vos scitis, quid fecerim vobis; vos vocatis me Magister, & Domine;* Scitis quæ mandata vobis dedi? Si me Magistrum vocatis, facite, quæ doceo: & si Dominum vocatis, servite ut Domino. Sum enim, inquit, *Magister*, qui mandata dedi, & *Dominus*, qui & creavi vos, & perditos redemi. Si ergo lavi vestros pedes Dominus, & Magister; si, inquit, ego, qui vos redemi, qui vos docui, & erudivi, si ego vestra peccata dimisi, cui non habetis, quod dimittatis; & vos debetis

bitis alter alterius dimittere peccata, quorum, unusquisque habet certè, quod alteri dimittat. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, & vos faciatis.* Exemplum nobis dedit Dominus dimittens nostra peccata, & sua nos passione redimens; ut & nos sequamur vestigia ejus cotidie inter nos peccata dimittentes, & si necessitas evenerit, etiam pro Christi nomine mori parati simus, sicut ille pro nobis mori dignatus est.

Joan. 13. *Amen Amen dico vobis, non est servus major Dominô suô. Neque Apostolus major eo qui misit illum.*

Vocatis, inquit, *me Dominum & Magistrum*; ergo si servi estis, sicut verè estis, non estis majores me Domino vestro: & si Apostoli mei estis, non estis majores me, qui misi vos; Apostolus enim græcè, latinè *missus* dicitur. Si autem majores non estis, sequimini me majorem vobis; & si ego feci vobis minoribus tanta, quantò magis debetis vos fratribus in necessitatibus succurrere, & sicut ego beneficus vobis fui vestrâ non indigens beneficentiâ, sic & vos fratribus vestris benefici sitis: si, inquit, hoc scitis, beati eritis, si feceritis ea; non scilicet in hoc solo justificati, si scitis, sed si quæ scitis, feceritis.

Joan. 13. *Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim: sed ut impleatur scriptura: qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum: Amodò dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis, quia ego sum.*

Non, inquit, de omnibus vobis dico, quòd beati sitis, aut facturi sitis ea, quæ mandavi vobis, sed *ego scio quos elegerim*. Omnes enim illos duodecim elegit; Judam solùm, ut per eum impleretur ista scriptura. *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum.* Illos alios elegit ad seminandum semen Sancti Evangelii per mundum. Sic fratres videtis cotidie in Ecclesia falsos Christianos, qui nobiscum manducant panem, corpori videlicet Christi, & sanguini ejus communicantes, hos, inquam, videtis levantes contra Ecclesiam calcaneum; quia in fine parebit, quid antea fuerunt, cum nobiscum viderentur esse, sed non erant ex nobis: & isti electi sunt, sed ad tentationem Ecclesiæ, ut per eas scandala fiant, & Ecclesia per patientiam proficiat. Nam semper *necesse est in mundo, ut scandala fiant; sed væ illi homini, per quem scandala veniunt.* (Matth. 18. v. 7.) *Ut credatis*, ait, *quia ego sum*, id est, quia ego sum, de quo & ista scriptura, & omnes sanctæ scripturæ testimonium dant; quidquid enim in veteri lege prædictum fuit, totum in Christo impletum fuit, & quod remansit, adimplendum est in secundo ejus adventu, cum ille veniens omnibus scandalis finem imponet, & Ecclesiam ab omni macula, & ruga purgatam introducet in regnum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

Amen dico vobis, quia qui accipit, si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit. Joan. 13.

Hoc vobis notum est fratres, quòd in prædicatoribus suis Christus accipitur; sic enim dicturus est in fine mundi: *quoties fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis.* (Matth. 25. v. 40.) Et qui Christum accipit, totius Sanctæ Trinitatis adventu gaudebit.

Cum hæc dixisset JEsus turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. Et contristati valde aspiciebant ad invicem discipuli hæsitantes de quo diceret. Et cœperunt singuli dicere: nunquid ego sum Domine? Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu JESU, quem diligebat JEsus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est, de quo dicit? Itaque cum recubuisset ille super pectus JEsu, dixit ei: Domine quis est? Respondit JEsus: ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est; væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur; bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. (Joan. 13. Matth. 26.)

Prædixit Dominus audiente ipso proditore, quod unus ex eis eum traditurus esset, dans locum pœnitentiæ, ut si voluisset, à tam grandi scelere, adhuc abstinere potuisset. Cumque nec per

hæ

hæc verba resipisceret, addidit adhuc manifestiùs eum designans.

Matth. 26. *Cui, inquit, intinctum panem porrexero, ipse est. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum Rabbi? Ait illi: tu dixisti. Et cœnantibus eis dixit JEsus: desiderio*
Luc. 22. *desideravi manducare vobiscum hoc Pascha, antequam patiar, & accipiens panem benedixit ac fregit, deditque discipulis, & ait: accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, quòd non bibam amodò de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa; & cum intinxisset panem, dedit Judæ Scariothis, & post buccellam, tunc introivit in illum Sathanas.*

Respondit inquit Judas: *Numquid ego sum Rabbi?* Jam non dignatus est eum *Dominum* vocare sicut cæteri discipuli; hoc enim solet esse perditorum, ut, cum deprehensi in scelere arguuntur, statim irasci, & superbiâ tumere incipiant, quasi per hoc se de peccato excusantes. Et JESUS., *tu*, inquit, *dixisti.* Nec apertè revelavit, nec tamen negavit: Sed, *tu*, inquit, *dixisti*. Eôdem modô respondebat Pilato Præsidi, qui utique quod interrogabat, non fuit dignus, ut sciret.

CAPUT V.

C*Oenantibus autem eis accepit JEsus panem*, & reliqua. Hæc sunt fratres Sacramenta salutis nostræ; hic noster spiritalis victus; hæc animarum nostrarum salus; hoc Sacramentum cotidie in sancto altari agimus; hôc modô à Domino post vetus Pascha peractum sicut audistis, cœpit. Panem ergo accepit: ideo Sacramentum hoc in pane voluit agi, quia Ecclesiæ suæ similitudini aptè panis con-

A. venit; panis enim ex multis granis contritis & conjunctis per ignem transit, & aptus efficitur, unde vita hominis sustentetur: & Ecclesia ex multis sanctis juncta & multis tribulationibus vel internis vel externis, quasi contrita per mortē transit ad vitam cœlestem. Hunc autem panem accepit Dominus, cum corpus humanum adsumpsisset, & accipiendo benedixit; nam primo parenti nostro Adam post transgressionem dictum est: *Maledicta terra* Gen. 3.
in opere tuo. Cum ergo Christus de hac v. 17.
terra corpus adsumpsisset, de qua & Adam factus est, benedixit illam terram
B. sua adsumptione à maledicto eam absolvens, fregitque illam, cum in cruce mori permisisset, *deditque discipulis suis*, cùm Matth. 28.
eis ministerium prædicandi in gentibus v. 19.
dans diceret: *Ite docete omnes gentes*. Hoc est enim, quod hìc ait: *Accipite, & comedite*. Id est: gentes facite meum corpus, quod vos jam estis, istud est corpus, quod pro nobis datur. Quod enim ex illa massa generis humani assumpsit, passione fregit, & fractum resuscitavit; necesse est enim, ut panis per ignem transeat. Quod igitur ex nobis cœpit, hoc pro nobis tradidit. Et vos *comedi-*
C. *te*, hoc est: corpus illud Ecclesiæ perficite, ut tota perfecta unus panis efficiatur, quasi unum corpus, cujus caput Christus sit. Et si adhuc comeditis panem doloris, cum tamen DEus dederit *dilectis suis* post labores *somnum*, tunc est Ps. 126. v. 4.
hereditas Domini, in qua in æternum manebit.

Accipiens autem & calicem gratias egit. Matth. 26.

Gratias egit DEO, qui omnia cum Patre dat, ut nobis exemplum daret, ut omnia, quæ habemus, à DEO nos accepisse sciamus.

D. *Dedit, inquit, illis dicens: bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi testamenti.* Matth. 26.

Unusquisque homô ex duabus constat substantiis, corpore scilicet & anima, ut ergo utrumque salvaretur, utrumque à Domino assumptum est. Ideoque in nostro sacramento & corporis ejus, & sanguinis (hoc est animæ, quam pro nobis tradidit:) commemorationem agere jubemur. *Hic est*, inquit, *sanguis novi testa-*

testamenti; in cujus præfigurationem in A. veteri testamento sanguine agni signabantur utriq; postes domorum filiorum Israël, ne percussor Angelus introiret. Et ut
Hebr. 9. Apostolus ait: *Omnem populum Moyses san-*
v. 20. *guine aspersit dicens: hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos DEus.* Et omnia pœnè in sanguine mundantur secundum legem. Panis ergo corpus est Christi, quod assumpsit ex corpore Ecclesia sua. Sanguis verò animam ejus designat, quam in unitatem suæ personæ suscepit, & sicut hìc audistis Apostolum dicentem: *Omnia pœnè sanguine mundabantur* ita omnia peccata nostra effuso B. sanguine Christi, id est, emisso spiritu ejus mundabantur. Nam & hoc idem Apo-
Hebr. 10. stolus subjungit: *Accedamus*, inquit, *cum*
v. 22. *vero corde in plena fide aspersi corda conscientia bona.* Hìc enim videtis Fratres, quòd sanguis ille animæ Christi figuram tenet, cum ait: *aspersi corda*; spiritus enim spiritum bono exemplo aspergere potest, non autem sanguis cor aspergere valet. Panis verò comparatur corpori ejus; ejus autem anima corpus deserente (hoc enim fuit mors ejus) illâ, inquam, animâ ejus aspersæ & sanctificatæ nostræ animæ efficiuntur mundæ & immaculatæ: C.
Marc. 14. & hinc Dominus dixit: *Hic est*, inquit,
v. 24. *sanguis novi testamenti.* Nam Moyses de illo sanguine vituli, quo populum Israël
Hebr. 9. aspersit, dixit: *Hic est sanguis testamenti,*
v. 20. *quod mandavit vobis Dominus.* Sed iste Christi sanguis in remissionem emissus est peccatorum, nam ille sanguis veteris testamenti nullius peccata dimisit, figuram ipsius tenens, non autem remissionem potens facere peccatorum.

Matth. 26. *Dico, inquit, vobis, non bibam ex hoc*
Marc. 14. *genimine vitis, donec bibam illud vobiscum novum in regno Patris mei.*

Hoc de calice, quem tunc discipulis bibendum dedit, dixisse videtur Dominus; quia prope tunc fuit, quòd mundum redimens & sua morte vivificans regnum faceret DEI Patris.

Luc. 22. *Verumtamen, ait, manus tradentis me mecum est in mensa.*

Si ego, inquit, non bibam de hoc genimine vitis, tamen in ista mensa, Ecclesia scilicet præsente, & nunc manus tradentis me mecum est, & sic futuri sunt multi ad partem ejusdem proditoris pertinentes, qui manum mittunt super altare meum, & tamen ad illud regnum Patris mei non pertinent, ad quod ducturus sum illas animas, quas bibiturus sum in regno Patris mei, id est: quas unum in me effecturus sum. Solent enim multi modò in hac Ecclesia manum mittere ad sacramenta Christi, qui tamen ad regnum cœleste venturi non sunt; quia etsi foris oves appareant, intus tamen lupi sunt rapaces.

Intinxit ergo Dominus panem, & dedit Joan. 13.
Judæ Simoni Scariothes, & post buccellam tunc introivit in eum Satthanas.

Hoc Fratres mei, hoc est, quod agi solet in Ecclesia ista, cum enim præsumunt inmunda, & prava conscientia accedere ad sacramenta Christi, tunc nimirum *judicium sibi manducant & bibunt*; scilicet illud judicium, quò traduntur Sathanæ, post enim acceptam buccellam intravit Sathanas in Judam. Vos autem probate vos Fratres, & mundate conscientias vestras ab odio, & ab omni malitia, & sic de pane illo edite, & de calice bibite.

Dixit ei JEsus, quod facis, fac citiùs; Joan. 13.
hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quòd diceret ei JEsus, eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret. Cum ergo accepisset ille buccellam exivit continuò, erat autem nox.

Quod facis, inquit, *fac citiùs*, non D. quòd Dominus juberet eum perire; sed quia jam judicatus est, voluit, ut per illum, quod futurum erat impleretur. *Fac*, inquit, *citiùs*, ut impleantur scripturæ, quæ de mea traditione, & morte prædixerunt. *Hoc autem nemo scivit discumbentium*; cæteri enim discipuli simpliciter omnia, quæ dicebantur percipiebant, sicut ante de unguento effuso, alii discipuli verè causâ pauperum dixerunt: *Ut quid perditio hæc? Potuit enim istud venundari multùm, & dari pauperibus.* Sic & hìc quidam putabant, quod loculos habe-

habebat Judas, quòd diceret ei JESUS: A. *Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret.* Solebat fortè idem Judas ante, cum pauperibus aliqua danda erant, ea furtò subtrahere, & antè jam sæpiùs Dominum occultè vendidit, quod modò apertè perfecit. *Cùm ergo accepisset Judas buccellam, exiit continuò*; non enim poterant tenebræ diutiùs cum luce manere. *Erat autem*, inquit, *nox.* Verè ille erat nox & tenebræ, quia jam totus à diabolo possidebatur.

CAPUT VI.

B.

Joan. 13. *CUm ergo exisset ille, dixit JEsus: nunc clarificatus est filius hominis, & DEus clarificatus est in eo. Si DEUS clarificatus est in eo, & DEus clarificavit eum in semetipso, & continuò clarificabit eum. Filioli adhuc modicùm vobiscum sum; quæretis me, & sicut dixi Judæis: quò ego vado, vos non potestis venire, & vobis dico modò. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis,* C. *si dilectionem habueritis ad invicem.*

Cum exisset Judas, jam nox, & tenebræ factus, dixit JEsus: *Nunc clarificatus est filius hominis*; nam ille Judas omnium perditorum hominum figuram tenuit. Ideoque cum ille exisset, dixit Dominus: *Nunc clarificatus est filius hominis*; cum enim nox exivit, dies solus remansit. Sic Fratres, sic futurum est, cum omnes perditi in ignem æternum ibunt, tunc ibunt justi in vitam æternam, tunc filius DEI clarus fiet, cum in corpore ejus, id est in Ecclesia nihil remanet D. tenebrosum, sed totum clarum erit. *Et DEus*, inquit, *clarificatus est in eo*: nam ipse filius DEI, secundum quod DEus est, semper clarus est, & manet; sed in corpore suo, quod est Ecclesia multæ adhuc tenebræ remanserunt, quæ omnes cum exierint, remanebit Ecclesia Christi sine macula. Si DEus, inquit, clarificatus est in eo, & DEus clarificavit eum in semetipso; filius enim in Patre est, & Pater in filio secundùm illam naturam, quâ ille in Patre est, & Pater in illo semper, ut dixi, clarus est, *& tenebræ in eo non sunt* Joan. 1. v. 5. *ulla. Sed DEus*, inquit, *continuò clarificabit eum*; futurum est enim, inquit, ut Joan. 13. v. 32. DEUS etiam corpus meum, id est, Ecclesiam, clarificet totum, ut & illud clarum fit. Et hoc citò erat futurum, videlicet, quòd corpus illud, quod pro nobis ex nobis assumpsit, clarificandum erat gloria resurrectionis, & immortalitatis, & ad dexteram DEI Patris collocandum.

Modicum, inquit, vobiscum sum, & quò Joan. 13. *ego vado, vos non potestis venire.*

Modicum fuit, quod ille tunc cum discipulis mortalis fuit; & quò ille ibat, id est ad inmortalitatis gloriam, non poterant adhuc tunc venire; sed ut scirent, quomodo illuc eundum erat, vobis, inquit, dico modò, *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Ista, inquit, est via, quâ vobis veniendum est ad inmortalitatis gloriam, scilicet, *ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos.* Supra enim idem Dominus dixit: *ego sum via & veritas.* Factus est er- Joan. 14. v. 6. go ille discipulis via ad inmortalitatem, & ad vitam æternam, dicens: Sic diligite invicem, sicut ego dilexi vos. Ac si diceret: sic illuc ite, sicut me vidistis euntem. *In hoc*, inquit, *cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem*, & reliqua, quæ multa illis de eadem dilectione DEI & proximi dixerat. Cum enim exiret Judas ille proditor, remanentibus secum electis discipulis, multa aperuit mysteria, quæ ante eis non aperuit, cum ille præsens fuisset, qui periturus erat. *In hoc*, inquit, *cognoscent omnes, quia mei discipuli estis*, hoc est signum discipulatus Domini. In hoc fratres semper cognoscuntur discipuli DEI, & discipuli Diaboli; si videas hominem diligentem fratrem suum, scias, quia discipulus Christi est: si autem eum videas odisse fratrem, quem videt, scias eum nec DEUM diligere, quem non videt; ideoque necesse est, ut diaboli sit, qui DEI non est. Semper fratres mei ista verba Domini in mente tenete, semper operibus ostendite; quia in hoc cognoscemini, si ad DEUM pertineatis, si fratres vestros diligitis. Cum ergo, ut dixi, Dominus multa discipulis suis

suis de DEI, & proximi dilectione dis- A. sereret, sublevatis oculis in cœlum dixit.

Joan. 17. *Pater venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te; sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEUM, & quem misisti JESUM Christum. Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam; & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te. Ma-* B. *nifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo; tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt; quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognoverunt verè, quia à te exivi, & crediderunt, quia tu me misisti. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt, & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis, & jam non sum in mundo, & ego ad te venio. Pater* C. *sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. Cum essem cum eis, servabam eos in nomine tuo; quos dedisti mihi custodivi, & nemo ex his perijt, nisi filius perditionis, ut scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum in semetipsis impletum. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus odiò eos habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos ex malo. De mundo non sunt,* D. *sicut & ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. Sicut me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum; & pro eis ego sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro his autem rogo tantùm; sed & pro his, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te: & ut ipsi in nobis unum sint, ut mundus credat quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum, & cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexi eos, sicut & me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum; ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater Juste, mundus te non cognovit, ego autem cognovi, & hi cognoverunt, quia tu me misisti, & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio, quâ dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.*

CAPUT VII.

ET hymnô dictô exierunt in montem Oliveti. Matth. 26.

Postquam hymnum laudis & orationis pro omnibus credentibus DEO offerret, (sicut modò audistis fratres) surgentes tunc ibant in montem Oliveti. Illo scilicet significans, quòd per illam orationem, quâ pro illis oravit, in montem misericordiæ DEI ascensuri essent. Oleum enim, quod in illo monte abundabat, misericordiam in sancta scriptura significare solet. In montem ergo olivarum quasi ad altitudinem misericordiæ DEI discipuli per viam, quam tunc eis ostendebat, pervenerunt. Tunc dixit eis JESUS.

Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte; scriptum est enim: percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. Postquam autem surrexero, præcedam vos in Galilæam. Matth. 26.

Prædixit Dominus discipulis suis, quòd cum relicturi fuissent, & hoc in ipsa nocte. Ideo Fratres mei, eis prædicere curavit; ne cum reliquissent, & in eo scandalizâssent, salutem desperarent: sicut enim eos terrebat, cum eos negaturos prædixisset, sic eis misericordiam promisit, cum se resurrecturum, & in Galilæam præcessurum eos promitteret; ac si dicat: vos quidem me negaturi estis; sed mea tamen misericordia vos non deseret. *Præcedam autem vos in*

Galilæam, id est: ego fiam immortalis, & ad illam gloriam transmigrando præcedam, vosque ne timeatis, quia & illuc me sequimini: Galilæa quippe *transmigratio* dicitur interpretata. Cum, inquit, migravero ab hac mortalitate ad immortalitatis gloriam, tunc & vos me præcedentem sequemini.

Matth. 26. *Respondens autem Petrus ait illi: & si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi JESUS: Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.*

Non est hoc fratres mendacii aut temeritatis, quod Petrus & cæteri, Apostoli promiserunt, se tunc etiam cum Domino morituros, & nunquam illum negaturos; sed quia ardens erat eorum circa Dominum affectus, sed carnalis: nondum enim erat spiritus datus, quia JEsus nondum fuerat glorificatus. Habebant quidem spiritum à Domino datum, sed pleniùs erant eum post Domini resurrectionem accepturi, ut pro Domino mori non timerent; quod nunc promittere quidem spiritu prompti non dubitabant, sed carne infirmi perficere non poterant. Permisit ergo Dominus Petrum tunc negare, ut disceret, illum carnalem affectum, quem erga eum tunc tenebat, auferendum, & DEI amore Christum diligendum, sicut & postea fecit, & cum hoc fecisset, nulla eum mundi potestas ad negandum cogere potuit. Permisit eum tunc negare, ut postea Ecclesiæ Princeps futurus delinquentibus ipse dimitteret, cum sibi à Domino dimissum peccatum negationis videret. Et verè quidem Beatus Apostolus Petrus dixit: Etsi oporteret eum mori, non Dominum se negaturum; sed nondum adhuc tempus illud advenerat. Non enim ille cum Domino mori, sed post Dominum, & pro Domino debuit. Prius namque Christus pro Petro, & pro omnibus fidelibus mortuus est, postea Petrus, non cum eo, sed pro eo mortuus est: nullus enim potuit mori cum Domino, quia ille solus sine culpa mortuus est; hominibus verò cæteris mors peccati pœna est. Ille pro nostro peccato, non pro suo mortuus est; & nos pro nostro peccato non pro suo morimur.

Tunc venit JESUS cum discipulis suis in villam, quæ dicitur Gethsemani, ubi erat hortus, in quem introivit ipse & discipuli ejus. Sciebat autem & Judas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter JESUS convenerat illuc cum discipulis suis. Et dixit Dominus discipulis suis: sedete hic, donec vadam illuc & orem. Et adsumpto Petro & duobus filiis Zebedæi cœpit contristari, & mœstus esse. Matth. 26. Joan. 18.

Venit Dominus in locum, qui dicitur Gethsemani. Illuc venit, ubi eum sciebat traditor suus solere venire; ut ibi eum, cum quæsisset, inveniret: non enim fugiebat passionem, ad quam in mundum venit & quam se pro nobis suscepturum toties ante prædixerat. *Assumpsit ergo Petrum & duos filios Zebedæi; cœpit contristari & mæstus esse.* Ipsos discipulos ad videndam humanitatis suæ veritatem assumpsit, quos ante ad videndam claritatem suam in monte, ubi cum eo Moyses & Elias in Majestate visi sunt, assumpsit; ut qui fuerant testes gloriæ, fierent & humanitatis, & qui eum multis indiciis edocti DEUM non dubitabant, scirent etiam hôc indiciô tristitiæ hominem esse. Contristabatur autem non pro sua morte, ad quam suscipiendam, ut prædiximus, in mundum venerat; sed pro illius discipuli sui proditoris perditione, & pro illius populi obcæcatione, qui eum ad mortem tradiderat. Nam quare pro se contristaretur morituro, qui ante prædixit discipulis: *filius*, inquiens, *hominis tradetur ad crucifigendum?* Et hoc sæpiùs discipulis ipse prædicens non se timere ostendit, quod ad perficiendum in hunc mundum venire dignatus est, sed sicut supra dixit: *filius*, inquit, *hominis vadit, sicut scriptum est*, de hoc non est contristatus, sed de eo quod sequitur: *Væ autem homini illi, per quem tradetur;* per Judam enim traditus est Judæis, & per Judæos gentibus. Pro illorum ergo perditione contristabatur, non pro sua passione, sine qua mundus salvari non poterat. Ait ergo discipulis:

Tristis

Matth. 26. Marc.14. *Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic, & vigilate mecum.*

Audistis fratres, quòd Dominus ait: *tristis est anima mea usque ad mortem*, non pro morte; tantum enim prævaluit ei illa passio, quantum ille permisit; nam & ideo dixit: *cœpit contristari*. Tantum enim contristabatur, quantum ille voluit, & hoc inter illum distabat & cæteros homines, quod omni affectu humano tantum utebatur, quantum ille voluit.

CAPUT VIII.

Luc.22. Matth.26. *ET progressus, inquit, pusillum quantum jactus est lapidis, procidit in faciem suam orans & dicens. Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste; verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu vis.*

Hoc humana natura, quam ex Judæis assumpserat, precabatur, non ut mortem non susciperet, sed ut non ab eis eam, qui secundum carnem propinqui erant, susciperet. *Verumtamen*, inquit, *non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Non inquit, secundum voluntatem humanitatis ex Judæis assumptæ fiat; sed secundum nostram semper unam, & æternam voluntatem fiet hoc, & omnia; omnia enim quæcunque voluit Dominus per filium suum fecit, & una semper Patris & filii voluntas est. Ad hoc hæc orabat Dominus, ut suam quidem voluntatem esse scirent homines, ut non tantum crimen in eum commisissent, ut Dominum gloriæ crucifixissent: illi namque omnes salvos vult fieri, & neminem vult perire:

Luc.22. *Apparuit*, inquit, *illi Angelus Domini de cœlo confortans eum, & factus in agonia prolixiùs orabat. Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

Apparuit Domino suus Angelus de cœlo confortans eum, sicut ante, cum esuriret, accesserunt Angeli, & ministrabant ei. Quando ergo ipse voluit, adfuerunt ei cœlestes illi Angelici spiritus. *Et factus in agonia prolixius orabat.* Pro omnibus orabat unus, Dominus pro ser-

A. vis, ut servos suos amicos efficeret, magna enim fuerunt peccata hominum, ideoque Christus omni genere bonitatis eorum salutem operatus est. Ille eis exemplum præbuit baptizatus in Jordane sine culpa semper existens: ille vivendi præcepta dedit: ille corporũ sanitatem omni fideliter petenti præbebat: ille orationi frequentiùs instabat pernoctans aliquando: ille jejunabat: ad ultimum, sicut modò audistis, tanto pro nobis certamine orabat, *ut fieret sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Hæc omnia exempla præbendo nobis fecit, non horum aliquo indigens

B. ille; sed nobis, quos salvare venerat exemplum præbens. Sudabat autem, ut Adam sudantem liberaret. Ei enim dictum est: *in sudore vultus tui vesceris panem.* Ac si diceretur: Non ante vesceris pane cœlesti, quàm ex tua carne natus pro te sudet. *Et erat*, inquit, *sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Hoc enim sudore, & hoc sanguine terra, id est, humanum genus lotum est ab illa maledictione, qua primo sudanti dictum est: *Maledicta terra in opere tuo.* Et primo sanguinem fundenti: *Maledictus*, inquit, *eris super terram,*

Gen.3. v.19. Gen.3. v.17. Gen.4. v.11.

C. *quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.*

Et venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes. Et dixit Petro: sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum? Vigilate & orate, ne intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Matth.26. Marc.14.

Apostoli nondum spiritû sancto confortati, sopore oppressi sunt, quibus ait: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Hoc cotidie Ecclesia facit di-

D. ces: *Ne*, inquit, *nos inducas in tentationem.* Aliud est enim non tentari, quod in hoc sæculo fieri non potest; aliud non *induci* in tentationem, quòd ut fiat, oramus cotidie, scilicet ne nos inducat in tentationem ut cadamus tentati; sed ut in tentatione stantes viriliter pugnemus. Unde & Apostolus Paulus: *Vigilate, & state*, inquit, *in fide, & viriliter agite. Spiritus*, inquit, *vester promptus est, sed caro infirma.* Promptus ad promittendum, sed carne fragili gravatus non potest implere, quæ promisit.

Matth.6. v.13. 1.Cor.16. v.13.

Ite-

Matth. 26. *Iterum secundò abiit, & oravit dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum, & invenit eos dormientes; erant enim oculi eorum gravati, &*
Marc. 14. *ignorabant, quid responderent ei. Et ipse relictis illis abiit, & oravit tertiò eundem sermonem dicens:*

In secunda & tertia oratione ait: *Fiat Pater mi voluntas tua.* Quasi diceret: Si istum calicem bibiturus sum, fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra; ut per gustum calicis hujus fiat in tota terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et si à Judæis occidendus sum, in omnibus cæteris gentibus fiat voluntas tua; ut illorum delictô salus sit gentibus. Et hoc tertiò
Rom. 11. v. 25. & 26. oravit, ut iterum *plenitudine gentium intrante salvus fiat omnis Israël.* Primò petit, ut à Judæis calicem mortis non acciperet. Secundò, ut si hoc suô & Patris consiliô dispositum mutari non posset, fieret illorum delictô salus gentium. Iterum tertiò, ut post salutem gentium fieret etiam salus Judæorum.

Matth. 26. *Tunc venit ad discipulos suos, & dixit illis: Dormite jam & requiescite, sufficit. Ecce adpropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus, ecce adpropinquavit, qui me tradet.*

CAPUT IX.

Joan. 18. *Judas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc, & cum eo turba multa cum gladiis, & fustibus, & laternis, & facibus missi à Principibus sacerdotum, & senioribus populi.*

Ideo cum turba multa, & cum armis Judas venit; ne si fortè cum turba populi inveniretur Dominus, aut ille comprehenderetur quasi traditor Domini sui, aut JEsus à turba defenderetur. Laternas autem & faces secum tulerunt, quia nox erat. Et aptè, ipsi enim in tenebris opera egerunt tenebrarum, & ideo
Joan. 1. v. 5. sicut Joannes Evangelista ait: *tenebræ non comprehenderunt lucem*, ut eis luceret, sed eam quantum in illis erat occiderunt, ut aliis, non ipsis luceret.

A. *JESUS autem sciens omnia, quæ ventura erant super eum processit & dixit eis:* Joan. 18.
Quem quæritis? Responderunt ei: JESUM Nazarenum. Dicit eis JESUS: Ego sum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipsis; ut ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.

Videte Fratres, qualis fuit potestas illa tenebrarum contra lucem! Unô verbô, quò eis dixit: *Ego sum*: abierunt omnes retrorsum, & ceciderunt in terram. Talis est potestas hominum contra
B. DEUM, & ita solet fieri; ut ubicunque lux venerit, tenebræ quasi retrorsum euntes fugiant. Sed & aliud hoc agendo innuit Dominus; cum enim primò Judæis dixisset, quod ipse esset JESUS, non tunc crediderunt Judæi, sed abierunt retrorsum increduli permanentes, & ceciderunt in terrena opera. Sed

Iterum, inquit, interrogavit eos quem quæritis? Illi autem dixerunt: JESUM Nazarenum. Joan. 18.

Tunc non ceciderunt, quia qui pri-
C. mò non crediderunt, in fine mundi credituri sunt.

Respondit JESUS: Dixi vobis quia ego sum; si ergo me quæritis, sinite hos abire: ut impleretur sermo quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Joan. 18.

Cum eos iterum interrogaret, quem quærerent, & illi dixissent: *JEsum, Nazarenum; si me*, inquit, *quæritis, sinite hos abire.* Potuit Apostolos permittere ire, quamdiu Judæi cadentes in terra ja-
D. cuerunt; potuit & facere, ut cadentes non resurgerent: sed hæc verba ideo dixit, ne si illos non permitteret se comprehendere, non fieret redemptio humani generis, ad quam perficiendam venerat, & si eis non diceret: *sinite hos abire*, comprehenderent simul & discipulos, mortiq; traderent; quia ad hoc fuerant prædestinati, ut per illos gentes crederent. Sed & aliud potest intelligi his verbis Dominum significasse, ac si apertè diceret eis: Sinite istos primùm ire, & prædicare gentibus, ut postquam intra-

intraverit plenitudo gentium, tunc & vos convertamini, & salvi sitis, ut ex omnibus, quos ei DEUS Pater dedit, ut corpus ejus fierent, non perderet quemquam, sed salvaret utrosque scilicet Judæos & gentes.

Matth. 26. *Qui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad JESUM, ut oscularetur eum, dixit: Ave Rabbi, & osculatus est eum; dixitque illi JESUS: Amice ad* Luc. 22. *quid venisti? Osculô filium hominis tradis?*

Quia nox erat, ut scirent, quem comprehenderent, dedit eis ille, qui eum cognoverat, signum osculi. Signum pacis fecit signum belli. Quàm multi hodie Fratres labiis tangunt, & mente longè sunt, ore pacem dant, & cor eorum machinatur iniqua! Hic impletum est, quod Dominus per Prophetam dixit: Matth. 15. v. 8. *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me.* Dixit ei JESUS: *amice ad quid venisti?* Hoc illum nominat, quod esse, si vellet, potuerat; nam & ad alios discipulos dixit: Joan. 15. v. 15. *Jam non dicam vos servos, sed amicos.*

Matth. 26. Luc. 22. Joan. 18. *Tunc accesserunt, & manus injecerunt in JESUM, & tenuerunt eum. Videntes hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine si percutimus in gladio? Et ecce Simon Petrus habens gladium eduxit eum, & percussit servum principis sacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servi Malchus. Respondens autem JESUS ait: Sinite usque huc, converte gladium tuum in locum suum; omnes enim, qui acceperint gladium, gladiô peribunt. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum? Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ? quia sic oportet fieri. Et cum tetigisset auriculam hominis, sanavit eam.*

Petrus & Apostoli eo carnali amore, quô adhuc Dominum diligebant, hæc faciebant. Sed & hoc aliquid nobis

A. ad intelligendum significare potest: scilicet quia Petrus & Coapostoli ejus, cùm Judæis nolentibus credere gentibus prædicâssent, quasi auriculam dexteram, id est, spiritalem legis intelligentiam abstulerunt, ne audirent, quod Apostolus Paulus ait: *Littera occidit.* Et: hæc 2. Cor. 3. omnia in figura contingebant illis; & ne v. 6. scirent, quod spiritus vivificat, & scripta sunt ad nostram justificationem. Erat autem nomen servi, cujus auricola abscissa est, Malchus: hoc nomen latinè *rex* interpretatur, quia scilicet regnum, B. quod Judæi ante habuerunt, transfit ab eis, sicut ipse Dominus: *Auferetur à vobis*, inquit, *regnum DEI, & tradetur gentî facienti fructus ejus.* Omnes, inquit, qui gladium acceperint, gladio peribunt. Omnes qui acceperint gladium illum, de quo Dominus dixit: *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium*, scilicet verbum dilectionis DEI; hoc qui acceperit, gladiô istô visibili peribit. Non enim prædicator utitur gladio se in adversarium sanguinis effusione vindicandi, sed gladio, id est, verbo DEI ipsi utendum est, ut videlicet, eô defendat fideles, & separet ab eis infideles. Nam C. cum Prædicanti Paulo Verbum DEI obstitisset Elimas magus quidam, dixit ei Paulus: Inimice, *fili diaboli, non desinis* Actor. 13. *subvertere vias Domini rectas? & nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus.* v. 10. Et ipse Petrus alio gladiô usus est contra Simonem magum: Non enim, inquit, est tibi pars, neque sors in sermone hoc, separans eum ab eis, quorum pars erat in sermone Evangelii. Tali ergo gladiô utendum est prædicatori fidei; nam illo gladio visibili perit, cum opus prædicationis acciperet, sicut & omnibus mundi negotiis moritur, quando Christi fo-D. lius servitio se dederit. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum?* Non indigeo auxilio duodecim Apostolorum; mea est enim omnis terra, & plenitudo ejus: nam legio hominum antiqua consuetudine sex millia fuerunt, duodecim ergo legiones septuaginta duo millia sunt, & tot gentium linguæ sunt. Ut quid, inquit, mihi tale vestrum auxilium, ut pro me pugnetis, qui si vellem adunare omnes linguas gentium cum Angelis, qui singulis gentibus præsunt,

Matth. 21. v. 43. Matth. 10. v. 34.

sunt, potuissem? Quod & ipse Dominus A. facturus est in die judicii, quando congregabuntur ad eum omnes gentes & tribus & linguæ. Ac si diceret: Jam modò potuissem omnes ad me congregare gentes, quod tamen non modò facio, sed judicabor ego priùs ab hominibus injustè, ut iterum veniam, ut judicem justè ego vivos & mortuos. *Quomodo ergo implebuntur scripturæ*, quia sic oportet fieri? Scripturæ aliter impleri non poterant, nisi se permitteret comprehendi, & flagellari, & occidi; immo totius generis humani salus per ejus passionem perficienda erat. *Adprehendens autem JEsus auriculam sanavit eam.* Cum Apostoli ad prædicationem irent gentium, tunc ablata est Judæis auricula dextera, id est, illi homines, qui dextum intellectum sanctarum scripturarum habuerunt; cum verò intraverit plenitudo gentium, tunc & ipsa auricula dextra eis à Domino restituetur.

CAPUT X.

Matth. 26. *IN illa bora dixit JESUS turbis: tamquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprebendere me; cotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis. Sed hæc est*

Luc. 22. *bora vestra, & potestas tenebrarum. Hoc enim totum factum est, ut adimplerentur scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.*

Judæi armati, & cum turba exierant ad JEsum tamquam ad latronem, cum toties antea inter manus illorum fuisset, & non comprehenderent eum, sicut nec modo fecissent, si noluisset ipse: Nam ut supra audistis, unò istos omnes suò verbò sternebat; & suprà sæpius volebant eum comprehendere, sed non potuerunt, quia nondum venerat hora ejus. Nunc autem, inquit, Dominus: *hæc est bora vestra, & potestas tenebrarum;* tenebræ enim in tenebris ad lucem comprehendendam venerant. Discipuli omnes relicto eò fugerunt. Hoc eis suprà dixerat: *Omnes*, inquit, *scandalum patiemini in me in ista nocte.* Non enim adhuc fuerant spiritu confortati, & contra eos adhuc prævalebant tenebræ; tenebræ enim eos terruerunt, ut fugerent: postea verò spiritu sancto accepto minas principum & sacerdotum contemnentes, nec flagellis eorum nec gladiis cesserunt.

Cobors ergo, & tribunus & ministri Judæorum comprehenderunt JESUM, & ligaverunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primùm; erat autem socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis, quia expedit unum hominem mori pro populo. Joan. 18.

Cohors, & tribunus Romanorum B. milites erant, quos cum suis hominibus miserunt Judæi ad comprehendendum JEsum; non enim habuerunt potestatem, ut sine Romanis militibus eum comprehendere præsumerent. Ligaverunt ergo Dominum: ad hoc namque venit ille, ut suis vinculis nos à vinculis peccatorum nostrorum solveret. Longè ante fecerunt Judæi spiritu, quod tunc corpore fecerunt; ligantes scilicet JEsum, id est, tenentes clavem scientiæ legis & Prophetarum, & nec ipsi intrant, nec alios intrare permiserunt.

C. *Petrus autem sequebatur eum à longè, & alius discipulus; discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introivit cum JESU in atrium principis sacerdotum: Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo alius discipulus, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. Ingressus autem intrò sedebat cum ministris, ut videret finem.* Joan. 18. Matth. 26.

Petrus sequebatur Dominum à longè cum alio discipulo, scilicet quia negaturus erat Dominum; nam & ille alius D. discipulus postea relicto eò fugerat. Sed & aliud in hoc potest intelligi, quòd alii discipuli præ cæteris sequebantur Dominum. Petrus, &, ut æstimatur, Joannes, quia isti in sancto Evangelio solent totam Ecclesiam designare; Petrus namque fidem Ecclesiæ, Joannes verò charitatem designat. Isti ergo sequebantur Dominum, quia Ecclesia fidem & charitatem Christi imitabatur. Sed de *longè*, quia Christus sine suo peccato pro Ecclesia mortuus est, Ecclesia autem pro

pro se ipsa : & longè interest, utrùm quis pro se moriatur, an pro alio. Timuit adhuc Petrus homines, simul & amavit Dominum; sed cum venit ei perfecta charitas, foras misit timorem hominum, ut tantummodò amaret Dominum, non autem timeret minas & terrores.

Joan. 18. *Pontifex ergo interrogavit JESUM de discipulis suis, & doctrina ejus. Respondit ei JESUS: Ego palam locutus sum, ego semper docui in Synagoga & in templo, quò omnes Judaei conveniant. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis, ecce hi sciunt quae dixerim ego.*

Non ad hoc eum interrogabat, ut veritatem disceret, hanc enim antea saepiùs, si voluisset audire potuisset, sed ut insidiaretur ei, si fortè potuisset eum audire verbum aliquod dicentem contra DEUM, aut contra Caesarem, ut eum reum mortis judicaret.

Joan. 18. *Hæc cum dixisset, unus adsistens ministrorum dedit alapam JESU dicens: sic respondens Pontifici? Respondit ei JESUS: si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me caedis?*

Dominus Pontifici dixit: *quid me interrogas, interroga eos, qui audierunt?* quia non erat aptum, ut ab eo magisterium veritatis audiret, quem vinctum tenebat; & pro hoc verbo dedit unus ministrorum alapam JESU. O nefanda manus, & mens iniquorum! rectè respondentem ferit! Ecce Fratres apparet, quare Christus agnus dicitur, qui tollit peccata mundi. Creator à creatura percutitur, & sustinet, nihilque aliud nisi justitiae, & modestiae verba respondit. *Si*, inquit, *malè locutus sum, perhibe testimonium; si autem bene, quid me caedis?*

Exod. 23. v. 7. In lege enim eorum scriptum est: *Innocentem & justum ne affligeris.* Ante ergo debuit perhibere testimonium de crimine, & tunc ferire; sed ille non solùm non crimen probavit, quod in Domino invenire non potuit, sed etiam pro veritatis verbis percutiebat. O mira, & ineffabilis patientia! Ille cujus manus fecerunt nos, & plasmaverunt, qui terram pugillo continet, & coelum palmâ ponderat, sustinuit se caedi à servo Pontificis Judaeorum. Implevit, quod ante discipulis praecepit: *Si quis*, inquit, *te percusserit in dexteram maxillam, praebe ei & alteram.* Matth. 5. v. 39. Praebuit enim, cum dixit: Si male locutus sum, perhibe testimonium, & percute, si crimen invenies.

CAPUT XI.

ET misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem, ubi erant scribae, & ubi seniores convenerant. Principes autem sacerdotum, & omne concilium, quaerebant falsum testimonium contra JESUM, ut eum morti traderent; multi enim falsum testimonium dicebant adversus eum, & convenientia testimonia non erant. Joan. 18. Marc. 14.

Falsum quaerebant testimonium, quò reus mortis inveniretur; non enim potuerant verum invenire: nam quomodo invenirent verum in eo crimen, qui venit sine peccato, ut mundi tolleret peccata? Illi quaerebant falsa testimonia ad eum puniendum; sed sicut Salomon ait: *Falsus testis non erit impunitus. Et non erant*, inquit, *convenientia testimonia eorum*, quia falsitas in se ipsa solet esse divisa. Prov. 19. v. 5. & 9.

Et cum multi falsi testes accessissent, novissimè venerunt duo falsi testes, & dixerunt: Nos audivimus eum dicentem: ego dissolvam templum hoc manufactum, & post triduum aliud non manufactum aedificabo. Et non erat conveniens testimonium eorum. Et exsurgens princeps sacerdotum in medium, interrogabat eum dicens. Nihil respondes ad ea, quae tibi objiciuntur ab his? JESUS tacebat. Et princeps sacerdotum rursus interrogabat eum dicens: Adjuro te per DEUM vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius DEI? Dixit illi JESUS: tu dixisti; verumtamen dico vobis: ego sum, & videbitis amodò filium hominis sedentem à dextris virtutis, & venientem in nubibus caeli. Tunc principes sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: Blasphemavit, quid adhuc Matth. 26. Marc. 14. Matth. 26.

huc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? Et omnes condemnaverunt eum reum esse mortis.

Novissimè, inquit, *venerunt duo falsi testes.* Falsi testes fuerunt, qui hoc dixerunt, quod Dominum non audierant dicentem; dixit enim Dominus: *solvite templum hoc.* Illi referebant eum dixisse: *Ego dissolvam templum hoc.* Sed Dominus quod futurum erat, prædixit. Illi autem falsum contra eum dicunt testimonium Dominus dixit Judæis: *Vos solvite templum hoc*, quia Judæi occisuri erant B. Dominum; *& post triduum*, inquit, *excitabo illud*, non sicut falsi testes dixerunt: *reædificabo.* Ille autem hoc dicebat de corpore suo, quod, sicut dixi, Judæi occisuri erant, & hoc ille tertia die excitavit. Et princeps sacerdotum ait illi: *Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur?* JEsus autem tacebat; sciebat namque Dominus, quod hæc insidiando interrogabat princeps sacerdotum, ut posset illum accusare, ideoque ei non respondit: ad quid enim ei responderet, quem non crediturum sciebat? Ait autem princeps sacerdotum: C. *adjuro te per DEUM vivum.* Adhuc ut supra dixi, ut ab eo exigeret verbum aliquod, quo eum accusare posset, & morti adjudicare. Sed ipse Dominus tunc ei respondit, & dixit: *Amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis.* Prædixit Dominus suum judicium futurum, quô judicaturus est genus humanum, ac si diceret: Jam quia me adjurâsti per illud magnum nomen Patris mei, dico tibi, quod velis, nolis, futurum est; visurus enim es eum, quem modò ligatum injustè judicas, sedentem à dextris Patris, & venientem ad judi- D. candum justè, qui modò à te injustè judicatur. *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua.* Moris est Judæorum, ut cum aliquod verbum audierint contra DEUM, scindant vestimenta, non ferentes blasphemiam. Putavit autem tunc Dominum contra DEUM locutum, cum se sedentem à dextris virtutis DEI videndum dixisset: sed non hoc contra DEUM fuit, verè enim ipse ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram DEI, indeque venturus est ad judicandos vivos & A. mortuos. Illi autem condemnaverunt eum reum esse mortis. Ecce Fratres pro quo peccato Christus judicatus est reus esse mortis, scilicet quia se prædixit sessurum à dextris DEI, & venturum in nubibus cœli.

Tunc viri, qui tenebant eum, exspuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt; alij autem palmas in faciem ei dederunt; alij velabant faciem ejus, & cædentes dicebant: Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit? & alia multa blasphemantes dicebant in eum. Matth. 26.

Hæc omnia probrorum genera pro nobis sustinuit Dominus, ut nos ab æterno opprobrio liberaret. Velabant faciem ejus, & percutientes dicebant: *Prophetiza, quis te percussit?* Facilius erat hoc dicere, quàm quid cogitarent in cordibus; ille tamen, qui omnia potest, & horum utrumque potuit, sed non fuit tunc tempus ostendendi signa incredulis: nam supra in Evangelio legimus ipsum Dominum cogitationes cordis eorum manifestare, cum diceret: *Quid cogitatis in cordibus vestris mala?* Ille, qui cœlum & terram implet, facilè potuit dicere, quis se ex adstantibus percussisset; sed tunc fuit tempus quo judicaretur, veniet autem tempus, quô judicabit ipse inluminans abscondita tenebrarum, & manifestans consilia cordium, & recipiat unusquisque secundum opera manuum suarum, sive bona, sive mala. Matth. 9. v. 4.

CAPUT XII.

P*Etrus verò sedebat foris in atrio calefaciens se, quia frigus erat, & accessit ad eum una ancilla, & cum vidisset eum sedentem ad lumen, & fuisset intuita, dixit: & hic cum JESU Galilæo erat. At ille negavit coram omnibus dicens: Nescio quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum JESU Nazareno. Et iterum negavit cum juramento dicens: Quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt, qui stabant, & dixerunt: Verè tu ex illis es; nam & loquela tua manifestum te facit, quia Gali-* Joan. 18. Luc. 22. Matth. 26.

Galilæus es. Tunc cœpit detestari, & jurare, quia non novisset hominem. Et continuò adhuc eo loquente gallus cantavit; & conversus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini sicuti dixit: priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras flevit amarè.

Quòd Petrus Princeps Apostolorum & primus Ecclesiæ post Dominum pastor constitutus permissus est, ut negaret, non frustra actum est; sed ut omnes prædicatores Sanctæ Ecclesiæ, & rectores exemplo ejus discerent peccantibus & pœnitentibus peccata posse dimitti, cum illi Principi Ecclesiæ tantum negationis crimen fuisset dimissum; & ut omnes discerent homines, non in suis propriis confidendum viribus, sed omnia scirent in DEI dono consistere, quæ aguntur à nobis bona. Ipse namque Beatissimus Apostolus Petrus nondum Spiritus sancti plenum acceperat donum, ideoque statim sensit, quid possit humana fragilitas si non DEI dono sublevatur. Nam qui tunc timidus & fragilis verba vilis ancillæ expavit, postea Neronis Imperatoris totius mundi tunc imperium tenentis, minas & verba contempsit habens plenam Spiritus sancti gratiam, quæ eum intus accensum non sinebat frigore infidelitatis tentari, sicut modò in Evangelio audistis; quòd stans calefaciebat se, quia frigus erat. Verè enim tunc jam in eo impletum est, quod

Matth. 24. v. 12. Dominus antea futurum prædixerat, *quia abundante iniquitate refrigescet charitas.* Sed qui permissus est, ut caderet, statim DEO miserante erectus est; nam cum tertiò negâsset Petrus, respexit eum Dominus, & recordatus est verbi ejus, quò ei prædixerat casum. *Et egressus*, inquit, *foras flevit amarè.* Delevit flendo, quod commisit in se præsumendo. *Statim*, D. inquit, *gallus cantavit.* Postquam enim aliquis peccaverit, necesse est, ut statim verbô prædicatoris quasi galli cantantis voce ad pœnitentiam provocetur; gallus enim cantans vicinam lucem prænunciat, & prædicator per pœnitentiam ad lucem misericordiæ DEI reditum paratum esse prædicare debet. Sciendum autem vobis est Fratres propter hoc, quod ille, qui Petrum arguebat dixit: *Nam loquela manifestum te facit.* Non alterius sermonis esse Petrum credendum, quàm cæteros

A. Judæos, sed ut ipsi scitis unaquæque provincia & regio aliquid proprium habet, quod loquitur, quasi nativum tenet; & inde conjici solet, de qua provincia, vel regione sit, qui loquitur. Nam & JEsum Galilæum vel Nazarenum dixerunt, quia ibi à parentibus nutritus erat pro timore regis Herodis, & Archelai filii ejus; Nazareth enim civitas in Galilæa est, natus autem in Bethlehem secundum vaticinia Prophetarum, quia & ipsi parentes de domo & familia David erant, cujus progenies & nativitas in Bethlehem fuit. Ergo Fratres, qui negantem Principem B. Apostolorum Petrum audivimus, audiamus, & agamus, quod ipse post negationem fecit. *Flevit* enim *amarè*, nam si flemus, & non *amarè*, non est adhuc plena pœnitentia: sed amarescant nobis peccata, quæ fecimus, & fugiamus ea, quia amara sunt. Et si sic agimus, aderit & nobis Dominus, sicut & ei adsuit, & restituet nos in id, quod fuimus, cum bene nobis fuisset.

CAPUT XIII.

Mane autem facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi adversus JESUM, & duxerunt illum in concilium suum dicentes: si tu es Christus, dic nobis, ut eum morti traderent. Et ait illis JESUS: si vobis dixero, non credetis mihi; si autem interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Exsurgens autem omnis multitudo eorum, vinctum eum adduxerunt & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi. Ipsi autem non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, sed manducarent Pascha. Matth. 27. Luc. 22. Joan. 18.

Impletum est, quod Dominus prædixerat: *Oportet*, inquit, *ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, & postea tradetur gentibus ad deludendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Matth. 16. v. 21. Sed etsi ipsi Judæi, & gentes malô animô ista fecissent, DEI tamen dispensatione actum est, scilicet, ut hoc designarent, quod primi prædicatores ex Judæis traditúri essent fidem Christi gentibus, & ibi exaltanda esset gloria ejus super omnem terram. *Ipsi autem*, inquit, *non*

non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur. A. Videbatur eis contaminatio, si in una domo cum gentilibus essent, & non videbant majorem in se contaminationem, quod iniqua cogitatione pleni consilium inierunt, quomodo JEsum morti traderent, & hoc per falsorum testimonia testium. Nam & hoc Dominus de eis ante prædixit: *Culicem*, inquit, *excolantes, camelum autem glutientes.* Et hoc illi egerunt, cum parvam illam, vel nullam contaminationem vitâssent, & magnum crimen homicidii incurrebant.

Matth. 27. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus dicens: peccavi tradens sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueô se suspendit.*

Infructuosa quidem hæc Judæ pœnitentia fuit, sed ad hoc ideo actum est, ut inexcusabiles Judæi fierent, quibus ab ipso traditore Juda dictum est, Dominum innocentem, & sanguinem ejus injustè effusum. C. *Et abiens*, inquit, *laqueô se suspendit.* Non enim dignus erat, ut vel cœlum tangeret moriens, vel terram, sed inter utraque periit, qui utrorumque Dominum ad mortem tradidit. Sperabat tamen ipse miser proditor, quòd flagellatum Dominum dimissuri essent; sed cum eum jam gentibus traditum videret, intellexit eum morte damnandum: moris enim erat Judæorum, ut quemcunque mortis reum invenissent, præsidi eum puniendum traderent.

Matth. 27. *Principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: Non licet mittere eos in corbanan, quia pretium sanguinis est. Consiliô autem initô emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum; propter hoc vocatus est ager ille Acheldemach, hoc est ager sanguinis, usque in hodiernum diem. Tunc impletum est, quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium adpretiati, quem adpretiaverunt à filiis Israël, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.*

Vulg. Matth. Corbonam. Vulg. Matt. Haceldama.

Corbanan Hebraicè, quasi *donarium* latinè potest dici, ubi dona, quæ DEO offerebantur, à populo mittebantur. Mala hoc voluntate egerunt Judæi; sed nolentibus illis nobis hoc factum illorum prophetia fuit; nam pretio sanguinis Christi comparatus est nobis ager, id est, Ecclesia, in qua morientes peccatis in baptismo sepelimur, ut viventes justitiæ, requiescamus in ea. Ecclesia autem ager est figuli, id est Domini, qui finxit primum hominem de limo terræ. B.

Joan. 18. *Exivit igitur Pilatus de prætorio ad Judæos foras, & dixit: Quam accusationem adfertis adversus hominem hunc? Responderunt illi, & dixerunt ei: si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum; invenimus eum* Luc. 23. *subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare cæsari, & dicentem se Christum regem esse. Et cum ac-* Matth. 27 *cusaretur à principibus sacerdotum nihil respondit. Tunc dicit ei Pilatus: Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum, ita, ut miraretur Præses vehementer. Dixit autem Pilatus Judæis: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt Judæi: Nobis non licet interficere quemquam; ut sermo JESU impleretur, quem dixit, significans, qua esset morte moriturus.*

Judæi dixerunt: *Nobis non licet interficere quemquam*, & Pilatus voluit, ut secundum legem suam judicarent eum. Quare non liceret illis eum interficere, si D. malefactor fuisset, cum in lege eorum scriptum sit: *Maleficos ne patiaris vivere?* Exod. 22. v. 18. Sed Dominus, qui non malefactor, sed omnium auctor est bonorum, prædixit ante, sed tradendum gentibus ad flagellandum & crucifigendum; hoc est enim, quod Evangelista ait: *significans, qua esset morte moriturus.* Necesse erat impleri, quod ipsa de se veritas implendum prædixit; quod videlicet tradendus erat gentibus, & sicut supra diximus. Nec illud mysterio vacat, quòd Judæi licèt mala ipsi hoc voluntate fecissent, tradebant

bant Dominum gentibus. Apostoli enim ex Judæis prædicabant Christum gentibus, ubi corpus ejus, id est, Ecclesia multis ex illo tempore usque hodiernum diem
Actor. 14. v. 21. afficitur adversis. *Per multas*, inquit, Apostolus, *tribulationes oportet nos intrare in regnum DEI.* Ipsa enim Ecclesia, quæ est corpus Christi, semper usque ad finem mundi non desinit persecutionibus laborare, quæ tamen omnes novissimo resurrectionis omnium die finientur, & postea nunquam futuræ in æternum cessabunt.

CAPUT XIV.

Joan. 18. *INtroijt iterum in prætorium Pilatus, & vocavit JESUM, qui stetit ante eum; & interrogavit eum Præses dicens: Tu es Rex Judæorum? Dixit illi JESUS: à temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus. Numquid ego Judæus sum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mibi, quid fecisti?*

Stetit JEsus ante Præsidem, Judex cœlorum justus ante judicem terræ iniquum. Adam primus homo stetit ante DEUM superbus, & excusans se à peccato, quod commiserat; Dominus Redemptor humani generis non se excusavit, qui sibi nullius unquam peccati conscius erat, quod nullum unquam commiserat. Ut autem nos humilitate sua à nostra superbia liberaret, dignatus est judicium sustinere iniquorum, qui venturus est judicare omnes justos & iniquos.

Joan. 18. *Respondit autem JESUS Pilato: Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc.*

Non est, inquit, *regnum meum de hoc mundo;* quia non ex mundi mortalitate, sed ex DEO Patre accepit, ut Rex, & filius DEI, DEUS Omnipotens esset. Non cœpit ergo ejus regnum ab illa mortalitate, quam ex mundo sumpsit; sed ipse semper sine initio Rex & DEUS, factus est pro nobis homo mortalis, ut temporaliter regnaret in hoc mundo, sed ut illos propter quos redimendos venerat, regnum suum faceret æternum. *Si ex hoc mundo*, inquit, *esset, ministri mei decertarent, ut non traderer Judæis.* Si hoc voluisset ille; ut temporali hoc regno hominibus præesset mortalis, ministeriis posset ad hoc uti Angelicis, qui cum jejunasset quadraginta diebus & noctibus, accesserunt, & ministrabant ei, nunquam scilicet eum deserentes, quin ei semper præsentes ministrarent, utpote, qui cum eo ex virgine nato de cœlis advenunt, & cum quibus ipse venturus est ad judicium in gloria Patris sui. Numquam ergo eidem deerant etiam homini facto Angelica ministeria, quibus quicquid vellet, scilicet Omnipotens, perficere posset. Non igitur traderetur Judæis, si nollet cui millia millium adstant Angelorum. Cum enim Judæis tradi vellet, apparuit, quantum ille tunc volebat, potestas ejus, cum auditô uno ejus verbô abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram, quæ eos, si ipse vellet, statim vivos absorbuisset. Sed & hoc de Judæis intelligi potest, quod Dominus ait: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Nam cum Pilatus dixisset gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi, regnum, inquit, meum non est de hoc mundo, id est, jam peccatis eorum exigentibus de hoc mundo Judæorum, & Pontificum eorum non est regnum meum. Ablatum enim erat tunc ab eis regnum DEI, & datum est genti facienti fructus ejus.

Dixit ei Pilatus, ergo Rex es tu? Respondit JESUS: Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati; omnis enim, qui est ex veritate, audit meam vocem. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas: Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos. Joan. 18.

Ego, inquit Dominus, *in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Ad hoc natus est Dominus, & ad hoc venit in mundum, ut veritatem, quæ ipse Dominus est, mundo ostenderet; veritas est enim ipse, & veritati perhibuit testimonium, quando eam in mundo prædicavit. Vetus lex

lex quasi quædam umbra futuri adventûs A. Christi erat; Christus autem ipsa veritas est. *Omnis*, inquit, *qui est ex veritate, audit meam vocem*, qui enim ex Christo & in Christo est, audit vocem Christi. Nos namque sumus membra ejus, ideoque & vocem ejus audimus, id est; veritati nos docenti credimus.

Joan. 18. Luc. 23. *Iterum ergo exivit Pilatus ad Judæos, & dixit eis: Ego nullam in eo invenio causam. At illi invalescebant dicentes, Commovit populum per universam Judæam docens, & incipiens à Galilæa usque huc. Pilatus autem audiens Ga*B.*lilæam interrogavit, si homo Galilæus esset? Et ut cognovit, quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso JESU gavisus est valde; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò, quòd audiret multa de illo, & sperabat signum aliquod fieri ab eo. Interrogabat autem illum multis sermonibus; at ille nihil respondebat. Stabant autem principes sacerdotum & scribæ constanter accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indu*C.*tum veste alba & remisit ad Pilatum, & facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die; nam antea inimici erant ad invicem.*

Quòd à præside Judæorum mittitur Dominus ad regem gentium, licèt ipsis nescientibus, signum fuit, quòd agebant, scilicet, quia à Judæis prædicandus erat Christus, & quasi gentibus mittendus; iterumque à rege gentium ad præsidem remittitur Judæorum, quia in fine mundi intrante plenitudine gentium omnis Israël salvus fiet. *Et facti sunt*, inquit, *amici* D. *Herodes, & Pilatus*. Injusta Christi damnatio impiorum regum impia fuit, & perfida Ps. 27. v. 5. concordia; sed ut Psalmista ait: *Destruendi sunt*, & non *ædificandi* inimici veritatis. Pax enim est Christus Angelorum & hominum, qui autem paci contrarius est, amicus nec suus potest esse, nec alicujus.

Luc. 23. *Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum, & magistratibus & plebe dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans nullam causam inveni in homine isto ex his, in quibus nunc accusatis, sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei; emendatum ergo illum dimittam. Per diem autem solemnem consueverat* Matth. 27. *præses dimittere populo unum vinctum, quem voluissent. Habebant autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat* Marc. 15. *vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cum ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis. Pilatus autem congregatis illis dixit: Est consuetudo, ut unum dimittam vobis in Pascha, quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an JESUM qui dicitur Christus? Sciebat enim, quòd per invidiam tradidissent eum. Pontifices autem concitaverunt turbam ut peterent Barabbam, JESUM verò perderent. Exclamavit autem simul universa turba dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam: Dixit illis Pilatus: Quid igitur faciam de JESU, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: crucifigatur. Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes: crucifigatur.*

Quòd tantò odiô ardebat populus & principes Judæorum contra JEsum, ut eum morti traderent, nihil aliud causæ fuit, nisi quia ipsi veritatis inimici veritatem præsentem sustinere non potuerunt; sed & anteactis eorum peccatis actum est, ut à cordibus eorum omnis DEI & proximi dilectio recederet: Si enim DEUM diligerent, eum, qui eis DEI mandata cotidie docens in templo prædicabat, nequaquam persequerentur: aut si proximum diligerent, beneficiorum ejus memores, quibus cœcis visum, & claudis gressum, & ipsis mortuis vitam reddebat amissam, ab ejus persecutione desistere potuissent. Sed quia, ut diximus, DEI & proximi dilectione privati, (erant) nullũ in se benevolentiæ locum habebant, vel æquitatis, quâ scirent benefactorem non esse damnandum. Nam & ipse gentilis præses Pilatus plùs æquitati studere videbatur, qua toties eum innocentem asserere conabatur. Unde Fratres, quemcunque dilectioni DEI & frater-

næ studere videatis, non dubitetis DEI A. esse templum, & quòd spiritus DEI habitat in eo; qui autem charitate vacuus est, nullam unquam veram virtutem habere poterit. Corda ergo Judæorum charitate vacua Christum nequaquam amare poterant; ideoque seditiosum latronem sibi dimitti maluerunt, quàm pacem, quæ Christus est, tenere, reprobantes eum, qui sanitates faciebat in populo, elegentes autem illum, qui in seditione homicidium fecerat. Barabbas interpretatur *filius magistri eorum*, filium magistri sui, elegerunt Judæi, id est, diaboli: ipse enim, ut Dominus ait, *homicida erat ab initio*, B.

Joan. 8. v. 44. *& in veritate non stetit*.

CAPUT XV.

Joan. 19. *Tunc ergo adprehendit Pilatus JESUM, & flagellavit, & milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, & veste purpurea circumdederunt eum, & veniebant ad eum, & dicebant: ave Rex Judæorum.*

More Romanorum fecit hoc Pilatus, cum JESUM reum æstimaret, voluit flagellis modum culpæ, pro qua sibi C. traderetur, inquirere; sed divina sua dispensante pietate hoc pro nobis genus supplicii sustinere dignatus est Christus, ut plagas peccatorum, quæ contraximus, suis innocentibus curaret verberibus. Sed & mysticè hôc factô Pilati & militum Romanorum designabatur futurum corpus Christi, id est, Ecclesiam frequentibus gentilium persecutionibus quasi flagellis esse laniandam, & tamen eosdem, qui persequebantur, postea in eum credituros, regemque gloriæ adoraturos. Potest & per spineam coronam capiti Christi impositam scelus idololatriæ designari, quàm D. gentes veram ejus Deitatem ignorantes variis idolorum figmentis divinum nomen imposuerunt. Veste autem purpurea corpus Christi circumdantes effusiones sanguinis crebras, immo continuas à sanguine Abel justi usque ad sanguinem ipsius Domini, & ejus corporis præfigurabant, quibus innoxium sanctorum sanguinem effundentes corpus Christi, id est, Ecclesiam circumdederunt.

Joan. 19. *Exiit ergo iterum Pilatus foras, & dixit Judæis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia in eo nullam causam invenio. Exiit ergo JESUS portans spineam coronam, & purpureum vestimentum, & dixit eis: Ecce homo! Cum ergo vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dixit eis Pilatus: Accipite eum vos & crucifigite; ego enim non invenio in eo causam. Responderunt ei Judæi: Nos habemus legem, & secundum legem debet mori, quia filium DEI fecit se.*

More suo populus Judæorum legem verbis tenuit, non factis; sed hic falsò legem, quam susceperant, exposuerunt dicentes, Christum ideo mori, debere, quia filium DEI se fecisset. Nam ipse Dominus in lege: *Filios*, inquit, *genui & exaltavi*. Et: *Ego dixi Dii estis & filii excelsi*. Et: *Filius meus primogenitus Israël*. Et: *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Et ab ipsum Dominum nostrum JEsum Christum dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Quomodo ergo secundum legem moreretur, qui filium DEI se fecisset, cum ipse DEUS Pater toties eum filium dixisset, & non solùm illum, sed & totam illam plebem sæpe filiorum nomine appellat? Non igitur pro hoc debuit mori, quia filium Dei se fecit, quod verè erat. Isa. 1. v. 2. Ps. 81. v. 6. Exod. 4. v. 22. Oseæ 11. v. 1.

Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit; & ingressus est prætorium iterum, & dixit ad JEsum: Unde es tu? JEsus autem responsum non dedit ei. Joan. 19.

Ad cætera verba Pilati Dominus aliquoties respondit; sed cum ab eo interrogaretur, unde esset, non ei respondit; quia non eum dignum sciebat, quòd tantum ei mysterium aperiret: ille enim à Patre est ipso dicente: *Exivi à Patre, & veni in mundum*: Joan. 16. Et: *Ego ex DEO processi*. Hoc ergo Pilato v. 28. incredulo dicendum non erat, unde esset Joan. 8. Dominus. v. 42.

Dixit ei Pilatus: Mihi non loqueris? Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit: Non haberes adversum me potestatem ullam, nisi tibi data esset desuper. Propterea, qui tradidit me tibi, majus peccatum habet. Joan. 19.

Non

Non haberet Pilatus potestatem adversus Dominum, nisi traderet ipse Dominus; & qui tradidit eum Pilato, nec ipse potestatem tradendi eum habuit, nisi quantum permiserat Dominus. Traditus est ergo, quia voluit, sicut & homo factus est, quia voluit. Judæi autem tradiderunt Pilato, & majus habebant peccatum ipsi, qui tradebant eum ad mortem, quàm illi, qui eum crucifixerunt. Unde & Evangelista Marcus tunc eum crucifixum refert, id est, horâ diei tertiâ, cum à populo ad crucifigendum peteretur: ut per hoc apertè ostenderet, ab eis eum crucifixum, qui sua eum mala voluntate ad mortem tradebant.

Joan. 19. *Exinde quærebat Pilatus dimittere eum; Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris; omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.*

O perfidia crudelis, & sæva malitia! Supra dicebant, ideo eum mori debere, quia filium DEI se fecisset, sed in hoc se nihil proficere videntes, vertebant se ad aliud argumentum, dicentes reum esse mortis, quia rebellâsset cæsari: sed hoc falsò dixerunt, nunquam enim viderunt Christum terreni regni affectâsse potentiam, cujus est cœlum & terra, & omnis plenitudo eorum: immo censum pro se, & discipulis suis solvere non renuit, & in prima descriptione census nasci dignatus, parentes ad professionem census venire voluit.

Joan. 19. *Pilatus ergo cum audisset hos sermones; adduxit foras JESUM, & sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostratus, hebraicè autem Gabatha. Erat autem Parasceve Pascha hora*

Matth. 27. *quasi sexta; sedente autem illo pro tribunali misit ad eum uxor ejus dicens: Nibil tibi, & justo illi; multa enim passa sum hodie per visum porpter eum. Dixit ergo Pilatus Judæis: Ecce Rex vester! Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum.*

Sedente Pilato pro tribunali misit ad eum uxor ejus dicens, ut nihil mali fecisset justo illi. Putatur à multis, diabolum jam intellegere cœpisse profectum passionis Domini, & quid humano generi boni futurum ex ea esset, suasisse fœminæ, ut impediret utilitatem mortis Christi.

Dixit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem nisi Cæsarem. Joan. 19.

Hoc est, quod Dominus supra dixerat: *Regnum*, inquit, *meum non est de hoc mundo;* nam mundus, ille populus videlicet infidelis, regem Christum negantes, subdiderunt se regno Cæsaris, ne fierent regnum DEI. Nos autem econtrariò, fratres mei, cotidie in oratione precamur, ut adveniat regnum ejus, & regnet in nobis ipse, qui nos fecit genus electum, regale sacerdotium. Unde ipse Dominus: *Ego*, inquit, *constitutus sum Rex ab eo*, non super eos, qui dicebant: non habemus Regem nisi Cæsarem, sed *super Sion montem sanctum ejus*, ut prædicaret præceptum Domini, Ecclesiam scilicet gentium, immo unam ex utroque populo Judæorum & gentium. Ps. 2. v. 6.

Videns autem Pilatus, quòd nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, acceptâ aquâ lavit manus coram populo dicens: Innocens ego sum à sanguine justi hujus, vos videritis. Et respondens omnis populus dixit: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Matth. 27.

Pilatus manus lavans significat populum se baptismate purgantem ab immunditia sanguinis innocentis. Hoc apud veteres moris esse dicitur, cum se quis innocentem ostendere voluisset, ut coram testibus manus aquâ lavaret. Unde & Psalmista: *Lavabo*, inquit, *inter innocentes manus meas.* Ps. 25. v. 6.

CAPUT XVI.

Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur; tunc præsidis milites suscipientes JESUM in prætorium congregaverunt ad eum universam cohortem, & exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus, & arundinem in dexteram ejus, & genuflexo ante eum illu- Joan. 19. Matth. 27.

debant dicentes. Ave Rex Judæorum. Et exspuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.

Universa hæc probrorum genera pro nobis sustinuit Dominus, ut ab oprobrio diaboli nos liberaret. Sed & singula ipsis, qui hæc fecerunt, nescientibus sacramenta Christi, & Ecclesiæ intelligi possunt.

Matth. 27. *Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamydem, & induerunt eum vestimentis ejus, & duxerunt eum, ut crucifigerent.*

Illusio militum, ut supra diximus, illis nescientibus, nobis tamen intelligentibus hæc salubre prophetiæ documentum fuit: nam quod exuerunt eum vestimentis ejus, hoc sæpius egit crudelitas hominum, scilicet extinguere conantes sanctos DEI, quæ vestimenta ejus sunt. *Et circumdederunt corpus ejus chlamyde coccinea*: crebris sanguinum effusionibus & cædibus sanctorum Ecclesiam Christi cruentabant. *Plectentesq; coronam spineam inposuerunt capiti ejus.* Caput Christi DEUS est Pater; illa ergo adoratione quâ DEO serviendum est, homines vel animalia quæque adorabant. *Dederuntque arundinem in dextera ejus*: temporale scilicet mundi regnum præferentes dexteræ, quæ est cœleste regnum; Sinistra namque Domini præsens sæculum in scripturis solet intelligi, dextera verò æternum sanctorum regnum in cœlis. Datur ergo arundo in dextera Christi, quando hujus sinistræ fragilitas præfertur à stultis regno DEI æterno. Quem iterum ipsi accipientes *percutiebant caput ejus.* Hoc solet agere fragilis hujus mundi potestas, non solùm videlicet DEO digna servitute se non subjiciens, sed etiam ejus nomini persecutiones, quantum in se est, excitans. *Exuebant autem eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis ejus.* Illi enim, qui prius eum persequebantur, postea ipsi Dominum induebant suis vestimentis, immo ipsi persecutores vestimenta Domini facti sunt, credentes in eum, quem ante persequebantur, diligentes eum, quem odio habuerunt gratis.

A. *Susceperunt autem JESUM, & eduxerunt, & bajulans sibi crucem exivit.* Joan. 19.
Exeuntes autem invenerunt hominem cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi, hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus. Marc. 15.
Et venerunt in eum locum, qui dicitur Calvariæ locus, hebraicè autem Golgotha, & dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum; & cum gustâsset, noluit bibere. Et crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc inde, medium autem JESUM. Matth. 27.

B. Dominus exiens de prætorio portabat suam crucem, ipse sibi portabat crucem, qui suis ante præcepit: *Si quis*, inquiens, *vult post me venire, tollat crucem suam, & sequatur me.* Matth. 16. v. 24. Præibat ergo ipse, quò cæteri sequerentur. Inventus est autem Simon, & coactus est portare crucem Domini. Simon *obediens* interpretatur; qui ergo obedire vult præcedentis Domini jussioni, tollit crucem, & sequitur Dominum. Videte Fratres, quia Simon iste coactus est portare crucem Domini; ipse autem Dominus sponte portabat; quia nimirum passio Domini C. spontanea fuit; Sanctorum autem Martyrum licèt bona, quantum in se erat, voluntate suscepta, pro suis tamen unusquisque peccatis mortuus est. Ipse autem non sibi, sed nobis necessariam mortem suscipere dignatus est. Et nos fratres licet non ab aliquo usque ad mortem persecutionem patiamur, possumus tamen & nos crucem Domini portare, videlicet mortificantes membra nostra, id est, voluntates illicitas, quæ sunt super terram, castigantes corpora, & in servituren redigentes, ut corpus sicut ancilla subditum sit animæ quasi Dominæ. Et quando fratres nostri aliquid in nos commiserint, crucem Domini portamus, si dimiserimus commissa, eisq; benigno corde reddimus bona pro malis. *Dederunt autem ei vinum bibere cum felle mixtum.* Judæi, qui cognitionem unius DEI habentes, legem tamen ejus non servabant, quasi vinum cum felle mixtum Domino dabant, cum ei, quem sciebant, pravis actibus repugnabant, & scientiam peccatis amaram faciebant. Sed & usque hodie, qui DEum bene sciunt, sed mandata ejus contemnunt, vinum ei felle mixtum dant. Crucifixerunt

runt autem JEsum in medio duorum latronum. Quod genus mortis ideo voluit pati, ut genus humanum, quod fructu vetiti ligni perierat, in ligno crucis salvaret. Nam pendentem in ligno scientiæ boni, & mali fructum interdictum comedit Eva, & mortua est; & per pendentem in ligno crucis fructum vitæ æternæ genus humanum à morte resuscitatum
Joan. 6. est. *Qui manducat*, inquit, *meam car-*
v. 55. *nem, habet vitam æternam.* Sed & ideo Dominus extensus est in cruce, ut significaret suum futurum esse totius mundi regnum; per extensa namque brachia ejus totius mundi latitudinem ad se tra- B.
Joan. 12. hendam monstravit. *Si enim*, inquit,
v. 32. *exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum.* In medio autem latronum crucifixus est, quorum unus infidelis permansit, alter fidelis factus regni cœlorum meruit ingressum; quia videlicet Christus inter duos populos justus est Judex venturus, unum pro malis meritis igni deputans æterno, alterum sua salvans misericordia Patris sui regno remunerabit æterno.

Joan. 19. *Scripsit & titulum causæ ejus Pilatus, & posuit super caput ejus; erat autem scriptum: JESUS Nazarenus Rex Judæorum. Hunc ergo titulum multi legerunt Judæorum, quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est JESUS; & erat scriptum hebraicè Græcè, & latinè. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: Noli scribere Rex Judæorum; sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum. Respondit Pilatus: quod scripsi scripsi.*

Quod Pilatus scribens titulum ait: *Hic est Rex Judæorum* futuram gentium significat fidem; quòd autem Judæi contradicebant, scribenti hoc agebant, quod usque hodie gens illa agit contradicens gentibus credentibus quod Jesus est Christus filius DEI. Sed velint, nolint, Jesus est Rex Judæorum,
Luc. 12. id est, confessorum, *qui enim confitetur*
v. 8. *eum coram hominibus, & ipse confitebitur illum coram Angelis DEI.* Talium ergo confessorum Rex est Dominus: *Ego*, inquit,
Ps. 2. v. 6. *constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* De hoc titulo cujusdam psalmi inscriptione dicitur: *Ne corrumpas tituli inscriptionem.*

A. *JESUS autem dicebat: Pater dimitte il-* Luc. 23.
lis, nesciunt enim, quid faciunt.

Implevit Dominus, quod ante discipulis præcepit: *Orate*, inquit, *proper-* Matth. 5.
sequentibus, & calumniantibus vobis. Et v. 44.
utique non irrita potuit esse ejus oratio; multi enim Judæorum, pro quibus tunc oravit, nescientes, quod filius DEI erat, quem morte damnabant, postea conversi crediderunt, & fidelium numero additi sunt, sicut uno die tria millia, & altero quinque millia eorum credidisse referuntur.

CAPUT XVII.

Milites ergo cum crucifixissent JESUM, Joan. 19.
acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit, ut scriptura impleatur: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem.

Milites, qui Dominum crucifixerunt, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt C. quatuor partes. Hi quatuor milites quatuor totius orbis plagas designant, ex quibus omnes gentes vestimenta Christi suscipientes, id est, Apostolos & Prædicatores fidei unam efficiunt Ecclesiam Catholicam; quæ tamen vestimenta in quatuor, ut diximus, orbis plagas divisa, una tamen sunt charitate *Tunica* Christi. Est enim Ecclesia Christi, & locis divisa, & charitatis unitate conjuncta, de qua dicitur: *Erat*, inquit, *tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.* Non enim hominis est arte vel ingenio charitas constructa sed DEI est donum unitas & cha- D. ritas Ecclesiæ contexta ex multarum animarum insolubili societate. Non ergo scindenda fuit tunica, quia nec charitas scindi potest Sanctorum, nec unitas dividi. Timeat igitur scissor Christianus, quod non ausus & facere paganus. Dixerunt enim milites: *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit.* Sors, & pars nostra Dominus est; hac sorte possidebimus charitatem. Sive quatuor milites quatuor designant Evangelistas, qui sibi gesta Domini narranda diviserunt, unam tamen omnes quatuor tunicam, id est,

 cha-

Gal. 5. v. 14. charitatem Christi prædicantes; *Omnis* A *enim*, ut ait Apostolus, *lex uno dilectionis sermone adimpletur*. Cuncta ergo, quæ à quator Evangelistis gesta Domini narrantur, ad unum charitatis finem tendunt, quæ desuper contexta scindi vel dividi nequit.

Matth. 27. *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: Vah, qui destruit templum DEI, & in triduo illud reædificat! Salva temet ipsum: si filius DEI es, descende de cruce!*

Verùm nescientes dicebant; hoc B enim, quod nunc Dominus egit, ad solutionem templi DEI corporis videlicet sui pertinebat, quod post triduum resuscitans à mortuis reædificabat.

Luc. 23. *Illudentes autem ei, & milites accedentes, & acetum offerentes illi dicebant: Si tu es Rex Judæorum, salvum te fac.*

Matth. 27. *Similiter & principes Sacerdotum illudentes cum scribis, & senioribus dicebant: Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere. Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei; confidit in DEO, liberet nunc* C *eum, si vult: dixit enim, quia filius DEI sum.*

Et hoc Principes sacerdotum quodammodo prophetantes dicebant; *Alios*, inquit, *salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere*. Gentes enim salvas fecit, Judæi autem, secundum carnem cognati, & proximi infideles permanserunt. *Si Rex Israël est descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Dominus, quod impossibilius esse videbatur, mortuus surrexit de sepulchro; illi tamen resurgenti non crediderant, qui se promiserant credituros, D si vivus descenderet de cruce.

Luc. 23. *Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat illum dicens: Neque tu times DEUM, quòd in eadem damnatione es; & nos quidem justè, nam digna factis recepimus, hic autem nihil mali fecit. Et dicebat ad JESUM: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi JESUS: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.*

Et hic Judex justus inter credentem, & incredulum latrones æquitatis suæ judicium ostendit. Unus ex latronibus cum Judæis blasphemabat eum dicens: *Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos.* Iste namque significat corpus illud diaboli, quod, incredulum permanens, à veritate DEI alienum est, cujus corporis caput eôdem dubitationis verbô: *si tu es*, Matth. 4.
inquit, *filius DEI, dic, ut lapides isti panes fiant.* v. 3.
Ille verò alter se quidem cum socio suo justam professus est suscepisse damnationis sententiam, Dominum verò nihil mali agentem pro suis, & totius populi fidelis cognovit passum esse peccatis. *Nos*, inquit, *justè damnamur, nam digna factis recepimus; hic autem nihil mali fecit.* O magna latronis fides, immo magnum in latrone ejusdem Domini, & pietate plenum opus! Hominem vidit pendentem in ligno; non eum vidit cæcos illuminantem, leprosos mundantem, dæmones ejicientem, surdis auditum restituentem, mortuos suscitantem, de quinque panibus quinque millia populi satiantem, pedibus super mare ambulantem, sed secum tormentis afflictum, Dominum tamen Majestatis credidit, Regemque cognovit. *Domine*, inquit, *memento mei, cum veneris in regnum tuum!* Crucifixum vidit, & Dominum appellavit; moriturum non dubitavit, post mortem ejus credidit regnum esse futurum. Hoc Fratres non hominis illius, sed DEI est in corde hominis opus mirabile. De doctrina ejus foris nihil audivit, sed qui docebat, intus fuit. Et dixit illi JESUS: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* In ipso passionis Dominicæ tempore unus ex illis, qui cum Domino crucifixi sunt, latronibus reprobus, alter inventus est electus; ut scilicet nos admoneremur, duo esse genera hominum: unum, quibus in sinistra ponendis dicturus est ipse
Dominus: *Discedite à me maledicti in* Matth. 25.
ignem æternum. Alterum, cui in dextera v. 41.
glorificandis dicturum se promittit: *Venite* Matth. 25.
benedicti Patris mei, possidete regnum pa- v. 34.
ratum vobis ab origine mundi. Nam & hic electus hoc ipsum precatus est, *Domine*, inquiens, *memento mei, dum veneris in*

in regnum tuum. Regni ipsius aditum postulavit, quod Dominus in fine suis dandum electis promiserat. Videte Fratres tantum DEI pietatis indicium unô verbô, & hôc jam jamq; moriturus omnia anteactæ vitæ delevit peccata. Dominum confessus est, & illa confessione paradisi meruit ingressum; Martyr namq; factus est ex latrone. Cum crucem ascendisset, latro erat: cum in cruce penderet, confessor factus est & Martyr. Non desperemus Fratres de peccatis præteritis, non est mora apud dimittentem Dominum, si paratus est animus noster ad confitenda & relinquenda peccata, quæ fecimus; semper enim ejus misericordiæ sinus est paratus. Et videte, quod ambo ante erant latrones, quia scilicet omne genus humanum peccatis erat obnoxium; sed pars electorum à peccatis desinens, & ad fidem conversa ingressu est digna paradisi: pars autem reproba, quasi latro infidelis permanens igne puniendus est æterno. *Hodie*, inquit, *mecum eris in paradiso.* Christus filius DEI divinitate semper est in paradiso, immo ipse fidelium suorum paradisus, id est, deliciæ, & felicitas est æterna. Cum Domino ergo in paradiso futurus erat, qui ad ejus divinitatis cognitionem perducendus erat, cujus humanitatem divinitate potentem, etiam in cruce pendentem agnovit: nam anima Christi illo die infernum dispolians electorum suorum animas ad paradisi gaudia produxit; corpus verò in sepulchro positum tertio abhinc die à morte est resuscitatum, suscepta pro nobis. Anima ergo latronis cum ipsius Domini anima ad paradisi gaudia ipso die, quô hoc Dominus promisit, perducta est. *Mecum*, inquit, *eris in paradiso*, id est, sicut mea anima Dei semper est contemplatione beata, & ab hoc ab omni peccati corruptione & mutabilitate immunis, ita & tua eadem est felicitate miserante Deo beata futura. Et bene *hodie;* ad illas enim delicias æternæ vitæ felix illa anima perducenda erat, in qua non nox & dies, sed solus unus dies est æternus.

CAPUT XVIII.

Joan. 19. *Stabant autem juxta crucem JESU Mater ejus, & soror Matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalena. Cum vidisset ergo JESUS Matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam in sua discipulus.*

Pius Dominus pietatis suæ excellens ostendit documentum, Matrem scilicet carnis suæ non despiciens, ad Divinitatis Patrem transiturus, sed eam dilecto commendans discipulo, evidenter nos instruens, parentibus nostris pios exhibendos affectus. Et videte Fratres, quia virginem Matrem virgini discipulo commendare dignatus est; ut scilicet maternæ virginitatis custos esset, qui pro ipsius amore suum à carnali inquinamento corpus meruit conservare inviolatum. Sed & tres fœminæ istæ tria Ecclesiæ Christi genera designant, quæ in agro dominico trinum ubertatis fructum adferunt, centesimum, sexagesimum, & trigesimum. Mater enim ejus Virgo & soror Matris Maria nupta, & Maria Magdalenæ jam continens. Tota ergo sanctorum Ecclesia hi tres sunt gradus; virgines, continentes, & conjugati, quarum tamen omnium trium non aliud, quàm Maria nomen est. Ex omnibus enim istis eliguntur, de quibus ipse ait: *qui fecerit* Matth. 12.
voluntatem Patris mei, ipse meus Frater, & v. 50.
soror, & Mater est. Frater ut virgo Joannes, *soror* virgines generans ut conjugati; *Mater* jam carnalibus nuptiis abstinens spiritualiter Christum in corde generans continentia: eô modô quotidie Ecclesiæ efficiuntur filii, quô modô Joannes legitur filius fieri Mariæ. Sed & aliud mysterium hôc locô Dominus designare videtur, scilicet, quòd sicut hoc prope mortem egit Matrem commendans discipulo, sic & prope finem mundi populus Judæorum, ex quo secundum carnem natus est, populo commendandus est credentium; cum enim intraverit plenitudo gentium, quæ per Joannem designatur, tunc salvus fiet omnis Israël, qui per Mariam intelligi potest designatus. *Ex illa*, inquit, *hora accepit eam discipulus in sua.* Postquam enim crediderit populus ille Judaicus, tunc ex duobus fiet unum ovile, & unus pastor.

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt su- Matth. 27.
per universam terram usque ad horam nonam; & circa horam nonam clamavit JESUS voce magna dicens: Heloi, eloi lamazapactani! Hoc est: Deus meus, DEUS

DEUS meus, ut quid dereliquisti me? A.
Quidam autem illic stantes, & audientes dicebant: Heliam vocat iste.

A sexta hora tenebræ factæ sunt usque ad horam nonam. Luminaria, quæ posuit DEus ut lucerent in firmamento cœli, Creatorem suum non potuerunt videre pendentem in ligno, & eis splendoris sui lumen exhibere, quorum corda obtenebrata bonum dicebant malum, & malum dicebant bonum, & tenebras lucem, & lucem tenebras, Barabban elegentes, & JEsum, ut perderetur, petentes. Sed & aliud in hora tenebrarum potest intelligi secretius Mysterium figuratum, scilicet quod post peccatum Adæ ad auram post meridiem factum, tenebræ erant super totam terram, ignorantibus hominibus DEUM creatorem suum, usque dum in novissimis temporibus Dominus misertus generis humani carnem sumeret, & crucis pœnam subiret. Et nonâ horâ emittens spiritum mox resurgens mundum sua dignatus est inluminare veritate. Et circa horam nonam clamavit JEsus voce magna: *DEUS meus, ut quid me dereliquisti?* Pro genere humano unde corpus assumpsit Christus oravit; quasi enim se derelictum dixit, C.
cum genus humanum secundum humanitatem sibi propinquum tenebræ obtinerent ignorationis DEI. Hæ sunt ergo tenebræ, quæ factæ sunt à sexta hora peccati Adæ usque ad nonam horam mortis Christi, quod homines ignorantes veram lucem, quæ DEus est, tenebris peccatorum tenebantur inclusi. Pro his ergo oravit Dominus, & ut non derelinqueretur obtinuit; nam inlucescente Dominico surgens
Matth. 28. à mortuis, *data est*, inquit, *mihi omnis po-*
v. 18. *testas in cœlo, & in terra*, & ut tenebræ à
Marc. 16. mundo auferantur. *Ite*, inquit, *in uni-*
v. 15. *versum mundum, prædicate Evangelium* D.
omni creaturæ. DEus meus, quare me dereliquisti? Id est: quare genus humanum à te tam diu derelictum est, ut tui non accipiat cognitionem, quibus tenebris nulla major esse potest caligo? Quidam verò dicebant: *Heliam vocat iste.* Propter aliquantulam similitudinem DEI nominis, quod est *Heloi*, & nominis *Helia*, putabant hæbraicæ linguæ ignari Dominum sibi in auxilium Heliam vocasse.

Joan. 19. *Postea sciens JESUS, quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo positum erat acetô plenum, & continuò currens unus ex eis acceptam spongiam implevit acetô, & hyssopô circumponens obtulit ori ejus. Cæteri verò dicebant; sine,* Matth. 27.
videamus, an veniat Helias liberans eum.

Dominus homo factus humanos affectus sibi cum voluisset, admisit, eisque prout voluit, utebatur. Sitire se dixit, & quia hoc ipse dixit, utique verum dixit; sitivit ergo quando voluit, & quantùm voluit. Ut ergo consummaretur scriptura, dicit: *sitio.* Hoc sitivit, ut consummaretur scriptura, B.
quæ ait: *in siti mea potaverunt me acetô.* Ps. 68. v.
Sed sitis hæc Domini magnum nobis innuit 22.
suæ bonitatis sacramentum; nam & supra in Evangelio aquam se daturum dixit, quam, qui biberet, non sitiret in æternum; aquam scilicet vivam salientem in vitam æternam. Qui ergo cæteris hanc dare potuit, utique quam habebat, dedit. Aliquid ergo sitivit & esurivit, illud scilicet, quod
ait: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem* Joan. 4.
ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. v. 34.
Sitis Domini, & esuries fuit, ut perficeretur opus DEI, ut salvum fieret genus humanum; hoc in cruce pendens intelligi voluit, cum sitire se diceret, videlicet, ut perficeretur opus Dei, & morte carnis suæ peracta fieret genus humanum à morte æterna liberatum. Sed cum hoc ipse vellet, Judæi offerebant ei acetum, cum contrarii DEI piæ voluntati existerent, & usque hodie adversarii permaneant. Acetum quoque Domino offerunt perfidiam scilicet suam, & malitiam contra prædicationem Evangelicæ doctrinæ, quasi acetum amarissimum ori Domini opponentes; nam cum vinum salubre sit, quod Dominus dedit dicens: *Diliges Dominum DEum tuum ex toto corde.* Et: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum,* Judæi de hoc saluberrimo potu acetum horrendæ amaritudinis effecerunt, cum & Domini salubria præcepta dantem odire mallent, quàm docenti obedire, & eundem DEum jam proximum sibi hominem factum non sicut se ipsos diligerent, sed quasi suæ salutis hostem turpissimo mortis genere condemnarent.

Cum ergo accepisset JESUS acetum, dixit: Joan. 19.
consummatum est. Et clamans voce ma- Luc. 23.
gna ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum; & hæc dicens inclinato capite tradidit spiritum.

Con-

Consummatum dixit vetus testamentum, quidquid ante ejus mortem consummandum erat; sive consummatum dixit opus salutis humanæ, de quo ut supra diximus, ipse Dominus: *cibus*, inquit, *meus est, ut faciam voluntatem Patris mei, ut perficiam opus ejus.* Et alibi: *Ego*, inquit, *te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi.* Hoc ergo opus cum consummâsset, inclinato capite tradidit spiritum; quasi enim quædam inclinatio capitis Christi fuit, quod DEUS, qui omnium vita est, corpore mori pro nobis dignaretur; *factus*, ut Apostolus Paulus ait, *obediens Patri usque ad mortem.* Inclinatio ergo capitis humilis ejus obedientia est, quâ ut opus, quod dedit ei Pater, consummaretur; mortuus est, ut nos DEO Patri vivificatos offerret. *Tradidit*, inquit, *spiritum*, quasi potestatem habens ponendi animam suam, & potestatem habens resumendi eam. Tradidit spiritum dicens: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Nullus spiritus à mundi initio traditus fuit in manus DEI, antequam Dominus suum in ejus manus traderet. Cum ergo suum in manus Patris traderet, omnium electorum suorum spiritus Deo Patri obtulit, sive præcedentium Incarnationem ejus, sive subsequentium; hoc est enim, quod Apostolus ait in fine mundi futurum: *Cum*, inquit, *tradiderit regnum Deo Patri* id est, electos suos omnes, solum efficeret Dei Regnum, nulloque regnante peccato illi in Deo regnant, & in illis Deus dicente ipso: *Venite possidete regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Suum ergo inmaculatum & sine peccato spiritum in manus Patris dedit, & hoc in nobis operatur, ut Ecclesiam suam non habentem maculam, neque rugam in ipsius manus tradat, cui suum comendavit spiritum.

Joan. 4. v. 34. Joan. 17. v. 4. 1. Cor. 15. v. 24. Matth. 25. v. 34.

CAPUT XIX.

Matth. 27. **E**T ecce velum, templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum; & terra mota est; & petræ scissæ sunt; & monumenta aperta sunt; & multa corpora sanctorum, qui dormierunt, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem & apparuerunt multis.

Moriente Christo velum ante sancta sanctorum expansum, scissum est in duas partes à summo usque deorsum. Fratres mei, mors Christi aperuit nobis secreta cœlestium sacramentorum; nobis, qui credimus, aperta sunt ea, quæ velantur ab incredulis Mysteria divina. Quamdiu enim populus Judæorum, & increduli quique non credunt in Christum, velamen positum est ante oculos eorum, ut non videant gesta illa antiqua novam significâsse Evangelicæ gratiæ vitam; cum verò Christum credit incarnatum, passum, & à mortuis suscitatum, sedentemque à dextris Dei, velum ei scindetur, aperienturque, quæ ante velata erant divinæ dispensationis secreta mysteria. Ad hoc quippe pendebat velum in templo veteris testamenti, ne populus, & intrantes quique indifferenter viderent sancta sanctorum, in quibus erat arca Domini, & super eam duo Cherubim, & cætera, quæ non toto populo, sed solis sacerdotibus videnda erant. Cum ergo Christus pro nobis mori dignaretur, aperta sunt, quæ ante velata erant veteris testamenti mysteria. Nam omnia illa hostiarum, & sacrificiorum genera, quæ in veteri lege offerri mandata sunt, unam illam sanctam & singularem hostiam Dominicæ Passionis prænuntiabant. Cum ergo ipse pro mundi salute Deo super Altare crucis hostia suavissimi odoris imolaretur, tunc apertum erat, quod diu antea celabatur, scilicet quid illa, quæ ibi gerebantur, significarent. *Et terra*, inquit, *mota est.* Terrenæ videlicet promissiones, sicut illud, quod eis promittebatur, terra lacte & melle fluens, & filiorum nepotumque multitudo & cætera, in quibus tunc ille populus delectabatur promissa. Per mortem ergo Christi ista jam vilescere cœperunt meliora sperantibus, & firmiora æternæ felicitatis promissa. *Et petræ scissæ sunt.* Dura, & gravia veteris legis onera ad misericordiam novæ gratiæ transferuntur, ut peccata, quæ tunc sola semper morte plectebantur, pœnitentiæ nunc suavi medicamine deleantur. *Et monumenta aperta sunt.* Prophetarum præsagia veritate apparente panduntur. Nec sine causa Fratres mei erat, quod Christo resurgente multorum etiam corpora exibant de monumentis, & apparuerunt multis; videlicet, ut sicut primitiæ morientium Christus resurrexit à mortuis, ita & nos non dubitemus resurrecturos carne in novissimo die. Solus enim pro omnibus mortuus est, non autem solus resurrexit; mors namque ejus vivificatio est mortuorum, quia nemo alter sic mori potuit, ut sua morte mortuos suscitaret. Solus igitur, ut diximus, ita mortuus est, ut mors ipsa resurrectio fieret mortuorum.

Matth. 27. *Centurio autem, & qui cum eo erant, cu-* A.
stodientes JEsum, viso terræ motu, & his,
quæ fiebant, timuerunt valde, & glorifi-
Luc. 23. *caverunt Deum dicentes: Verè filius DEI*
erat iste. Et omnis turba eorum, qui simul
aderant ad spectaculum istud, & vide-
bant, quæ fiebant, percutientes pectora sua
revertebantur.

Judæis in incredulitate permanentibus, gentilis centurio & milites Romani visis mirabilibus, quæ fiebant, timentes filiū Dei confessi sunt: *Verè*, inquiunt, *filius DEI erat iste.* Mortuum jam videbant, filium tamen Dei fatebantur; & hoc futuram gentium
Joan. 4. fidem præsignabat. *Videte*, inquit Dominus, B.
v. 35. *regiones, quia albæ sunt jam ad messem.* Parata enim jam tunc erant corda gentium ad credendum. Nam isti, antequam prædicatoris alicujus vocem audirent, solis signis Passionis Domini movebantur ad fidem. *Percutientes*, inquit, *pectora sua.* Dolentes scilicet se interesse his, quæ à Judæis in Dominum gerebantur.

Matth. 27. *Erant autem ibi mulieres multæ à longè*
quæ secutæ erant JEsum à Galilæa mini-
strantes ei, inter quas erat Maria Mag-
dalene, & Maria Jacobi, & Joseph Ma-
Marc. 15. *ter, & Maria Mater filiorum Zebedæi,*
& aliæ multæ, quæ simul cum eo ascende- C.
rant Hierosolymam.

Mulieres istæ opulentæ Christo de suis substantiis ministrabant, utpote ei, qui suū propriū in hoc mundo nihil possidere voluit, cujus tamen proprium tota est terra, & plenitudo ejus; sed pauper pro nobis factus est, ut in illo divites essemus. Eadem ergo devotione mortuo ministrare cupiebant, qua ante viventi serviebant; sed & ubi virorum nullus adpropinquare audebat, fœminas tamen nullus, quin ei adstarent prohibebat. Cupiebant quidē corpori exequias adhibere, sed prævenit eas gaudium resurrectionis, quod primæ videre meruerunt, D. ut sexus, qui maledictionis, & inobendientiæ mundo intulit causam, ipse obedientiæ præmium, & resurrectionis gloriam prior mundo nuntiaret.

Joan. 19. *Judæi ergo, quoniam Parasceve erat, ut non*
remanerent in cruce corpora sabbato
(erat enim magnus dies ille Sabbati) roga-
verunt Pilatum, ut frangerentur eorum
crura, & tollerentur. Venerunt ergo mili-
tes, & primi quidem fregerunt crura, &
alterius, qui crucifixus est cum eo; ad Je-
sum autem cum venissent, ut viderunt eum
jam mortuum, non fregerunt ejus crura,
sed unus militum lancea latus ejus ape-
ruit, & continuò exivit sanguis & aqua.
Et qui vidit, testimonium perhibuit, &
verum est testimonium ejus, & ille scit,
quia vera dicit, ut & vos credatis. Facta
sunt enim hæc, ut scriptura impleatur: Os
non comminuetur ex eo. Et iterum alia
scriptura dicit: Videbunt in quem trans-
fixerunt.

Parasceve Fratres apud antiquos dicebatur dies ille, quem nos sextam feriam dicimus; dictus est autem Parasceve, id est, *præparatio*, quia in eo, unde Sabbato viverent præparabant: Sabbato enim nihil eis operis agere licebat, ideoq; Sabbatum, id est requies dies ille dictus est. Sed illi hæc secundum solam litteram intelligentes, quid his divini mysterii contineretur, prorsus ignorabant; nobis autem, ut supra diximus Fratres, velo templi scisso aperta sunt mysteria, quæ illis adhuc non credentibus velata sunt. Sexta feria præsentis hujus sæculi, quod sex diebus factum est, figuram tenet, hoc autem sæculum vitæ est nimirum præparatio futuræ: hic namq; præparandum est nobis meritum, quò requiem habeamus æternam. Parasceve ergo nostra, id est, præparationis dies, præsens est sæculum multis pressurarum angustiis obnoxium; quem diem sequitur Sabbatum, id est, requies animarum; post verò Sabbatum Dominicus erit dies, quando etiam corporibus susceptis totum hominem gloria suscipiet sempiterna, & sicut Christus sextâ feriâ passus Sabbato in sepulchro requiescens, diem Dominicum suæ gloriæ resurrectionis sanctificavit, & *surgens à mortuis* Rom 6.
jam non moritur, mors illi ultra non domina- v. 9.
bitur, sic & Ecclesia ejus finitis præsentis sæculi passionibus, & ærumnis, requie suscepta felici in illa resurrectionis corporum præstolatur adventum, ut & ipsa surgens jam non moriatur, nec ei mors ultra dominetur, sed unum habens æternum, & infinitum dominicum, quæ & vesperam non habet, luce perfruatur æterna. Hæc est Fratres sextæ feriæ, quâ passus est Dominus, & Sabbati, quô requievit in sepulchro, & diei dominici figura, quâ resurrexit à mortuis, præsens scilicet sæculum, & requies animarum futura, & resurrectio omnium novissima, in qua recipientur merita sine fine beata. Judæi igitur, quasi ne

dies

dies sanctus ille Sabbati crucifixorum pœ- A. nâ fœdaretur, prævidere volentes, rogabant Pilatum, ut frangerentur crura, & tollerentur; sed eorum providentia non eguit Dominus ipse, qui crucifixus est, ipse omnium dispensator, & gubernator temporum: cum enim ipse vellet, passus est, & mortuus, sicut & cum vellet, mortem vincens à mortuis resurrexit. Ipse, qui sexto die hominem plasmavit, sexta eum sena sua morte redemit. Ipse, qui consummatis operibus die septimo requievit ab eis, septimo etiam, id est, Sabbati die requievit in sepulchro, consummatis scilicet salutis humanæ, ad quæ perficienda vene- B. rat, operibus. Nam & in cruce, cum accepisset acetum, dixit ipse Dominus: *Consummatum est, & inclinato capite tradidit spiritum.* Hoc ergo opere consummato requievit Dominus corpore in sepulchro, anima in paradiso triumphante. Ipse, qui prima die Dominica lucem fieri jussit, Dominica mundum suæ luce resurrectionis inradiare dignatus est. Ipse etiam novissimam dominicam diem resurrectione omnium hominum clarificaturus est, quando omnes resurgemus, & nos immutabimur in gloriam. De qua die Psalmista: *Melior est*, inquit, *dies una in atriis tuis su-* C. *per millia.* Rogabant Judæi, ut frangerentur crura eorum, qui crucifixi erant, & tollerentur; sed Domino jam mortuo non frangebantur ejus crura. Fratres mei quidquid in Passione Domini actum est, nobis salutis & exempli salubris causa fuit; nam quòd cum iniquis crucifixus est, hoc nobis exempli causa fuit, ut non gravemur, licèt in istius sæculi tempore transeunte sine iniquis hominibus esse non sinamur. Quòd caput cœlum versum, terram pedes, significat caput nostrum Christum ad cœlos præisse, nosque, qui pedes sumus, extremi scilicet corporis, ipsum secuturos. Quòd ma- D. nus dextra lævaq; porrectæ extendebantur, charitatem duplicem, DEI scilicet, & proximi per totam mundi latitudinem prædicandam intelligere possumus. Quod latus lanceâ perforatur, unde exivit aqua, & sanguis, significat unum esse Ecclesiæ Catholicæ ingressum, aquam scilicet baptismi, vel baptismum sanguinis. *Nisi*, in-
Joan. 3. v. 5. quit, *quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu, non potest introire in regnum DEI.* Vel aqua igitur, vel sanguine quis baptizetur, baptismus tamen ingressus Ecclesiæ est, Sic & cætera omnia in passione Domini gesta vitæ nostræ, salutisq; vel documenta, vel signa sunt. Ita & quod crura Domini non frangerentur, morte Domini jam peracta, factum est, hoc designat, quod columnæ corporis Christi, id est Ecclesiæ pastores, ut nec minis frangantur, nec blandimentis molliantur. Eo actum est, quòd Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus; mors enim Christi præ oculis cordis habita confortat corda fidelium, ut pro eo pati non timeant. *Facta sunt autem hæc, ut scriptura impleatur: Os non comminuetur ex eo.* Et alia scriptura: *videbunt*, inquit, *in quem transfixerunt.* At duo in passione Domini facta duo hæc testimonia sanctæ scripturæ ponuntur: quod crura non frangebantur, ad hoc pertinet, ut os non comminuetur ex eo. Et, quod miles lanceâ latus aperuit, ad hoc respicit, quod Propheta ait: *videbunt in quem transfixerunt.* Per Moysen enim Dominus mandavit, ut cum agnus Paschalis immolaretur, os ejus non comminuetur; ita & quicunq; in corpore Domini os est, id est, membrum forte in Ecclesia Christi nullis terroribus, nullis minis frangi potest. Et quod illa altera scriptura dixit: *videbunt, in quem transfixerunt*, futurum est in judicio novissimo, ut persecutores Christi eum videant, cujus corpus modò variis passionum generibus affligunt.

CAPUT XX.

Cum autem serò esset factum, venit quidam homo Dives ab Arimathia, nobilis Decurio, qui & ipse erat expectans regnum DEI, & discipulus JESU, occultus autem propter metum Judæorum; hic non consenserat consilio & actibus eorum, Vir bonus, & Justus, nomine Joseph, & audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus JESU. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset, & accersito centurione interrogavit eum, si jam mortuus esset? Et cum cognovisset à centurione, donavit corpus JESU. Venit ergo ipse, & tulit corpus; venit autem & Nicodemus, qui venerat ad JESUM nocte primùm ferens mixturam myrræ, & aloes quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus JESU, & mercatus est Joseph sindonem, & liga-

Matth. 27. Luc. 23. Joan 19. Marc. 15.

ligaverunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos Judæis est sepelire. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum novum, quod exciderat Joseph in petra, in quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergo propter Parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt JESUM, & advolverunt saxum magnum ad ostium monumenti, & abierunt. Erant autem ibi Maria Magdalena, & Maria Joseph sedentes contra sepulchrum, & viderunt quemadmodum positum erat corpus; & revertentes paraverunt aromata, & unguenta, ut venientes ungerent eum, & sabbatô quidem siluerunt secundum mandatum.

Homo quidam dives venit ad Pilatum, & petiit corpus JESU. Non enim poterat aliquis pauper accedere ad Præsidem, & hoc ab eo impetrare, quod tamen necessariò agendum erat; prædixerat enim ipse Dominus corpus suum triduò in terra futurum. Et vide Dominum inter duos Joseph, unum virum Mariæ testem integritatis ejus; alterum istum, qui in suo monumento, in quo nondum quisquam positus erat, posuit corpus JEsu, ne si in eo alter aliquis antea poneretur, posset dici illum nondum inde resurrexisse. Et vide duos uteros immaculatos, Mariæ, ex qua intemerata Dominus natus est; & sepulchri novi, in quo ante Dominum, vel post eum nullus hominum positus erat. In terra enim ponendum erat corpus Domini ex homine assumptum, quia ad parentem generis humani primum Adam, ex quo omne corpus humanum seminatum est, post culpam à Domino dictum est: *terra es, & in terram ibis.* Ad implendum ergo humanæ conditionis debitum corpus Domini in terram positum est. Fratres scire debetis, quòd filius DEI, ut humanum genus redimeret mortuus est, non debitor ipse mortis, sed sponte pro ea charitate, quâ nos dilexit, mortis debitum, quod non debuit, exsolvit. Cùm enim primus homo Adam

Gen. 3. v. 19.

A. pro inobedientiæ culpa mortis pœnâ plecteretur, in tota generis humani massa ipsa mortis conditio permansit. Ex uno enim omnes, & in uno omnes peccaverunt, & cum peccatis nati, peccati etiam pœnam omnes luere cogebantur. Non autem potuit ab hujus maledictionis vinculo absolvi genus humanum, antequam veniret aliquis, qui sine peccato natus, pœnæ peccati debitor non fieret. Nam ideo cæteris omnibus pœna debebatur, quia cum peccatis omnes nati sunt. Soli ergo non fuit debita pœna ei, qui peccatum, pro quo pœna inrogata est, non fecit, quia sine illo

B. & natus est. Venit igitur filius DEI assumens sine culpa genus humanum; Mater enim non concupiscentia viri, sed charitate Spiritûs sancti inprægnata est, genuitque filium sine peccato, quem sine concupiscentia concepit. Iste sua morte spontanea potuit redimere eos, qui mortis debitô tenebantur, cæteri omnes inviti peccato cogente mortui sunt. Ideoque aliorum non potuerunt esse redemptores, qui suæ erant pœnæ debitores. Venit ut dixi Filius DEI, fuitque omnium Redemptor, qui non pro debito peccati, quod nullum fecit, sed pro charitate, qua nos dilexit, mortem suscepit,

C. & hujus charitatis mercedem suscepit salutem nostram omnium, qui in eum credimus, & eum diligimus, sicut ipse dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem DEO in odorem suavitatis. Hæc Fratres mei causa fuit Incarnationis Christi. Ad hoc enim natus est carne, ut carne moreretur; ad hoc mortuus est sponte, ut nos à necessitate mortis æternæ liberaret; ad hoc etiam positus in sepulchro, quia sicut primo homini dictum est, *morte morieris*, sic & ei dictum est: *terra es, & in terram ibis.* Totum ergo peccantis debitum exsolvit, ut totam, quam susceperat, humanam naturam redimeret.

Gen. 2. v. 17. Gen. 3. v. 19.

D.

F I N I S.



CAN-

CANDIDI PRESBYTERI, EPISTOLA:

Num

CHRISTUS CORPOREIS OCULIS DEUM VIDERE POTUERIT?

Eruta ex MS. Cod. Imperialis Monasterij S. Emmerammi Ratisbon. Ord. S. Ben. à P. Bernardo Pez.

CANDIDI PRESB. EPISTOLA: Num CHRISTUS CORPOREIS OCULIS DEUM VIDERE POTUERIT?

§. I.

DOmino in Christo venerabili, summa charitate diligendo Fratri * Presbyter Candidus salutem. Non omnimodis ab re agis, qui relativo loquendi more loquens, te filium, me autem patrem appellas, qui utique patrem habens in cœlis Christum, hujus de dignitate, & charitate honorandum, amplectendumque non dubitas. Sed hunc patrem nobis omnibus communem simul credimus, speramus & amamus. Quod autem me patrem vocare voluisti ad hoc, quod agere dispo- suisti, non inconveniens esse videtur. Nam cùm in sanctis Scripturis præceptum sit; ut interrogentur patres, ut annuntient, & seniores, ut dicant; si ille, qui interrogatur, pater est, & Presbyter, quare non rectè patrem appellas, quem interrogare non dubitas? Sed utinam tibi sic utilis ad interrogata fierem, sicut desideras, qui me talem putas, qui tibi vera charitate velim, & scientia valeam solvere, quæ quæris! Est autem quæstio, de qua pulsatum te à quodam dicis: *quòd Christus Dominus noster, in quantum homo fuit, cùm hic mortalis inter mortales viveret, DEUM videre potuisset?* Quæ quidem quæstio, si jam dudum à sanctis Patribus mota, simul & soluta fuerat, nescio, utrum vel à te, vel ab aliquo veterum sic exposita habeatur, sicut iste, de quo scripsisti, interrogare dicitur: videlicet, *si corporeis ejus oculis Pater videretur?* Sed sive habeas illius Quæstionis ab aliis jam solutionem expositam, sive non habeas, ego te, quid inde sentiam, non celabo.

Si lego. Forte leg. pater. Cod. habet præ.

§. II.

DEUS sicut summus spiritus est, sic & summè incorporalis est. Hoc autem A. ideo dico; quia & Angeli, & animæ, & quicunque spiritus creati sunt, licèt incorporales & dicantur, & sint, ejus tamen incorporalitatis, & ut ita dicam, spiritalitatis comparatione corporales quodam modo sunt. Licèt namque aliàs fortè inlocales vel animæ, vel Angeli dici possint; in comparatione tamen summæ illius Divinitatis locales sunt: quia etsi non altero, ipso tamen Mundo, qui utique locus est, continentur. DEUS autem nec Mundo, nec creatura aliqua continetur; quia ab ipso continentur omnia creata, ut sint, & maneant. Qui
B. ergo hoc à te quærebat, scilicet, utrum DEUS corporalibus oculis videatur, aut videretur, aut videndus sit, hoc & à me, & à cunctis Catholicis Christianis responsum audiat: quòd DEUS spiritus spiritu cernitur, non carne. Mundo corde videtur ab hominibus, non, licet mundissimo, corpore: à spiritali substantia & cernitur, & cernendus est, non autem carnali per carnem.

§. III.

C. SI autem fortè respondeat ille, & dicat: & hoc, quod modo per corpus videmus, spiritus per corpus videt, & nobis omnibus futurum promissum est post judicium, corporibus jam incorruptibilibus, DEI visione æterna gavisuros; verè, ùt est, ita dicit, qui hoc dicit; sed spiritus ideo modò per corpus corpora videt, quia non aliter videri corpora valent, nisi per corpus; nec aliud quid per corpus, nisi corpus videri potest. Nam si interrogas: utrum Christus corporalibus oculis DEUM videret? Et ego interrogo: utrum tu modò aut possis, aut si possis, velis veritatem corporalibus oculis videre? Et si, mihi dicis: nec te hoc velle, nec posse: scias, quòd & Chri-

Christus DEUM nec aliter voluit videre, A. nisi sicut videri potest. Nec aliquid vult, aut voluit; nisi quod potuit: nec aliquid potest, nisi quod vult: quia voluntas, & potestas DEI * ipsa DEUS sunt, non aliud aliquid. Ideoque Christus seipso, quo spiritus est, & ipso spiritu, quem implevit, hominem assumens, seipso, inquam, & ipso spiritu, quem implevit, DEUM vidit; corporalibus autem oculis eum cernere, qui summus spiritus est, ideo, ni fallor, noluit, quia non potuit; & ideo non potuit; quia noluit. Vult enim omnia, ùt dixi, quæ potest, & potest, omnia, quæ vult.

*f. ipse.

§. IV.

ET ut hoc tibi quantulocunque exemplo manifestius fiat, si tamen potest, immò quia non potest tali rei simile inveniri exemplum; ex parte tamen aliqua simile est, quod dicam. Ac si media die lucente Sole velis lucerna aliqua materiali uti; cùm tibi sufficiat undique circumfusus solis splendor. Hoc autem eo solo rei, de qua agitur, simile est, quod non quærendum erat corpore videre DEUM, C. quem semper spiritu cernebat. Ego de me ipso dico: Si mihi corpora ad videndum necessaria non fierent, ego nihil corporeis oculis videre curâssem; & hoc fortè omnibus est. Nam dic mihi, si litteras aut habere, aut videre curâsses, si omnia, quæ scire voluisses, sine litteris scires, & memoria retineres? Ego certè invitus litteris utor vel ad me admonendum, vel ad alios docendos: qui si oblivisci nihil possem eorum, quæ à me scita sunt, vel scire valerem sine litteris ea, quæ scienda erant, & eadem indesinenter scire, jam litteris non indige- D. rem, quod ipsum & mihi, & omnibus futurum est, videlicet ut sine litteris & sciant, & non obliviscantur ea, quæ scituri sunt.

§. V.

NOn ergo infirmiore visûs genere quærendum erat, ut videretur DEUS à Christo, qui firmiore, & meliore semper ab illo visus est, & videndus. Non hoc autem ita dico, quasi putem, DEum non potuisse suo corpori concedere; ut aliquid excellentius præ cæteris corporibus haberet. Potuit enim, & fecit, concedens scilicet suo corpori, quæ concedenda erant, magnam planè, ineffabilemque præ cæteris corporibus gratiam: primò, si tamen hoc primum est, ut DEI caro fieret, & ut sine peccato ex hominis, & hoc virginis carne fieret caro, & matrem suam non macularet nascendo: quia potiùs DEI propter illam diceretur genitrix, & esset, & ut sine peccato viveret, & ut ex fide ipsam tangentes sanarentur: & quod mihi vel maximum videtur, vel B. non minimum, ut talis fieret, quæ pro omnibus humanæ naturæ consortibus, & ad salutem prædestinatis victima cunctis corporalibus creaturis DEO Patri acceptabilior fieret, & quòd corruptionem mortua non videret, & quod gloria resurrectionis exaltata super cœlos cœlesti fieret sede sine fine beata. Hæc sunt, quæ concedenda eidem carni Christi, & concessa non dubitantur. Ut autem corporalibus suis sensibus Patrem suum, summum spiritum videret, hoc quid ordini illi summo, & intransgressibili conferret, non satis mihi apparet. Nam quia hoc ab humana natura quærebatur, ut quia adhuc tunc spiritu videri non valuit corporaliter, corporalis videretur DEUS, ille fragilitati ejusdem naturæ consulens, ipse corporalis factus, corporis oculis videri voluit, & corpore tangi. Et hujus rei causa facta est tota illa singulariter mirabilis & mirabiliter singularis dispensatio incarnationis Christi, scilicet, ut per eum, quem mortalem, & corporalem viderant, ad ejus visionem perducerentur homines, qui non corpore, sed spiritu videndi sunt.

§. VI.

EI ergo, qui tibi hoc genus quæstionis proposuit, tu ita responde: si DEum tu videre desideras, munda cor, & videbis. Nam Christus ita DEUM Patrem videre voluit, sicut potuit, & ita potuit, ùt voluit: & quia nos mundis cordibus DEUM visuros esse prædixit, non est dubitandum, quin ita eum ipse videret, sicut nos ad eum videndum pervenire posse docuit. Nam tria sunt, quæ mihi modò occurrunt: unum, quod DEUS à crea-

à creatis spiritibus mundis videri potest, non quantum se ipse videt; sed quantum se ipse videri concesserit; & à corporibus, licèt mundis, videri non potest DEUS ipse in sua natura Divina: & ab immundis & spiritibus, & corporibus non solùm non videtur; sed etiam longè ab eorum visione recedit: & quantò ille, utpote vita, & salus longiùs ab eis recesserit; tantò illi miseriores, & infeliciores fiunt. Videtur ergo DEUS totus à seipso, à spiritu bono creato, quantum ille concesserit, ab homine bono per spiritum: ab immundo nullò modò. Nam corpora per corpus videt spiritus, & corpus per spiritum creatum videt spiritum non creatum, per se autem non. O anima teipsam fide munda, corpori dominare, & ad bona utere; DEO, ut fruaris, stude.

§. VII.

DE anima autem Christi, utrum illa modo DEUM Patrem videat, nullò modò dubitandum est, quin ipsa eum plus omnibus creaturis videat. Nam & nostris, ut supra dictum est, animabus mundatis ejus visio in fine promittitur, qua illa Christi anima semper munda jam fruitur. Quod autem Evangelista dixit: *DEUM nemo vidit unquam*, attende, quid dicat: *nemo*, quasi nec homo, *nemo*, hoc est: hominum, nemo DEUM in natura Divinitatis vidit unquam. Ipse autem unus, qui est DEUS homo, suo spiritu illum videre non dubitatur, nisi ab infidelibus. Et quod dixit: *DEUM nemo vidit*, attende, quod dixit prætetito tempore: *vidit*; non autem: nemo visurus est; quia ùt idem Evangelista ait: *visuri sumus eum, sicuti est*, quod Christi anima semper habuit, ex quo ab eo assumpta est, & impleta. Nisi fortè dicat aliquis, quòd aliquod tempus ante fuisset illa sancta, & verè sanctissima omnium creaturarum anima Christi sine DEO, & postea accessisset illi Divinitas. Sed hoc Catholicæ fidei contrarium est. Tene ergo illam animam DEO semper plenam, DEUM sicuti est, semper vidisse. Tene, & non dubites, Christum, ex quo homo esse cœpit, suo semper spiritu DEUM vidisse, quem & ante assumptionem humanæ naturæ semper vidit.

Joan. 1. v. 18.

A. Nam & *Angeli nostri vident faciem Patris, qui in cœlis est*; quantò magis illa anima, quæ omnibus creaturis, utpote DEO plena, excellentior est? Nemo ergo hominum DEUM vidit in sua natura, extra illum solum, qui solus peccator non est. Visuri autem sunt omnes justi, à peccatis purgati. Nam si Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrabit, attende, cui narrabit, videlicet creaturæ: & quali creaturæ narraturus est, si suæ animæ, quam suscepit, non narrat? Narrat itaque, & ut dixi, eam fecit omnibus creaturis excellentiùs, & magnifi- B. centiùs DEum videre.

O Spes unica, O salus æterna & refugium in te sperantium DEUS! Miserere mihi misero, & peccatori, gratiæ tuæ præsidium inquirenti. Adjuva me Domine, & ad preces meas attende, quas pro nulla meritorum meorum fiducia; sed in sola pietatis tuæ immensitate confisus studeo jam proferre. Illumina quæso inprimis cor meum, ut bonitatis tuæ, atque pravitatis meæ multitudinem aliquatenus attendens, ea, quæ contra te hactenus commisi, lugere semper & emendare digno pœnitentiæ luctu valeam. Deinde precor Domine, ut quicquid impuritatis, quicquid vanitatis, aut erroris nequissimus hostis in me studeat accendere, extinguas, meque ad tui timoris, & dilectionis fervorem semper accendas, & ut cordi meo illam famem, & sitim inmittas, qua ad mandatorum tuorum observantiam, & ad vitæ perennis gaudia desideranda æstuare possim. Nam quamvis per gratiæ tuæ dona sciam vitæ perennis gaudia omni præsentis vitæ jucunditati esse præponenda, licèt etiam ad hæc desideranda, exquirenda variis modis instructus sim; nulla tamen hujusmodi scientia mihi prodest, nisi inspirationis tuæ supplemento jugiter me illuc trahas, & affectum, nec non occasionem pariterque vires bene vivendi tribuas. Facilis enim infirmitas, ac desidia me fragilem negligentemque proh dolor! valet impedire à totius religionis proposito. Ideoque Clementissime DEUS hanc infirmitatem in me prospiciens, ita me sanum validumque in utriusque hominis vigore effice, ut in omni servitutis tuæ studio lætus, & promptus existam, laboremque totum, qui in hoc sæculo, & pro laudis tuæ impensione, & pro peccatorum meorum pœnitentia, nec non pro aliorum necessitate jugiter agendus est mihi, sustinere valeam. Scio denique, quia multos milites tantæ virtutis tantæque de-

A. votionis habes, ut licèt infirmitatibus angustiisque plurimis afflicti detineantur, nihilominùs tamen in præceptis tuis promptissimi & constantissimi inveniantur. Hi quidem Domine gratia tua præstante sunt perfecti, atque potentiæ tuæ armis electi; ast ego omnimoda fragilitate & ignavia peccatis meis exigentibus depressus, vix in aliquantulo servitutis tuæ studio persisto, si mihi sanitas prosperitasque omnis aderit. Unde quæso Clementissime DEUS, ne me infirmitatis, aut adversitatis molestia permittas plùs aggravari, quàm convenire scias meæ

B. qualitati. Sustine me precor pusillanimem & pigrum, expecta me fragilem & infirmum, quousque ad te convertar aliquantulùm; fide igitur & spe tali me confirma, per quam de promissionibus tuis certissimus, in nullius diffidentiæ, mæstitiæq; noxiæ pericula incidam. Ad hæc quoque caritatem & timorem atque humilitatem, nec non patientiam & obedientiam talem mihi precor præsta, qualem primitùs tibi DEO omnipotenti, dehinc hominibus cunctis, inter quos unquam conversari me contigerit,

C. exhibere debeo. Ambitionem simul, & delectationem totius sæcularis gloriæ aufer à me Domine, & da mihi aliquam partem sapientiæ spiritualis, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit coram te omni tempore. Ne reminiscaris quæso delicta juventutis & ignorantiæ meæ, sed secundum misericordiam tuam memento mei Domine. Munditiam quoque mentis & corporis ita mihi quæso vigilanti aut dormienti concede, ut ad altaris totiusque servitutis tuæ officium dignius accedere, ipsumque acceptabiliter possim peragere: nihil

D. enim boni à memet ipso habeo, sed neque ab homine ullo virtutis alicujus donum accipere valeo. Quam ob rem tu Domine DEUS, qui solus omnia potes, & nos temet pro necessitatibus nostris jugiter invocare jubes, exaudi me miserum tibi pro miseria mea supplicantem:

& con-

& concede, ut & illarum virtutum, quas jam orando nominavi, & omnium, sine quibus nullus tibi placere potest, particeps fieri merear. Sed quoniam tam magna pietatis tuæ dona nullis conatibus propriis, nulloque labore condigno acquirere, & obtinere valeo, per sanctissimam nativitatem, & passionem tuam Domine JEsu Christe, nec non per venerandam Crucem, in qua pro mundi salute pendere dignatus est, perque resurrectionem & ascensionem tuam, tum etiam per Sancti Spiritûs gratiam mihi precor concedas.

Adjuva etiam me per merita & preces Sanctissimæ Genitricis tuæ, & perpetuæ Virginis Mariæ, nec non per Sancti Michaëlis, omniumq; cœlestium virtutum, atque per Sancti Joannis Baptistæ, & per Sanctorum Apostolorum tuorum Petri, & Pauli, Andreæ, Jacobi, specialiterq; per dilecti tui Joannis, & per omnium Apostolorum tuorum suffragia; sed & per illorum Sanctissimorum Infantium patrocinia, qui pro tuo nomine trucidati sunt ab Herode, & sicut eosdem infantes nullius meriti, aut virtutis notitiam habentes sola & inæstimabili gratiæ tuæ potentiâ ad vitam æternam elegisti, ita etiam me indignum per illorum, quæso, intercessiones ad vitæ perennis consortium elige. Succurre quoque mihi per Sanctorum Martyrum tuorum Stephani, atque Laurentii, Viti, & Pancratii, Georgii, & Emmerammi, Quirini, & Castuli, Sebastiani & Vincentii, nec non per Maurirü, & Dionysii, Gereonis, & Kyliani, Bonifacii, & Januarii, Hippolyti, & Cyriaci, unà per Sociorum suorum merita, specialiterq; per Sanctorum tuorum patrocinia, cum quibus locum præsentem sublimare dignatus es: sed & per Sanctorum Confessorum tuorum Sylvestri, atque Martini, Remigii & Gregorii, Nicolai, & Benedicti, VVolfkangi, atque Udalrici, perque Sanctarum Virginum Petronellæ, & Ceciliæ, Scolasticæ, & Margaretæ, nec non per illorum Sanctorum, quorum in hoc Monasterio, aut in hac proxima civitate reliquiæ consistunt. Deinde per omnium Sanctorum tuorum suffragia me precor adjuva; ut propter nulla peccata mea aut instantia seu futura in manus perse-

A. quentium animam meam tradas, sed solita pietate tua semper & ubique defendar. Deinde immensam pietatem tuam Domine JEsu Christe suppliciter deposco pro Fratribus nostris, Cœnobiiq; nostri loco, ut quia peccatis nostris exigentibus tam à nostratum, quàm ex alienorum effectu proh dolor! intùs simul & foris destructus est, per gratiam tuam, atque per illorum Sanctorum (quorum corpora, aut reliquias hic positas amore promptissimo veneramur) intercessionem ad laudem & gloriam nominis tui, atque ad necessitatis nostræ, nec non ad eo-

B. rum, qui nobis jugiter deserviunt, quique huc pro aliqua salute obtinenda adveniunt, usum reparetur. Ad hæc quoque precor pro omni utriusque sexûs congregatione, quæ in hac urbe consistit: deinde pro cæteris omnibus, qui in sancta Ecclesia in nomine tuo usquam congregati conversantur, ut & spiritualis vitæ normam, quam habitu profitentur, moribus sequantur, & corporalis vitæ subsidia prout indigent, à te accipere mereantur. Da eis quæso pastor Æterne pastores, & rectores tales, qui illos per exempla sua non ad interitum, sed

C. ad æternæ salutis instruant meritum. Pro his etiam, qui semetipsos confessione aut aliqua interventione in mei peccatoris orationem commendare curabant, bonitatem tuam Domine suppliciter exoro, ne scilicet propter ulla peccata mea confessionis suæ cassetur remissio sperata; sed per gratiam tuam & ipsi veniam, quam confessionis humilitate fideliter expetebant, mereantur consequi; & ego virtutum illarum dona, quæ iidem orationis meæ suffragia quærentes jam inesse mihi credunt, sed pro dolor! necdum in me sunt, per illorum quæso fidem quando-

D. que merear adipisci. Recordare precor in nobis misericordiæ tuæ, verborumque Apostoli tui Jacobi dicentis: *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini.* Et concede, ut & illorum confessio, & mea, quam pro eis profero oratiuncula sibimet prosit.

Peto etiam pro Papa, & Cæsare, aut Rege nostro, nec non pro cunctis Rectoribus, atque Principibus nostris, ut illos in amore & timore tuo ita perfectos facias, quatenùs se sibique subditos valeant

leant regere ; ac congruis exemplis A. præesse. Ad hæc quoque pro parentibus & propinquis, nec non pro illis, qui ab initio vitæ meæ usque in hanc horam qualemcunque pro me laborem pertulerunt, quique in esu aut potu, aut in vestitu, aut in doctrina, seu etiam quôlibet modô mihi prodesse studuerunt; pro illis ergo omnibus pietatem tuam Domine unicè deposco; ut, quia ego nullam ipsis recompensationem debitam impendere possum, gratia tua illis ubicunque opus est sive in præsenti sive in futuro sæculo recompensare dignetur. Deprecor simul pro illis, quos unquam fine B causa contristavi, aut aliquibus meis actibus depravavi, quatenùs per bonitatis tuæ effectum aliquomodò corrigi, & reparari mereantur. Deinde verò communiter pro omni populo Christiano Majestati tuæ Domine supplico; ut eis pacem, aëris temperiem frugumque copiam juxta necessitates suas tribuere digneris: & licèt insidiis diabolicis aut etiam fragilitate humana circumdati à Christianitatis cultu variis modis discedant, ipsa tamen quæso tanti tui nominis agnitio, tantæque Majestatis professio, cui se fide congrua commendant, C & in qua spem maximam vivendi collocant, illis prosit in æternum. Ad hæc quoque immensam pietatem tuam Domine JEsu Christe postulo unicè pro omnibus fidelibus congregationis nostræ defunctis fratribus, nec non pro his, quibus ex fraternitatis communione, seu quacunque commendatione aut eleemosynarum largitate unquam debitor orandi factus sum: deinde communiter pro cunctis in fide sancta defunctis, pro quibus videlicet cuiquam orare licet, ut eos à locis pœnalibus liberare, & in requie perpetua digneris collocare. Has igitur preces, quos ego peccator, qui nec pro memetipso orare sufficio, confidens tamen in tua misericordia pro aliis tam vivis, quàm defunctis ad te Domine protuli, dignanter suscipe; & ut illis simul & mihi aliquantulum prosint, concede.

Ad extremum verò nulla orationis meæ dicta mihi sufficisse prorsus sciens, sed potiùs in te tam orationis, quàm cæterorum actuum meorum sufficientiam, conclusionemq; ponens, in manus tuas Domine spiritum & cor meum, omnemque curam, quam aut in spirituali, aut corporali studio suscipere me causa aliqua compellit, gratiæ tuæ committo; ut ubicunque nequeam, seu nesciam, aut etiam nolim me custodire, tu prout vales, ac scias, utque juxta bonitatem tuam velis, me ubique conservare digneris.

F I N I S.



VEN. ENGELBERTI Abbatis Admontensis

Ord. S. Bened.

EPISTOLA

Ad Ulricum Scholasticum Wiennensem

DE

STUDIIS

ET

SCRIPTIS SUIS.

Eruta ex MSS. Cod. Inclyti & Florentissimi Monasterii Admontensis in Styria à P. Bernardo Pez.



INCIPIT

EPISTOLA ENGELBERTI ABBATIS AD MAG. ULRICUM, SCHOLASTICUM WIENNENSEM.

Magnæ scientiæ & prudentiæ ac discretionis Viro, amico suo speciali, Magistro Ulrico, Scholastico Wiennensi Engelbertus, licèt immeritus Abbas Monasterii Admontensis Ord. S. Benedicti Salzburgensis Diœcesis quicquid animo est optabile ad salutem hominis utriusque.

A. EX jam præteritis adhuc usque mutuæ amicitiæ beneficiis & indiciis ad invicem exhibitis & perceptis nulli dignius aut utilius judicavi ea, quæ circa meum studium & profectum qualemcunque ab ipso juventutis meæ primordio sunt peracta, ex ordine determinare ac fide certissima enarrare, præcipuè ex eo, quòd plurimi admirentur de meis opusculis & Tractatibus, quos aliquos edidi, & non nullos vobis ùt amico communicandos & transmittendos, quotiens dignum duxi, ùt amico & viro litterato, & in Philosophiæ ac Theologiæ studio experto commendabiliter & probato.

B. Scire itaque amicitiam vestram volo, quòd non velut novus aut recens in studio Artium & Thologiæ surrexi, aut in propatulum me erexi. Sed anno Domini MCCLXXI. * tribus annis ante celebrationem Generalis Concilii Lugdunensis sub Gregorio Papa X. transtuleram me ad studium versus Pragam, ubi per illud tempus sub Magistro Oscono & Magistro Bohemilo in castro Bragensi legentibus Gramaticam & Logicam studui & profeci in tantum, quòd inter socios non fui minimus reputatus. Et ibidem tunc etiam primo audivi Libros Naturales à Magistro Gregorio tunc Canonico & Scholastico Bragensi, postmodum Episcopo facto ibidem.

* *Uterque Cod. malè* MCC.

Et cum celebrato Concilio prædicto rumor publicus venisset Bragam de Rege Rudolpho electo, & per Apostolicum confirmato, statim oportebat nos omnes scholares de Austria & Stiria Bragæ studentes de terra recedere & exire. Unde ego tunc etiam reversus in Admundam transtuli me circa Paduam, ubi magnum vigebat Studium Generale Doctoribus & Scholaribus de Bononia illuc translatis propter discordiam, quam Bononienses maximam cum Forlinensibus tunc gerebant, ita quòd Papa Gregorius Statuta sui Concilii Lugdunensis non Bononiensibus, sicut fuit antea consuetum, sed Paduanis Magistris & Scholaribus sub Bulla transmisit ad utendum ipsis in judiciis & in scholis, sicut patet in eorundem Statutorum titulis evidenter.

C. Ego itaque tunc Paduam veniens, ut prædixi, continuavi studium ibidem in Logica & Philosophia quinque annis sub Magistro Wilhelmo de Brixia tunc acto ad salarium legente ibidem, viro magnæ reputationis, postmodum facto Parisius Canonico per Dominum Bonifacium Papam, & Medico etiam effecto ipsius Domini Papæ, postquam à Padua recedens conventum suscepit in Medicinis Bononiæ sub Magistro Tatheo Medico præcipuo tunc ibidem.

Deinde post quinquennium audivi Theologiam Paduæ in domo Prædicatorum

torum sub Magistris Lectoribus. Tunc A ibidem in eodem studio continuò quatuor annos mansi. Et deinde ad claustrum meum rediens in Admundam totum studium meum posui ad Originalia inquirenda & perlegenda: quorum Deo dante pervidi & perlegi numerum competentem, & inveni in quibusdam eorum multa breviter & succinctè posita & dicta, quæ aliqui magni Doctores in terminationibus aliquarum difficilium Quæstionum non expressis nominatim, nec indicatis eorum auctoritatibus posuerunt, quod forsitan factum est gratia brevitatis.

Ad informationem itaque studentium B scire cupio & tenere hoc studentes, quod in me ipso ad meum profectum à principio sum expertus, videlicet, quòd tria sunt, quæ studentes præcipuè faciunt proficere, & ad finem perfectionis pervenire.

Primò debitus ordo discendi, ut quis non ponat se ad audiendum Libros posteriores in ordine traditionis & doctrinæ scientiarum, libris prioribus & antecedentibus non auditis: sicut faciunt illi Clerici, qui promoventur per saltum omisso Ordine Diaconatûs faciendo se de Subdiaconatu ad Sacerdotium promove- C re. Tales per saltum promotos, vel potiùs remotos à profectu discendi plures vidi, qui de Tractatibus auditis mox ad audiendum prioribus libris vel posterioribus se inaniter transtulerunt, in aliis scientiarum studiis similiter faciendo.

Secundò facit ad profectum discendi continuatio unius & ejusdem studii sine interpositione alterius studii cujusquam rei: videlicet ut quis non occcupet se uno & eodem tempore diversarum artium studiis. Quia, ùt dicit Seneca, certis studiis immorari oportet, si vis aliquid capere, quod menti insideat. Alioquin D plures libros evolventibus hoc evenit, quod peregrinantibus, ut hospitia habeant multa: amicos aut sustinentes paucos.

Tertiò facit ad profectum studii confirmatio studii incepti, ut legentes & audientes sive discentes perseverent legendo & audiendo usque ad finem operis inchoati: videlicet ut secundùm consilium sapientis

Nil reputent actum, cùm quid super extat agendum.

Prædictam viam in discendo ego à principio sum secutus, ut non solùm mihi ipsi viderer studendo laboriosè, sed etiam aliis meis consimilibus inquirentibus & diligentibus veritatem proficere.

Primò ergo, antequam Paduam veni ad studium, adhuc domi manens occasione se offerente per adventum tunc electi Regis Rudolphi in Austriam, composui ad instantiam Domini Johannis tunc Chiemensis Episcopi, Cancellarii ipsius Regis Rudolphi primum meum Opusculum de Electione ipsius Regis Rudolphi, quod incipit:

Sclavica qui tumidi confregit cornua Sceptri.

Et cùm de prælio & victoria ipsius Regis contra regem Bohemiæ Ottakarum incepissem secundam partem ejusdem Operis de eodem prælio & conflictu, obtulit se casus, quo me cum aliis sociis expectare non valentibus ire ad Paduam oportebat: in eodem tempore intermisso.

Deinde post novem annos à studio veniens subsequentia Opuscula edidi & Tractatus diversis temporibus & occasionibus interjectis.

Primò in Theologia.

Primò Expositionis continuæ super Psalmum: *Beati immaculati* per totum usque: *ad Dominum cùm tribularer.* Quod Opus incipit: *Vadam in agrum.*

Item de Gratiis & Virtutibus Beatæ Mariæ Virginis, quod incipit: *Lætetur anima vestra.*

Item de Articulis Fidei, quod incipit: *Qui confidunt in.*

Item Tractatum unum de Passione Domini & mysterio Crucis, qui incipit: *Circa magnum.*

Item de Corpore Domini Tractatum, qui incipit: *Cùm propter plures modos.*

Item Tractatum de Gratia Salvationis & justitia damnationis humanæ, qui incipit: *Indica mihi.*

Item de Libero Arbitrio Tractatum, qui incipit: *Inter cætera plures.*

Item de Summo Bono hominis Tractatum, qui incipit: *Melius est videre.*

Item de Providentia DEI, qui incipit: *De Providentia DEI.*

Item de Miraculis Christi, qui incipit: *Mirabilia testimonia.* A.

Item super duodecim Antiphonas: *O Sapientia &c.* Tractatum, qui incipit: *Aspiciebam in visione.*

Item de Quæstionibus super Antiphonam, *Cum Rex gloria* Tractatum, qui incipit: *De illo laudabili.*

Item de Statu Defunctorum Tractatum, qui incipit: *Occasione ejus, quod legitur.*

Item de Quæstione illa: utrum DEUS adhuc incarnatus fuisset, si primus homo non fuisset lapsus Tractatum, qui incipit: *Utrum, si primus* B. *homo.*

Item super Evangelium: *in principio erat Verbum* Tractatum, qui incipit: *Ad præceptum tuum elevabis.*

Item de Sensu doloris Christi in Passione, & de declaratione verborum Hilarii Tractatum, qui incipit: *Super quibusdam Verbis Hilarii.*

De Philosophia Naturali.

Primò super Librum Aristotelis de Mundo unum Magnum Commentum, qui incipit: *Inter plura capitula.* C.

Item super Librum de Inundatione Nili unum Scriptum, quod incipit: *Post librum Aristotelis.*

Item de Fascinatione Tractatum, qui incipit: *Cùm secundùm Philosophum.*

Item de Naturis Animalium Tractatum, qui incipit: *De Naturis.*

Item de quibusdam Naturalibus Tractatum, qui incipit; *Super exceptivis.*

Item de causis & Signis mutationis äëris & temporum.

Item de Causa longævitatis hominum ante Diluvium Tractatum, qui incipit: *Quæstionem difficilem.* D.

Item in Musica Tractatum, qui incipit: *Propter amicorum instantiam.*

Item in Philosophia Morali.

Tractatum de Regimine Principum. Incipit: *Philosophus dicit.*

Item Tractatus, qui dicitur Speculum Virtutum. Incipit: *Gloriosi Dominis.*

Item de Officiis & Abusionibus eorum. Incipit: *Cùm libros &c.*

Item de Ortu & Fine Romani Imperii. Incipit: *Considentibus.*

Item de eo, utrum Sapienti competat ducere uxorem Tractatum, qui incipit: *Narrat Satyrus.*

Item Dialogum Concupiscentiæ & Rationis. Incipit: *Quoniam, ut dicit Seneca.*

Item Tractatum Metricum de Consilio vivendi, qui incipit: *Consilium vitæ cupiat qui discere rite.*

Item de Electione Regis Rudolphi, qui incipit: *Sclavica qui tumidi confregit cornua Sceptri.*

Item de Passione beatæ Katherinæ Opus, quod incipit: *Inclyta sanctæ Katherinæ Virginis acta.*

Quæ tria sola metricè sunt dictata &c. Si quæ adhuc Opera complenda habemus in manibus, prædictis addi possunt: cùm completa fuerint DEO dante.

Istam Epistolam cum anno & numero inceptionis Tractatuum seu Opusculorum, quos edidi Domino adspirante, Vestræ Dilectioni dignè ac præcipuè transmittere volui ad fidem & testimonium veritatis: ne nobis de nostris Opusculis hoc contingat, quod Servius Commentator Virgilii narrat ipsi Virgilio accidisse, videlicet, quòd, cum Cæsar Octavianus Augustus quadam die intenderet magnum festum in memoriam & laudem suæ victoriæ celebrare, Virgilius volens se Cæsari notificare, cùm per totam noctem illam pluvia magna esset, & in mane diei festi celebrandi magna serenitas redisset, Virgilius manè in scala Palatii Cæsaris adscripsit hos Versiculos in laudem Cæsaris ipsius:

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane.
Divisum imperium cum Jove Cæsar habes.

Illos Versus quidam alter adscripsit sibi coram Cæsare, & remunerationem ab eo accepit. Virgilius adhuc ignotus Cæsari existens subscripsit ipsum Versum:

Hos ego Versiculos feci: tulit alter honorem.

Et

Et subscripsit tres Versus incomple-tos:

Sic vos non vobis.
Sic vos non vobis.
Sic vos non vobis.

Et Cæsar veniens & videns fraudem de primis duobus Versibus esse factam, fecit proclamari, illum esse remunerandum tanquam verum auctorem, qui tres ultimos Versus rectè compleret. Quod cùm nemo attentaret, tandem Virgilius veniens sic complevit:

Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis vellera fertis oves.
Sic vos non vobis fertis aratra boves.

Sic ergo Virgilius Cæsari notus factus cum magna remuneratione in familiaritatem Cæsaris assumptus est.

NOTA.

Hactenus Epistola Engelberti, ùt equidem extat in antiquiori Codice Admontensi ad finem sæculi decimi quarti exarato. Eadem habetur in Collectaneo de Scriptoribus Ecclesiasticis Modesti Puterer, circa annum Domini 1530. *Cœnobitæ Admontensis, sed admodum interpolata. Epistolæ Modestus hoc Epigramma in laudem Engelberti haud dubiè pridem concinnatum subjungit:*

Est Engelbertus Domini bonitate refertus,
Dulci doctrinâ peragrans documenta superna.



VEN. ENGELBERTI
Abbatis Admontensis
Ord. S. Bened.

LIBER
DE

CAUSIS LONGÆVITATIS HOMINUM ANTE DILUVIUM.

Prodit nunc primùm in lucem opera & studio R. P. Carolomanni Hueber Benedictini Mellicensis, qui eum eruit ex Cod. M. S. Inclyti Monasterii Zwetlensis Ord. Cist.

ENGEL-

ENGELBERTI ABBATIS LIBER DE CAUSIS LONGÆVITATIS HOMINUM ANTE DILUVIUM.

Incipit Tabula super Tractatum Venerabilis Domini Engelberti Abbatis.

I. *Utrum ante diluvium homines naturaliter tam longo tempore vixerint, sicut legitur in sacra Scriptura.*

II. *De tempore longiori & breviori, quo homines ante & post diluvium leguntur vixisse.*

III. *Quòd tanta prolongatio vita humana ante diluvium non processerit ex causis naturalibus.*

IV. *Quòd tam festina & magna abbreviatio vita hominum post diluvium non processerit ex causis naturalibus.*

V. *Utrum prater causas naturales ex solo divino judicio processerit illa prolongatio & abbreviatio vita humana.*

VI. *Argumenta in contrarium, quòd illa prolongatio & abbreviatio processerit secundùm causas naturales.*

VII. *De diversitate & differentia naturalium causarum longitudinis & brevitatis vita.*

VIII. *Quòd longitudo vita causatur naturaliter à calido & humido, & brevitas à contrariis istorum.*

IX. *Quale sit illud calidum & humidum, per quòd stat, & durat vita.*

X. *De proportione illius calidi & humidi adinvicem secundùm suam qualitatem & quantitatem.*

XI. *De extrinsecis causis longitudinis & brevitatis vita.*

XII. *De iis, qua per accidens causant longitudinem & brevitatem vita.*

XIII. *De distinctione periodorum longitudinis aut brevitatis vita.*

XIV. *Quòd nec ars, nec natura aequaliter operosa est, ad perficiendum singula opera sua.*

XV. *De causis similitudinis & dissimilitudinis generationis & generatorum.*

A. XVI. *De quatuor suppositionibus necessariis ad determinationem totius hujus quastionis.*

XVII. *Responsio ad specialem quastionem pramissam.*

XVIII. *De causa abbreviationis vita per elongationem à primis principiis generationis.*

XIX. *De causa abbreviationis vita per victoriam contrarii corrumpentis.*

XX. *Quòd propter vicinitatem secundùm tempus à primo principio sua generationis homines ante diluvium tam diu vixerunt.*

B. XXI. *Quòd secundùm naturam est aliquis certus terminus longitudinis humana vita & magnitudinis corporum humanorum.*

XXII. *Quòd maxima longitudo vita fuerit ante diluvium circa mille annos, & qua fuerit causa hujus.*

XXIII. *Quibus de causis abbreviata fuerit vita humana post diluvium.*

XXIV. *Quòd usque circa centum annos abbreviata fuerit vita humana.*

XXV. *Qua fuerit ratio & causa illius abbreviationis usque ad tantum numerum annorum.*

XXVI. *Quòd proportio elementorum* C. *ad invicem fuit prima causa & ratio illius longitudinis & abbreviationis.*

XXVII. *De distinctu & declaratione illius elementaris proportionis.*

XXVIII. *Conclusio pradictarum causarum maxima longitudinis, & maxima brevitatis vita humana secundùm naturam.*

XXIX. *De causis magnitudinis & parvitatis corporum humanorum.*

XXX. *Quòd eadem fuerunt certa magnitudinis & parvitatis corporum humanorum ante & post diluvium.*

XXXI. *Quòd*

XXXI. *Quòd vigor & puritas elementorum faciebant ad longævitatem & fortitudinem hominum ante diluvium.*

XXXII. *Quòd omnis cibus conveniens nutritioni convenit etiam generationi & similiter econtra.*

XXXIII. *Quòd major fuit virtus & vigor plantarum & fructuum, & herbarum ante diluvium, quàm poſtmodum.*

XXXIV. *Quod pinguedo & dulcedo quorundam fructuum & plantarum eſt magis durabilis & reſiſtens reſolutioni.*

XXXV. *Quòd ad perfectionem naturæ non eſt æqualiter operoſa circa ſingulas plantas.*

XXXVI. *Quòd inferiora corpora non ſemper nec æqualiter recipiunt influentias ſuperiorum.*

A. XXXVII. *Quòd iſta tria elementa aër, aqua & terra, non ſunt ejuſdem vigoris nunc, ſicut ante diluvium.*

XXXVIII. *Quòd alii homines aliis patiuntur majores reſolutiones corporum & virium.*

XXXIX. *Quòd eſt aliquis certus terminus & ſtatus abbreviationis naturalis circa vitam humanam.*

XL. *Quòd divinum beneplacitum vel judicium non excluditur ab iis, quæ fiunt præter curſum vel ſecundùm curſum naturalem.*

XLI. *Generalis diſtinctio eorum, quæ* B. *fiunt præter curſum vel ſecundum curſum & ordinem naturalem.*

Explicit Tabula Domini Engelberti.

INCIPIT LIBER ENGELBERTI ABBATIS DE CAUSIS LONGÆVITATIS HOMINUM ANTE DILUVIUM.

CAPUT I.

Utrum ante diluvium homines naturaliter tam longo tempore vixerint, ſicut legitur in ſacra Scriptura.

Quæſtionem difficilem & prolixam admodum pro ſua intentione, cujuſdam amici precibus, diſcutiendam plus quàm determinandam aſſumpſi: ſi forte ex auctoritatibus ſacræ Scripturæ & rationibus aliquibus ad utramque partem ipſius inductis perveniri valeat in ipſa quæſtione ad aliquod veſtigium veritatis. Quoniam hoc faciendo videtur ad minus pro tanto benè agi: ut Doctoribus ad meliorem determinationem ipſius ex hujuſmodi labore noſtro occaſio & materia ulterius procedendi in quæſtione hujuſmodi tribuatur.

Eſt ergo quæſtio: utrum longitudo vitæ hominum & magnitudo corporum humanorum, quæ communiter, & ùt in pluribus, legitur fuiſſe ante diluvium, & tam feſtinata & multa abbreviatio vitæ humanæ, & diminutio corporum humanorum communiter poſt diluvium cauſata, ſit à natura ſecundum communem curſum & naturalem ordinem rerum, vel ex divino judicio ſecundùm voluntatem C. & ordinationem DEI præter curſum & ordinem naturalem rebus originaliter in- A. ditum, & ſtatutum. Hæc enim quæſtio videtur habere neceſſariam rationem, & rationabilem neceſſitatem.

Primò quidem neceſſariam rationem ex eo, quod multa narrantur in ſacra Scriptura, quæ, ùt narrantur, ſic ſe habent ſecundùm communem curſum rerum, ita quòd eorum rationes in cauſas rationales rectè & rationabiliter reducuntur. Secundùm quem modum non erat juxta naturam rerum facilè credibile vel poſſibile, quod Abrahæ tunc centenario naſceretur filius, & Sara nonagenaria conciperet & pareret, cum angelus Abra- B. hæ prædicit, quod Sara eſſet conceptura, ùt dicitur Geneſ. XVII.

Secundò videtur habere rationabilem neceſſitatem propter gerendum morem debitum & condignum fidei & auctoritati ſacræ Scripturæ in expoſitione & intellectu ipſius, ne illa quæ ibi narrantur ut facta ex ſola potentia & voluntate divina præter ordinem & curſum naturæ, vel negemus, vel dubitemus ſic facta eſſe, ùt narrantur, aut aliis cauſis attribuamus: ſicut illam ſtationem Solis contra curſum & ordinem naturalem, de quo legitur Joſuæ X. retrogadationem C. umbræ ſtili in horologio Achab, ùt ſcribitur III. Reg. XX. Ne in naturalibus ſecundùm inſtitutam originaliter rerum conſe-

consequentiam & naturam se habenti-bus, ad miraculum recurratur. Per quem modum omnia difficilia in sacra Scriptura de facili solverentur, & apud homines impossibilia salvarentur: & in miraculis fidei, Scripturæ, & venerationi divinæ potentiæ & gratiæ detrahatur alia aliis & alienis causis attribuendo.

Unde Ambrosius in Exameron ubi loquitur de opere tertiæ diei, tangit hunc modum secundum istam quæstionem: utrum diluvium credendum sit factum esse aliqua rerum naturalium necessitate, vel sola divina voluntate, cui obedit omnis natura rerum: & utrum congregatio aquarum in locum unum, ut appararet arida, sit facta solo præcepto DEI juxta

Gen. 1. 9. 10. illud: *Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum unum &c.* Vel utrum hoc ipsum quod DEus dixit: *congregentur aquæ in locum unum &c.* non sit aliud, nisi DEum hoc ipsum aquis originaliter indidisse, ut descendendo ad locum inferiorem suo naturali pondere in unum id est: in centrum & circa centrum terræ fuerint congregatæ. Scio enim ex modernis doctoribus magnos viros quosdam hoc dicere, quòd & naturali ratione salvari possit, aquas in unum, id est, in inferiorem locum terræ congregatas fuisse, & terram suo tumore super aquas elevatum in nostri habitabili arida & ab aquis discoopertam naturaliter sic manere.

CAPUT II.

De tempore longiori & breviori, quo homines ante & post diluvium leguntur vixisse.

Quod autem quæstio prædicta de longitudine vitæ hominum & magnitudine corporum humanorum supponat veritatem historiæ, patet ex ipso textu sacræ Scripturæ. Legitur enim ante diluvium temporibus Noë factum, ùt habetur Gen. VII. ætates hominum tam longas fuisse, ut aliqui tunc DCCL. annis & amplius: aliqui verò ad DCCCC. annos & ultra vixisse referantur, quamvis nullus ad mille annorum ætatem legatur complete aliquo tempore pervenisse. Et quòd non solùm longioris ætatis homines tunc fuerint, sed etiam majora & robustiora corpora habuerint, inter quos gigantes, quos cæteris homini-

A. bus illius temporis longiores & fortiores fuisse aliqui memorantur, ùt refert Augustinus XV. libro de Civitate DEI. Post diluvium verò excepto Sem filio Noë, qui postmodum duos annos legitur vixisse, nullus postmodum D. annos vitæ & ætatis legitur adtigisse, sed ætates simul & corpora hominum deinceps per successum temporis defecisse, ista quòd Abraham, qui natus fuit post diluvium DCCCCXLII. anno, ùt dicit Isidorus Etymologiarum libro V. totum vitæ suæ tempus non habuit nisi CLXXV. annos: de quo tamen dicitur Gen. XXV. quòd

B. *mortuus fuit in senectute bona provecta ætatis, & plenus dierum &c.* Unde Joseph dicit, quòd à tempore Abrahæ corpora & ætates hominum deficere inceperunt &c. Propter quod etiam Abraham suo tempore, quòd erat secundùm Augustinum incipiente tertia ætate mundi habuit pro impossibili vel difficili, quòd sibi jam centenario existenti, & uxori suæ nonagenariæ filius nasci possit, ùt habetur Gen. XVII. licèt hodie inveniantur aliqui viri octogenarii & mulieres sexagenariæ filios generâsse. Ex quo patet, quòd (*post*) Abraham deinceps æta-

C. tes hominum defecerunt, ita quòd sub David incipiente quarta ætate mundi ætas hominis ad longius tempus usque ad septuaginta & octoginta annos vel modicum ultra communiter est redacta quasi ad ultimum statum suum juxta illud Psalmi: *dies annorum nostrorum in ipsis octuaginta annis &c.* non obstante, si Ps. 89. 9. aliqui legantur postmodum ultra centum annos vixisse, sicut dicitur II. Paralip. XXIII. de Joida Pontifice, quòd mortuus fuerit cùm esset annorum CXXX. &c. Quia unum accidens in uno individuo non facit regulam communem toti speciei: nec

D. ex una particula potest concludi propositio universalis.

CAPUT III.

Quod tanta prolongatio vitæ humanæ ante diluvium non processerit ex causis naturalibus.

Quòd igitur tanta prolongatio vitæ humanæ ante diluvium non processerit secundùm communem cursum, & ordinem causarum naturalium videri posset tali tali ratione.

Nam Philosophus vult, ùt patet II. de anima in Capitulo de operatione virtutis vegetativæ, quòd sperma est principium generationis superfluum nutrimenti, licèt sit potentiâ totum corpus. Quia secundùm ipsum quod de alimento digesto superfluit, his duabus operationibus, scilicet nutritivæ, & augmentativæ transmittit natura ad viam generationis concomitante virtute generativa ipsum semen decisum à calore naturali, & animali conservata & excitata. Propter quod dicit in textu, quòd ipsum semen decisum est generationis factivum. Hoc autem, quòd dicit *factivum*, innuit potentiam activam. Sive igitur semen virile intret matricem ùt efficiens tantùm, vel ut efficiens & materia, quod ad propositum nihil refert; sanguis tamen menstruus est materia mulieris conceptûs & partûs humani, qui sanguis est superfluum nutrimenti. Nutrimentum autem cùm in fine debeat assimilari corpori nutriendo, quantò est propinquius naturæ corporis humani, tantò magis est connaturale & magis assimilabile: & quantò magis consimile, connaturaleq́ue, tantò plus nutrit & confortat. Ergo pari ratione superfluum nutrimenti sive sit sperma hominis, vel sanguis menstruus mulieris, quantò à consimiliori & magis connaturali nutrimento decisum fuerit, tantò est aptius & convenientius generationi: & quantò aptius & convenientius est generationi, tantò perfectius & forcius erit generatum, & per consequens major prolongatio vitæ, & magnitudo corporis generati. Sed cibus carnium, & maximè quarumdam specialiter est inter omnia magis consimile & naturale nutrimentum hominum, quia vicinior est secundum naturam carni caro, quàm non caro: Plantæ verò & herbæ & fructus eorum sunt plus remotæ ab assimilatione complexionis naturæ humanæ. Ergo sunt homini minus aptum & conveniens nutrimentum, & per consequens superfluum nutrimenti ipsorum est minus aptum & conveniens generationi & confortationi, & conservationi corpotis humani & vitæ ipsius. Homines verò ante diluvium non utebantur carnib⁹, sed solùm fructibus herbarum & plantarum: quia usus carnium primò concessus fuit hominibus post diluvium, ùt habetur Gene-

A. sis IX. *omne, quod vivit, erit vobis in escam &c.* Ergo prolongatio & conservatio vitæ hominum ante diluvium non procedebat secundùm ordinem naturalium] causarum conservationis & prolongationis vitæ humanæ & augmentationis & magnitudinis corporis humanorum.

Præterea calidum & humidum illud, per quod stat vita, & per consequens prolongatio vitæ, convenit esse connaturale & contemperatum complexioni humani corporis, & proportioni virtutum activarum & passivarum salvanti & conservanti ipsam complexionem. Sed

B. caliditas & humiditas plantarum & fructuum, quandò est infra sensum, non delectat naturam, nec nutrit substantiam corporis: quia est tanquam humidum insipidum, quod nec delectat nec nutrit. Quando autem est cum sensu, tunc modicum nutrit: quia tetestritas vincit in plantis, quæ non est apta digestioni, & per consequens nec nutritioni. Quando autem excellit sensum, tunc corrumpit vel lædit complexionem humanam, sicut patet & confectionibus medicorum, qui radices & herbas ad medicinas rectificant & contemperant ipsarum excessus com-

C. plexioni humanæ, & prohibent comedi fructus crudos, nisi non præparentur decoctione, vel assatione, vel commixtione cum aliis cibis conventioribus. Omne autem disconveniens complexioni humanæ vel excedens proportionem mixtorum in ipsa complexione contrariatur conservationi & prolongationi vitæ humanæ. Ergo cibus plantarum & fructuum seu herbarum non prolongat, quantùm est de se, sed magis abbreviat vitam humanam.

Ad hæc humidum nàturale conservans & prolongans vitam est humidum

D. pingue & unctuosum, qualis est humiditas carnium animalium quorundam. Humiditas autem fructuum & herbarum est humidum aquosum facilè dissolubile & putrescibile, cujus frequens usus generat materias febriles, & febres putridas, ùt dicunt auctores medicinæ. Ergo tale humidum magis facit ad abbreviationem quàm ad prolongationem vitæ.

Item proportio calidi & humido vitalis secundùm virtutes suas ad invicem, quæ prolongat & conservat vitam, adtenditur primò & principaliter secundùm

qua-

qualitatem, quam consequitur virtus & operatio, & ex consequenti secundùm quantitatem, quam consequitur extensio ipsius virtutis & operationis, ùt dicit commentator super librum de Causis longitudinis & brevitatis vitæ: propter quod deficiente intensione calidi & humidi naturalis sive vitalis secundùm qualitatem, deficit per consequens extensio ipsius calidi & humidi secundùm quantitatem. Nutrimentum autem ex fructibus & herbis deficit secundùm intensionem calidi & humidi naturalis, sive vitalis convenientis conservationi & prolongationi vitæ: cùm humidum plantarum sit humidum fluxibile & aquosum. Ergo per consequens deficiet secundum extensionem virtutis & operationis vitalis & naturalis: & ita non solùm abbreviat vitam hominis, sed causat insuper diminutionem & parvitatem corporum humanorum: quia intensio secundum quantitatem consequitur intensionem secundum qualitatem ipsius calidi & humidi naturalis.

Ex his ergo rationibus videri posset, quòd prolongatio vitæ hominum ante diluvium, & magnitudo corporum ipsorum non potuerint procedere ad effectum secundum cursum & ordinem causarum naturalium.

CAPUT IV.

Quòd tam festina & magna abbreviatio vitæ humanæ post diluvium non processerit ex causis naturalibus.

Ex consequenti etiam videtur, quòd nec tam velox & festina abbreviatio vitæ hominum post diluvium, & diminutio magnitudinis corporum humanorum causari potuerit secundum ordinem & cursum causarum naturalium.

Ab uniformi enim causa procedit uniformis effectus. Sed secundùm commentatorem super secundum de Generatione & Corruptione circa finem periodi vitæ humanæ causantur à motu solis & aliorum planetarum, (qui) secundum certos annos & infallibiles cursus suos expletos ad sua initia revertuntur, iterum causantes iterum secundùm easdem revolutiones easdem diversitates effectuum in inferioribus, sicut priùs. Dato ergo, quod propter aliquos concursus seu aspectus planetarum ad invicem diversificatos in

A. aliquibus annis conjunctionum & revolutionum suarum periodi vitæ hominum sint abbreviati & magnitudo corporum diminuta ab illa longitudine & magnitudine, quæ fuit ante diluvium: ergo ad minus post revolutionem maximam, quæ est conjunctio Saturni & Jovis, & fit in DCCCCLX. annis in initio Arietis, sicut dicit Ptolomeus Centiloquii verbo quinquagesimo ætates hominum & quantitas corporum humanorum essent ad primævam longitudinem & magnitudinem suam revolutæ. Sed à David, quando vita humana teste Scriptura sacra re- B. dacta est ad maximum sui usque ad LXXX. annos, jam transierunt annorum duo millia CCCLXXXI. per quos decurrentes vita non est hominum reversa ad illam longitudinem, quæ fuit ante diluvium, sed in eodem tenore, sicut erat sub tempore David, permanet adhuc usque. Ergo hujusmodi abbreviatio vitæ humanæ & diminutio corporum humanorum non habuit, neque habet se secundum cursum & ordinem causarum naturalium.

Præterea humana vita & ejus prolongatio vel abbreviatio secundùm Phi- C. losophum in libro de causis longitudinis & brevitatis vitæ stat per calidum & humidum naturale & complexionale, quod sibi præsupponit calidum & humidum elementare tanquam suum principium & originale fundamentum. Quia, ut dicit Philosophus, II. Metaphysicæ, omne calidum est calidum per naturam primi calidi, quod est ignis &c. Similiter omne humidum est humidum per naturam primi humidi, quod est aër: & sic est de frigido & sicco. Cùm ergo ignis sit ita calidus, & aër ita humidus, & aqua ita frigida, & terra ita sicca nunc, D. sicut ante diluvium: quia prima naturalia principia rerum non deficiunt, nec mutantur à sua qualitate & natura, alioquin confunderetur, & destrueretur ordo universi, quod est impossibile. Ergo prolongatio, sicut & abbreviatio vitæ humanæ cucurrisset, & jam curreret secundùm cursum & ordinem naturæ, per consequens manentibus ejusdem virtutibus, & impressionibus principiorum naturalium in effectus rerum nunc sicut tunc, maneret etiam eadem abbreviatio & prolongatio humanæ vitæ nunc

ſicut tunc. Sed videmus nunc contra- A. rium: ergo iſta abbreviatio & prolongatio non habuit ſe ſecundùm curſum & ordinem cauſarum naturalium.

Ad hæc tempus generationis & corruptionis ſunt æqualia, ut dicit Philoſophus II. de Generatione & Corruptione circa finem, ubi dicit Commentator, quòd hoc intelligendum eſt de tempore juventutis & ſenectutis ſecundùm periodum utriusque: quia totum tempus juventutis usq; ad ſuum periodum ut nunc eſt usque ad XXXV. annos, & ſimiliter tempus ſenectutis poſt finitam juventutem eſt ulterius usque ad XXXV. an- B. nos, ita quòd naturalis terminus vitæ humanæ, ut nunc eſt usque ad LXX. annos. In ætatibus ergo vitæ humanæ ante diluvium brevior periodus invenitur fuiſſe communiter circa DCCLXXVII. annos, ut legitur Geneſ. V. de longitudine vitæ Lamech, & multorum aliorum, in quibus per conſequens tempus juventutis usque ad ſuum ſtatum ſive periodum extendebatur usq; ad CCCLXXV. annos, & tempus ſenectutis deinceps ſimiliter ad CCCLXXV. annos, vel modico plus. In motibus verò vel mutationibus naturalibus, ubi tempus generatio- C. nis & corruptionis ſunt æqualia, quantitas augmenti & diminutionis proportionatur quantitati temporis, & econverſo quantitas temporis quantitati augmenti & diminutionis, ita quod ſi aliquid naturaliter augmentatur in tanto tempore, tantum tunc in duplo temporis augmentatur etiam in duplum & econtra duplum augmenti requirit duplum temporis. Ab initio verò mundi usq; ad diluvium computantur ſecundum Hieronymum & Iſidorum duo millia CCXLIV. anni. Si ergo breviſſimus terminus vitæ humanæ fuit tunc in illa ætate mundi ad CCL. annos: D. ergo poſt diluvium, cum incepit ætas vitæ humanæ decreſcere & diminui, per conſequens circa medietatem prædicti temporis cœpit diminui ad medietatem ſui. Medietas verò illius temporis eſt mille centum XVII. Ergo poſt diluvium circa annos mille centum XXII. tranſactos, ætas vitæ humanæ debuit adhuc extendi communiter ad CCCLXXV. annos, quæ eſt medietas DCCL. annorum. A diluvio verò usque ad Abraham fluxerunt anni DCCCCXL. ſecundùm prædictos auctores. Quibus ſi addantur anni CCXVIII. iſta erit medietas duorum millium & CCXLIV. annotum qui fluxerunt ab initio mundi usq; ad diluvium. Ergo conſequenter ſecundùm prædictam rationem & proportionem poſt nativitatem Abrahæ anno CCXVIII., videlicet tranſactis à diluvio annis mille CLVIII. vita hominum adhuc communiter debuit prolongari ad CCCLXXV. annorum ſpatium. Sed illo tempore & deinceps nullus legitur tantum vitæ ſpatium adtigiſſe, ſed ætates hominum poſtmodum extendebantur ad maximum usq; ad CL. annos & infra. Ergo tam inæqualis & feſtina abbreviatio non eſt facta ſecundùm curſum & ordinem naturalem.

Præterea ſi prædicta abbreviatio vitæ humanæ cauſaretur, ut plures dixetunt, ab ipſo tempore & ſucceſſu temporis idcirco, quòd tempus facit res naturales ſemper plus & plus diſtare à ſuo principio, ut dicitur VI. Phyſicorum. Propter quod & dicit Plinius in Hiſtoria Naturali, quòd quantò plus Mundus ſecundum tempus excurrit, tantò plus fiunt ætates mundi breviores humanæ vitæ vel hominum, & magnitudines corporum. Ergo fluente tempore ſemper plus & plus à præſenti in futurum & per conſequens ſemper diſtante plus & plus à primo inſtanti præterito, unde incepit Mundus, ſemper plus & plus decreſceret humanæ ætatis longitudo & corporum magnitudo. Sed Mundus cum tempore ſecundùm Philoſophiam durabit in futuro in infinitum. Ergo & ætates, & corpora hominum abbreviabuntur & deficient in infinitum, & ſic genus humanum erit redactum in nichilum: hoc autem erit inconveniens ſentire & tenere de homine & vita hominum. Quia ut dicitur Sapientiæ III. *DEus creavit hominem inexterminabilem.* Ergo prædicta abbreviatio & diminutio corporum humanorum & ætatum ipſorum nequaquam cauſatur à tempore & ſucceſſu temporis.

CAPUT V.

Utrum præter cauſas naturales ex ſolo divino judicio proceſſerit illa prolongatio & abbreviatio vitæ humanæ.

EX prædictis videri poſſet itaque, quòd, cùm non inveniatur ſecundum prædictas

dictas rationes aliqua certa & fixa cauſa naturalis regulans prædictam prolongationem & abbreviationem vitæ hominum ſecundùm aliquem certum & fixum ordinem curſus rerum: quòd hujusmodi prolongatio vitæ hominum ante diluvium & ejus tam inordinata & incerta ſecundùm naturæ curſum obſervatio poſt diluvium ſit attribuenda ſoli Divinæ voluntati & ipſius judicio & beneplacito ſecundùm illud Eccli. XVIII. *numerus dierum vitæ hominum ut multum centum anni ſunt &c.* Et infra ibidem quaſi reddens cauſam ipſius abbreviationis ſubjungit dicens: *vidit enim DEus præſumptionem cordis illorum quia mala eſt.* Hoc item videntur innuere verba Domini Gen. VI. *Non enim permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt &c.* Ad idem videtur concordare quod dicitur II. Pet. II. *quod DEus originali mundo non pepercit inducens diluvium mundo impiorum &c.* Ex quo videtur, quod ſicut diluvium eſt inductum divino judicio tempori & ætati illorum hominum in pœnam peccatorum, videlicet ex confluxu aquarum ſuperiorum & inferiorum, ſicut dicitur Gen. VII. quòd *aperti ſunt fontes aquarum abyſſi magna à deorſum, & pluit Dominus inſuper de cælo quadraginta diebus & noctibus &c.* quod eodem modo abbreviatio vitæ humanæ inducta ſit in pœnam peccatorum & coërcitionem ipſorum, ne homines tantò plus peccarent, quantò longiori tempore viverent.

Præterea ſicut ſe habet pars ad partem: ita totum ad totum. Ergo ſicut particulares homines habent ſe ad ſua particularia peccata & pœnas ipſorum peccatorum: ita & totalitas ſive univerſalitas humani generis in univerſalitate & totalitate temporis & ætatis mundi habet ſe ad univerſalia & communia peccata uniuscujusque temporis & ætatis, & pœnas ipſorum. Sed particulares homines aliqui propter particularia quædam peccata puniuntur & puniti ſunt præſentis vitæ abbreviatione, juxta illud Pſal. *viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos &c.* Et 1. Cor. 13. dicitur de indignè ſumentibus corpus Domini: *Ideo inter vos multi imbecilles & dormiunt multi &c.* Et de Abſolone eſt exemplum, quod propter inhonorationem, qua inhonoravit patrem ſuum regnum patris ante tempus fraudulenter præripiendo, & ad concubinas patris ſui publicè accedendo, dies vitæ & regni ſibi abbreviati ſunt, ùt legitur II. Reg XVIII. Cujus ratio videtur eſſe, quia peccavit contra illud præceptum Decalogi, cui vitæ longævitas ſpecialiter promiſſa eſt in præmium Exod. XX. *honora patrem & matrem, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus DEus tuus daturus eſt tibi &c.* Ergo & univerſitas humani generis propter peccata aliqua magis ab univerſitate hominum uſitata in aliquo certo articulo univerſitatis temporum & ætatum mundi punita eſt inflictione aliquarum univerſalium pœnarum: ſicut dicunt Sancti communiter, quòd, ſicut in hominibus originalis mundi, ſcilicet ante diluvium, peccatum luxuriæ, quo tunc hominum univerſitas laborabat, communiter ùt ſcribit Methodius punitum eſt per diluvium & per aquam ad extinguendam luxuriam: ita in hominibus finalis conſummationis mundi vitium avaritiæ, quo tunc homines communiter & acrius laborabunt, punientur per ignis incendium ad conſumendam avaritiam. Ita & humanum genus ante diluvium erectum per ſuperbiam in peccandi licentiam propter vitæ longævitatem & corporum & animorum immanitatem, quod ſcriptura exprimit Gen. VI. dicens: quod *gigantes erant ſuper terram in diebus illis &c.* punitum eſt per vitæ humanæ abbreviationem & corporum debilitatem & diminutionem poſt diluvium: & per conſequens illa abbreviatio & diminutio corporum & ætatum humanorum videtur rectè & rationabiliter attribuenda eſſe potius divino judicio & beneplacito, quàm alicui neceſſitati naturalis curſus rerum.

CAPUT VI.

Argumenta in contrarium, quòd illa prolongatio & abbreviatio proceſſerit ſecundùm cauſas naturales.

SEd contra eſt, quod dicit Auguſtinus, quod *DEus ſic adminiſtrat res, quas condidit, ut non infringat leges, quas indidit &c.* Cùm ergo DEUS ſic adminiſtraverit curſum ætatis vitæ hominum ante diluvium & poſt diluvium, videlicet

cet tunc ad tantum annorum numerum extendendo & deinceps ad pauciorem restringendo, videtur, quod hoc non sit factum præter naturalem cursum & ordinem, quam rebus originaliter indidit.

Præterea quæ semper & similiter vel etiam frequentius similiter eveniunt, talia cursu & ordine naturali fiunt. Sed prædicta prolongatio vitæ humanæ ante diluvium pro articulo & ætate illius temporis plus quàm per duo millia annorum similiter se habuit & frequenter, & ejus abbreviatio postmodum maximè à tempore Abrahæ per tria millia annorum & amplius adhuc usque similiter & frequenter se habuit sicut patet. Ergo nec illa prolongatio, nec ista abbreviatio facta est præter cursum naturalem & ordinem rebus naturaliter inditum.

Ad hæc sicut particularia accidentia habent se ad particularia tempora, in quibus eveniunt: ita & totaliter variatio accidentium universitatis rerum habet se ad totalitatem temporum & ætatum mundi. Sed particularia accidentia (in) variatione rerum secundum ipsa eveniunt per causas naturales: sicut variatio diei & noctis, hyemis & ætatis, tempestatis & tranquillitatis per vicissitudines temporum, quas consequitur variatio circa passiones & accidentia corporum naturalium. Ergo & totalis variatio in totalitate temporis & ætatum mundi circa longitudinem & brevitatem vitæ, & fortitudinem & magnitudinem corporum secundum distinctos articulos temporum & ætatum fit per causas, & secundum causas naturales.

Amplius secundùm Philosophum II. Physicorum causæ efficientes in genere non sunt nisi tres, videlicet natura, casus, & propositum, quibus Theologia adjungit quartam causam, videlicet divinæ voluntatis beneplacitum præter naturam & ordinem naturalem rebus inditum, ad quam reducuntur illa, quæ divinitus fiunt per miraculum. Sed prædicta prolongatio & abbreviatio vitæ humanæ non potest reduci ad casum, vel ad propositum, sicut patet. Quia à casu facta raro fiunt, & sine ordine nobis noto. A proposito verò facta dependent à voluntate hominum, & possunt fieri sic & aliter. Quia potestates rationales sunt ad opposita. Illa

A. vero prolongatio & abbreviatio vitæ humanæ sub prædictis distinctis articulis temporum & ætatum mundi non est facta raro, nec sine ordine certo; sed prolongatio duravit ante diluvium per duo millia annorum & CCXLIV. annos, & post diluvium à tempore Abrahæ citra usque adhuc duravit ejus abbreviatio per tria millia annorum & amplius. Ergo ejus causa nequaquam potest attribui casui. Similiter nec à proposito potest fieri vel facta esse. Quia nec in voluntate, nec in potestate hominum & longitudo vel brevitas vitæ ipsorum communiter, licèt singuli

B. possint se regere tali modo vivendi, quòd naturalem terminum vitæ secundùm statum complexionis suæ possent attingere.

Videtur etiam quòd non possit attribui miraculo. Quia quæ per miraculum fiunt, non frequenter neque sæpe sed raro fiunt & præter facultatem naturæ & super spem admirantis. Illa verò prolongatio vitæ humanæ neque ista abbreviatio facta est & fit infra prædictos articulos suorum temporum & ætatum mundi raro vel semel, sed semper & continuè, licèt præter facultatem naturæ vel spem admiran-

C. tis. Ergo nequaquam potest attribui miraculo. Relinquitur ergò, quòd facta sit necessitate causarum naturalium.

CAPUT VII.

De diversitate & differentia naturalium causarum longitudinis & brevitatis vitæ.

AD discutiendum itaque meliùs prædictam quæstionem & ad veniendum in ipsa ad aliquam viam & vestigium veritatis, prænotandum est, quòd secundùm

D. Philosophum & Commentatorem in libro de longitudine & brevitate vitæ causarum longitudinis & brevitatis vitæ quædam sunt intrinsecæ, quædam verò extrinsecæ: item quædam sunt causa ipsorum primò & per se: quædam verò ex consequenti & per accidens. Quia licèt ex proprietate suæ naturæ & qualitatis sanguinem habentia sint longioris vitæ sanguinem non habentibus, & aërea terrestribus, & inter terrestria gressibilia non gressibilibus, & terrestria aquatilibus, & magna parvis: con-

contigit tamen ex conſequenti & per accidens quædam non habentia ſanguinem eſſe longioris vitæ ſanguinem habentibus, & marina terreſtribus & non greſſibilia greſſibilibus, & parva magnis, & animalia & plantas quaſdam animalibus. Propter quod dicit Philoſophus in prædicto libello de cauſis longitudinis & brevitatis vitæ, quòd iſtam doctrinam contingat habere ad invicem genera ad genera, & ſpecies ad ſpecies, & individua ad individua &c. & hoc contingit ſecundum quod unumquodq; genus viventium, vel ſpecies, vel individuum ad participandum & ſapiendum naturam & qualitatem principiorum generationis vitæ magis appropinquat, vel magis elongatur ab ipſa.

A.

B.

CAPUT VIII

Quod longitudo vitæ cauſatur naturaliter à calido & humido, & brevitas à contrariis iſtorum.

Circa cauſas itaque longitudinis & brevitatis vitæ generaliter ſciendum eſt, quòd, cùm, ſicut dicit Philoſophus in libro Problematum parte X. titulo de problematibus, naturalibus eadem ſit cauſa generationis & conſervationis vitæ & viventium: cauſæ autem generationis, prout generatio dependet ab actione & effectu virtutum ſeu qualitatum activarum & paſſivarum, ſunt iſtæ duæ calidum & humidum, quæ conveniunt magis actui generationis naturalis: quia ſecundùm Philoſophum ibidem calidum eſt, quod expellit, humidum autem ſpermatis eſt, quod deſcinditur & expellitur in actu generationis, & calidum quidem eſt quod format & organizat activè, humidum autem eſt, quod formatur & organizatur paſſivè: propter hoc ſicut generatio viventium fit per calidum & humidum: ita conſervatio vitæ, & per conſequens ipſius prolongatio fit per calidum & humidum primò & per ſe: & per oppoſitum abbreviatio vitæ fit & corruptio per infrigidationem calidi & exſiccationem humidi naturalis ſecundùm Philoſophum in libro de cauſis longitudinis & brevitatis vitæ.

C.

D.

CAPUT IX.

Quale ſit illud calidum & humidum, per quod ſtat & durat vita humana.

Quale autem proveniat eſſe illud calidum & humidum, ſciendum eſt, quòd oportet illud calidum eſſe ſuo humido connaturale & contemperatum & incorporatum, tanquam ſuo connaturali fomento, ita quòd non ſeparetur ab ipſo, neque deficcet, ſed moveat tantum ipſum ſuum humidum: & ut ſit calidum mulcens, non torrens vel comburens, qualè eſt maximè calidum ſanguineum. Humidum verò illud convenit eſſe fixum & permanſivum, non facile fluxibile ſed exſiccabile, quale eſt humidum aëreum, quod eſt pingue humidum & unctuoſum non facilè putreſcibile. Quia ſicut ignis non putreſcit ſimpliciter: ita & aër eò quòd eſt vicinior igni aliis elementis locô & naturâ, non facilè putreſcit. Tale autem humidum eſt ſanguineum. Unde ſanguinem habentia ſunt longioris vitæ non habentibus, niſi non habentia ſint magna ùt cete balenæque. Quia magnitudo corporis in pluribus trahit ſecum magnitudinem virtutis etiam in non habentibus ſanguinem.

Conveniens eſt etiam modus generationi & conſervationi vitæ & viventium, ſi illud humidum fuerit multum & magnum. Quia ſic neque facilè defluit & reſolvitur, neque etiam facilè deſiccatur. Propter quod in plantis & animalibus ùt plurimùm majora parvis ſunt vitæ longioris. Sufficit quoque, ut, ſi non eſt humidum pingue ſicut in animalibus imperfectis & in quibuſdam plantis, quòd ſit tamen humidum dulce: propter quod etiam apes & quædam plantæ non habentes humidum pingue, ſed tamen dulce, nihilominus ſunt longioris vitæ. Quia tale humidum, cùm ſit multum & magnum, non eſt facilè fluxibile, neque citò deſiccabile.

CAPUT X.

De proportione illius calidi & humidi ad invicem ſecundùm ſuam qualitatem & quantitatem.

Secundùm commentatorem verò II. de Generatione & corruptione ultimum, quod eſt quaſi complementum ad aptitudinem

dinem vitæ simpliciter & ad effectum vitæ longioris, est proportio calidi & humidi naturalis ad invicem secundum rationem virtutis activæ & passivæ: quæ proportio calidi & humidi est secundùm intensionem & remissionem actionis & passionis ipsorum in alterutrum. Quia quando virtutes activæ dominantur super passivas in tantùm, quòd ipsas obtinent, & fixas faciunt: & passivæ non resistunt, sed obediunt activis in tantùm, quòd perfectam digestionem & sui contemperationem, & commixtionem, & complexionem cum activis acquirunt, tunc magis faciunt ad vitam & longitudinem vitæ. Et quia hæc proportio major & per consequens efficacior est ad vitam & vitæ conservationem in multo & magno, quàm in pauco & parvo, propter hoc ùt plurimum majora plantarum & animalium vivunt longiore tempore parvis. Sed quia ipsa proportio à qualitate habet intensionem & remissionem mutuæ actionis & passionis calidi & humidi illius ad invicem: à quantitate verò habet extensionem & magnitudinem & multitudinem: propter hoc etiam quædam parva vivunt longiùs magnis in plantis & animalibus ratione intensionis calidi radicalis suo humido benè proportionati, licèt sub quantitate minori. Quia ad hoc in parvis intensio qualitatis: in magnis vero extensio quantitatis operatur. Universaliter tamen proportio naturalis inter virtutes activas & passivas in magnis est permanentior & durat tempore longiori. Quia non destruitur nisi à magna transmutatione, vel ex longo tempore: quia tempus facit res naturales deficere, eo quod ipsas elongat à suo principio originali, nisi sint res naturales tales, quæ secundùm circulum revertuntur eodem numero |vel specie ut revolutio corporum superiorum, & elementorum generatio & corruptio ad invicem. Et istæ sunt intrinsecæ & conjunctæ causæ longitudinis brevitatis vitæ in viventibus.

CAPUT XI.

De extrinsecis causis longitudinis & brevitatis vitæ.

Causæ vero extrinsecæ longitudinis vel brevitatis vitæ sunt loca, & tempora, & cibus, & potus, & vigilia, & somnus, A. motus & quies, exercitium & otium, & animæ passiones, ùt spes & gaudium, timor & dolor, studium & solicitudo, parvipensio & remissio & hujusmodi, & universaliter omnia calefacientia & infrigidantia & desiccantia ab extrinseco, in quantum eorum comparatio & proportio habet se similiter & dissimiliter ad complexionem & proportionem calidi & humidi vitalis in viventibus ad causandū longitudinem vel brevitatem vitæ ipsorum. Unde sicut complexio calida & humida est causa longitudinis vitæ: ita econtra frigida & sicca complexio est moribunda & de- B. structiva vitæ. Et eodem modo se habent loca in hoc & tempora, calida & humida & frigida & sicca, & fortius in quantùm habent etiam ipsas naturales complexiones & consistentias viventium permutare. Propter quod serpentes, licèt sint frigidi & humidi secundum suam naturam, tamen in regionibus calidis sunt corpore majores & vitæ longioris sicut in Libya & Æthiopia. In Britannia verò & in Scythia vel nulli sunt serpentes, vel parvi, & non longæ vitæ. Quia cùm sint frigidæ complexionis, extrinseca frigiditas loci vel temporis de- C. struit & corrumpit vitalem proportionem contemperantiæ virtutum activarum & passivarum in ipsis, quod non contingeret in regionibus & locis calidis. Unde quia mare generaliter & maximè mare rubrum calidius est aliis aquis: & quia salsedo ipsius consumit humidum aquosum in eis, quæ sunt & vivunt in ipsis: ideo ostrea & testudines & alii quidam pisces in talibus aquis sunt longioris vitæ & majores. Generaliter quoque habitantia in locis aquosis & paludosis sunt minora in suo genere & brevioris vitæ: quia dominatur in eis humidum D. aquosum fluxibile & non fixum, & sunt minoris caliditatis naturalis: unde ut maximè habent pelles & pilos albos & oculos glaucos, ut patet in hominibus & animalibus quibusdam Septentrionalibus. Et hæc ita se habent, quantum ad operationes causarum extrinsecarum primo & per se.

CAPUT XII.

De iis quæ causant longitudinem vel brevitatem vitæ.

Per accidens vero multotiens & in aliquibus

quibus contingit longitudinem & brevitatem vitæ, & magnitudines & parvitates corporum, ac etiam ſanitates & ægritudines ipſorum modo contrario prædictis ſe habere. Contingit etiam in locis frigidioribus & temporibus homines calore magis intrinſecus abundare, ùt in hyeme & in regionibus Septentrionalibus, & in locis & temporibus calidioribus eſſe frigidiores ab interioribus, ùt in æſtate in regionibus Meridionalibus. Cujus cauſa eſt in locis & temporibus frigidis concluſio pororum & retentio, ac coadunatio intrinſeci caloris, & in locis & temporibus calidis apertio pororum & exhalatio intrinſeca caloris, & exſiccatio humiditatis. Et eodem modo contingit in locis & temporibus ſiccis viventia melius conſervari. Quia complexio ſicca non eſt apta pati de facili, & magis reſiſtens diſſolutioni & putrefactioni, & in locis & temporibus humidis totum modo contrario ſe habere.

CAPUT XIII.

De diſtinctione periodorum longitudinis vel brevitatis vitæ.

Circa periodos verò & diſtinctiones articulorum longitudinis & brevitatis vitæ & viventium ſecundùm ætatem & tempus unicuique determinatum notandum eſt, quod generaliter perfectiora viventium longiori tempore perficiuntur à principio generationis & vitæ. Unde in plantis Palma multo tempore perficitur, ita quòd in centeſimo anno facit primam fructum: & Elephas quinquageſimo anno facit primum fœtum: & homo majori tempore perficitur in utero, & extra uterum propter multitudinem perfectionum ſuarum in diverſis organis & membris humani corporis. Unde perfectiorum animalium & hominum periodi generationis & complementi ac vitæ ſunt longiores.

Dupliciter autem intelligitur perfectio, ſcilicet ſecundùm corpus & ſecundùm virtutes corporis. Unde etiam generaliter corpora maſculorum, quia majora ſunt & perfectiora ſecundùm virtutes corporibus fæminarum, exceptis avibus rapacibus, per conſequens ſtant longiori tempore, in utero matris: quia longiora & majora tardiùs apta nata ſunt perfici propter prædictam cauſam, & per conſequens periodi vitæ ipſorum ſunt longiores.

CAPUT XIV.

Quod nec ars, nec natura æqualiter operoſa eſt ad perficiendum ſingula opera ſua.

Notandum quoque ſecundùm Philoſophum in Problematibus in prædicta parte & titulo: ſicut ars, ita & natura in ſuis operibus plura facit imperfecta quàm perfecta. Quia natura ſicut & ars non circa omnia ſimiliter, ſed circa ultima & optima eſt magis operoſa ad perficiendum. Unde & homines parvi & nani fiunt ex defectu naturæ propter unam trium cauſarum, & propter aliquas ipſarum, videlicet vel propter anguſtiam mentis: quia locus eſt de ſubſtantia generationis viventium, quia maximè inducit formam & figuram generatis. Vel propter defectum nutrimenti: vel propter defectum virtutis generativæ & nutritivæ, qualiter exemplificat Philoſophus ibidem in catulis nobilium mulierum, quibus circumligantur panni, & corrigiaminibus involvuntur & colligantur & cibus eis ſubtrahitur, ut parvi remaneant non creſcendo plus. Quòd cùm ego exiſtens in ſtudio examinarem in uno catulo, mox quia virtus fortis erat in eo, licèt eſſet circumligatus corrigiamine & utens modico cibo valde, cùm non potuit creſcere in latitudinem & groſſitudinem, crevit in longitudinem ultra modum, ita quòd habuit longius corpus corpore vulpis & crura multùm breviora, & roſtrum longum ſicut roſtrum porci, ita quòd fuit Parmæ in munere loco unius monſtri cuidam Epiſcopo præſentatus.

Quæcunque igitur ſunt perfectiones in corpore humano, ſunt ſigna longæ vitæ & bonæ fortunæ. Propter quod digiti in manibus benè diſtincti & articulati cum longitudine æquali, & longi tractus intus in palmis manuum ſunt ſigna longæ vitæ, & ſecundum obſervationes artis Chiromantiæ ſigna bonæ fortunæ. Similiter quibus ea, quæ ſunt ab umbilico deorſum, ſunt longiora, non ſunt longæ vitæ: quia venter

ter inferior in longum extenſus male digerit, & ſic non bene nutrit.

CAPUT XV.

De cauſis ſimilitudinis & diſſimilitudinis generationis & generatorum.

PRædictæ quoque diverſitates cauſarum inducunt ſimilitudines & diſſimilitudines generantium & generatorum ad invicem: quia aliorum animalium nati ſunt magis ſimiles parentibus ipſorum: hominum verò nati ut in pluribus magis diſſimiles ſunt parentibus. Cujus cauſa eſt ſecundùm Ariſtotelem in Problematibus: quia alia animalia diſponuntur ad coitum non ſolùm ſecundùm naturam corporis, ſed etiam ſecundùm naturam animæ, quantùm ad phanthaſiam & imaginationem in homine intellectui conjunctam. Propter quod videmus ſæpe ex parentibus pulchris & magnis generari filios deformes & parvos propter aliquas imaginationes ſimilium in hora corporum coitus. Licèt itaque de longitudine & brevitate vitæ humanæ, & de magnitudine & brevitate, & ſimilitudine & diſſimilitudine corporum humanorum ad invicem ſecundùm diverſitatem corporum & locorum & de cauſis horum omnium plura dici poſſent, tamen ad ſumenda media & rationes aliquas ad præſens propoſitum ex prædictis, ſufficiant, quæ dicta ſunt iſta vice.

CAPUT XVI.

De quatuor ſuppoſitionibus neceſſariis ad determinationem totius hujus quæſtionis.

HIs ergo præhabitis ſupponenda ſunt quatuor, quæ ex Philoſophia naturali ſunt manifeſta. Primò: quantò quæque res naturales viciniores ſunt principiis ſuæ generationis ſecundùm locum & tempus & qualitates ſuas, tantò fortiores ſunt virtutes earum: & quanto plus remotæ ab ipſis, tantò plus debilitantur. Secundò: quòd, cum dicit Philoſophus II. de Anima in Cap. de operationibus & virtutibus animæ vegetativæ, Natura conſtantium omnium ſit terminus & ratio magnitudinis & augmenti, & in uno quoque propter hoc unaquæque res naturalis habet maximum & minimum ſuum ſecundùm ſpeciem, ultra vel citra quod nec in majori nec in minori conſiſtere poteſt & ſalvari. Tertiò: quòd naturales periodi vitæ viventium diſtinguuntur & terminantur tribus articulis temporis vitæ uniuscujusque viventis, ſcilicet principio generationis, & augmentationis, & ſtatu perfectionis, & fine declinationis ad corruptionem uniuscujusque. Quartò: quòd res naturales corrumpuntur à contrario interiori & exteriori continenti: ad quod etiam operatur motus & mutatio ipſorum à ſuperioribus.

CAPUT XVII.

Reſponſio ad principalem quæſtionem.

IStis igitur præſuppoſitis non irrationabiliter dici poteſt, quòd tanta prolongatio vitæ humanæ ante diluvium, & tanta abbreviatio poſtmodum, & in tanto tempore, ſicut legitur facta fuiſſe, & ſtatus abbreviationis in quo à tempore David permanet adhuc usque, proceſſit & procedit curſu & ordine naturali. Quod primò in particularibus & ætatibus vitæ hominum ſingulorum eſt oſtendendum, ut per conſequens de tota ætate vitæ humanæ univerſaliter in tota ætate & tempore mundi ſimul ratio perpendatur.

Ad cujus declarationem ſciendum & notandum eſt, quòd cùm, ſicut præhabitum eſt ex verbis Philoſophi libro Problematum parte X. eædem ſint cauſæ conſervationis & generationis vitæ ipſorū viventium: ergo cauſæ oppoſitæ cauſis generationis & conſervationis erunt cauſæ abbreviationis & corruptionis vitæ & viventium. Cauſæ verò generationis & conſervationis vitæ, ùt præhabitum eſt, ſunt calidum & humidum tale, in quo poteſt vita fundari & radicari. Ergò cauſæ debilitantes & deſtruentes illud calidum & humidum erunt cauſæ abbreviationis & corruptionis & vitæ & viventium. Cauſæ verò debilitantes & corrumpentes illud calidum & humidum in genere ſunt duæ. Prima eſt elongatio rei à principiis generationis, quæ elongatio fit per receſſum & diſtantiam ſecundùm tempus ab ipſis. Secunda eſt dominium & victoria contrarii interioris & exterioris ſuper calidum & humidum vitale.

Ex

Ex prima causa procedit naturalis defectio secundùm decursum temporis usque ad corruptionem & mortem naturalem. Ex secunda procedit accidentalis corruruptio & mors ex quacunque superfluitate vel defectione, suffocato vel extincto calido, & consumpto humido vitali in quocunq; tempore ætatis.

CAPUT XVIII

De causa abbreviationis vitæ per elongationem à primis principiis generationis.

Circa primam causam, quæ est elongatio à principiis generationis per recessum & distantiam secundùm tempus ab ipsis, quæ est causa debilitationis & destructionis virtutis naturalis, sciendum, quòd omnis debilitatio vel destructio, est quædam mutatio: omnis autem mutatio ex se, id est, in quantum mutatio, est destructiva alicujus: quia facit rem mutatam illud, quod prius fuit, nunc non esse: & si est effectiva alicujus, vel meliorativa rei mutatæ, hoc non facit, in quantum mutatio, sed ratione terminorum, à quo, & in quem fit mutatio: ùt si fiat mutatio ab ægritudine ad sanitem. Cùm ergo tempus, in quantum tempus, sit mora mutationis in quantum mutatio simpliciter, proinde tempus secundùm Philosophum VII. Physicorum, est magis causa corruptionis quàm generationis; quia facit rem non esse quod erat.

Ratio autem hujus est. Quia mutatio est passio quædam, quæ non fit nisi per hoc, quòd mutatum non potest resistere mutanti tanquam debilius fortiori. Mutans ergo aut est tale, quod de se, & ex sua natura solùm abjicit aliquid mutato, & nihil reponit? Tale mutans est magis corruptivum, quàm conservativum rei in quantum tale: quale mutans est tempus, in quantum tempus: qua facit rem temporalem solummodo secum fluere, & non esse, quod fuit, & distare ab eo, à quo primo esse cœpit, & sic ipsum tempus, in quantum tempus, res temporales taliter afficit, unde res temporales non solùm mutantur in tempore sive secundum tempus & etiam ipsum tempus sic eas mutat, & sic mutando afficit. Aut est tale mutans, quod de se non solum aliquid abjicit mutato vel aliquid A addit, vel potiùs reddit, aut reponit mutato, per quod res aliquid aliud vel aliquid melius esse incipit? Et talis mutatio mutatum non destruit, sed semper subjectum relinquit: ùt est mutatio alterationis & augmentationis.

Distantia igitur & recessus propter tempus à principio generationis inducit ex se debilitationem & destructionem virtutis naturalis contractæ à generantibus ex eo, quòd ipsa Physica principia intrinseca cùm sint contraria, & invicem tandẽ corruptiva etiam sine operante causa extrinseca. Et hæc est causa, quare B res temporales, scilicet quæ decurrunt sub tempore, deficiunt tandem sub tempore juxta illud ad Hebr. IV. *quod antiquatur, & senescit, propè interitum est &c.*

CAPUT XIX.

De causa abbreviationis vitæ per victoriam contrarii corrumpentis.

Circa secundam verò causam videlicet victoriam contrarii corrumpentis, sciendum, quòd contrarium corrumpens est duplex, scilicet conjunctum sive intrinsecum, & separatum sive extrinsecum, C quod est exterius continens, ùt aër & aqua. Cùm enim quatuor qualitatum naturalium, quibus elementa determinantur, duæ sint activæ scilicet calidum & frigidum: duæ verò passivæ, scilicet humidum & siccum, quarum illa, quæ est siccitas, est purè passiva: humiditas verò est aliquomodo etiam activa: Quia humidum humectat. Sed siccum, in quantum siccum, non desiccat: & propter hoc ignis est maximè activus & minimè passivus. Unde dicitur, quòd ignis est indignantis naturæ: quia à suo contrario D quidem corrumpi potest, alterari verò minime. Terra vero est maximè passiva, quia maximè recipit & maximè retinet impressiones receptas à superioribus elementis: & est etiam activa, in quantum non purè simplex, in quantum aqua & vaporibus permixta & aliorum elementorum maximè composita quasi aliorum permixtiones magis recipiens & magis retinens. Aer vero & aqua tanquam medio modo se habent. Quia aër quidem patitur ab igne, quia calefit & deficcatur ab igni superiori: sed respectu aquæ patitur & agit, quia aquam calefacit

cit & deſiccat: & econtrario ab aqua infrigidatur & humectatur.

Similiter aqua reſpectu terræ agit & patitur, quia terram mollit & humectat & partes ejus coadjuvat & conſolidat, quando proportionaliter agit in ſiccum terræ. Quando autem improportionaliter: tunc partes terræ diluit & diſſolvit ab invicem, & ipſa aqua econtrario à terra patitur, quia exhalationibus & vaporibus ipſius maximè inficitur, ſicut patet in aquis calidis ſulphureis & aluminoſis: propter quod aquæ & fontes omnibus aliis elementis magis diverſificantur in mirabilibus effectibus ſuis. Similiter & aër exhalationibus & vaporibus terræ & aquæ inficitur & à ſua natura alteratur. De neceſſitate igitur aër & aqua ùt exteriora continentia magis inficiunt & alterant ſua contenta, ùt plantas & animalia & homines,& quaſcunque alias res in ipſis contentas. Et aër quidem continuè: quia ſemper neceſſe eſt aërem inſpirari & exſpirari. Aqua verò fortiùs inficit & alterat animalia & homines: quia incorporatur eis per uſum cibi & potûs, ùt dicit Avicenna.

Contrarium itaque conjunctum, ſive intrinſecum, poſt moram temporis virtutibus naturalibus per receſſum à principio generationis debilitatis corrumpit ſuum contrarium, & corrumpitur ab ipſo, ſicut prædictum eſt. Contrarium verò ſeparatum ſive extrinſecum, ùt eſt aër & aqua, aliquando agit conſimiliter & proportionaliter contrario conjuncto: & tunc non deſtruit ſed conſervat, ſive per ſe hoc faciat, ſive per accidens: ſicut frigus hiemis, quando non eſt improportionale conſervat & confortat calorem naturalem per accidens, ſcilicet claudendo poros, ne eventetur calor naturalis, ſed intrinſecùs coadunetur. Aliquando verò corrumpit ſuum contrarium intrinſecum, ſcilicet, quando diſſimiliter & improportionaliter agit in ipſum, ſicut excellens frigus calorem naturalem mortificans, & excedens calor temperantiam corrumpens. Intelligitur autem contrarium non ſolùm ſecundùm qualitatem, ſed etiam ſecundùm quantitatem diviſam, & eandem qualitatem. Sic ignis major corrumpit minorem ratione victoriæ in quantitate, videlicet, ſubitò vel velociter deſtruendo ſive corrumpendo materiam minoris. Prædictâ autem ratio apparet in plantis manifeſtè, quæ, cùm transferuntur ad locum, ubi contrarium continens agit proportionaliter contrario conjuncto & intrinſeco, tunc proficiunt. Si autem transplantantur ad locum, ubi improportionaliter agit, tunc deficiunt, & non faciunt fructum.

CAPUT XX.

Quod propter vicinitatem ſecundùm tempus ad prima principia ſuæ generationis homines ante diluvium tam diu vixerint.

QUantum ad primam itaque prædictarum quatuor ſuppoſitionum, videtur, quòd quantò plus elongantur res naturales à principiis ſuæ generationis primæ, tantò plus debilitantur virtutes earum: & quantò ſunt viciniores, tantò fortiores & perfectiores ſunt ipſæ virtutes. Non irrationabiliter dici poteſt in præſenti quæſtione, quod, cùm ab Adam primo homine, & ab Eva coadjutrice ſua fuit primum principium generationis humanæ, in quo quidem primo homine humana natura tota ſimul & perfecta, quantùm ad ultimum perfectionis ſuæ, fuit condita: quantò conſequenter humana generatio & humanum genus viciniora fuerunt tempori Adæ primi hominis, tantò perfectiores & fortiores fuerunt virtutes naturales in humanis corporibus: & per conſequens magis longævi fuerunt homines, & majora & fortiora corpora habentes: & quantum plus ſecundùm decurſum temporis & ſecundùm certum periodum, ut puta duorum millia annorum, fuit humanum genus diſtans & recedens ab Adam primo homine, tanquam à primo principio generationis humanæ, tanto ætates hominum communiter fere ſunt breviores & corpora debiliora & minora.

Sciendum enim, quòd, licèt aliqui dixerunt mundum eſſe æternum, & per conſequens ſecundùm Philoſophiam ipſorum nequaquam poſſe perveniri ad primum hominem, & ad primum animal, & ad primum in unoquoque genere ſimpliciter: quia tamen, ut dicit Auguſtino VIII. libro ſuper Geneſim ad literam, ſemina primùm producta ſunt ex herbis, non herbæ ex ſeminibus. Imo & Philoſo-

loſophus XI. Metaphyſicorum oſtendit, quod neceſſe eſt facta eſſe primò omnia ex perfectis, & non ex imperfectis. Unde neceſſe eſt, ſemen primo eſſe factum ex homine, non hominem ex ſemine: propter quod & ſecundùm Philoſophiam neceſſe eſt ponere primum hominem non eſſe factum ex ſemine, ſicut nunc facit natùra, quæ tanquam ſupponens materiam & potentiam materiæ educit hominem non aliter quàm de humano ſemine, videlicet de imperfecto faciens quid perfectum, quod tamen non facit niſi regulata & adjuta à ſuperiori virtute.

Verum eſt igitur & conſtans, quod in primo homine, qui non fuit factus de ſemine, fuit humana natura tota & perfecta in fine perfectionis ſuæ in ipſo tanquam in primo & perfecto principio ſuo condita à conditore tali, qui circa opus conditionis non potuit deficere nec errare. Unde rectè creditur, Adam primum hominem in omni conditione perfectionis humanæ, quantum ad corpus & animam perfectiſſimum conditum fuiſſe, à qua perfectione neceſſe fuit poſteritatem ſuam per decurſum temporis ſecundum aliquam certam periodum, ut puta per duo millia annorum, ut infra habetur, paulatim deficere & declinare. Quia ut prædictum eſt, ſicut particulariter neceſſe eſt in ſingulis hominibus naturales virtutes deficere ex tempore propter hoc, quòd naturalia principia compoſitionis humani corporis tanquam contraria in ſe agunt usque ad dominium & victoriam unius ſuper alterum etiam non cooperante cauſa extrinſeca, propter quod tandem conſequitur mors & corruptio: Ita & univerſaliter neceſſe eſt hæc conſequi in toto genere humano ſub totalitate temporis & ætatis mundi, usque dum longævitas hominum redacta ſit ad ultimum ſpatium vitæ humanæ ſecundùm ſuam ſpeciem & naturalem periodum, qui, ut nunc eſt, creditur eſſe LXXX. & ad maximum, centum annorum.

CAPUT XXI.

Quòd ſecundum naturam eſt aliquis certus terminus longitudinis humanæ vitæ, & magnitudinis corporum humanorum.

QUantùm ad ſecundam verò & etiam tertiam prædictarum ſuppoſitionum, A. videlicet quod ſecundùm Philoſophum naturâ conſtantium omnium eſt certus terminus aliquis, & ratio magnitudinis & augmenti uniuscujusque rei ſecundùm ſuam ſpeciem, in cujus majori vel minori non poteſt conſiſtere & ſalvari: & quòd naturales periodi vitæ & viventium diſtinguuntur & terminantur tribus temporibus, ſcilicet ſuo augmento ſive proceſſu, & ſtatu, & declinatione: hoc idem oportet etiam in humana ſpetie accipere & tenere tam ſecundùm longitudinem & brevitatem vitæ, quàm ſecundum quantitatem humani corporis, ita B. quòd ſecundum naturam humanæ ſpeciei eſt aliquis numerus annorum, ultra quem non protenditur vita humana, & infra quem non abbreviatur naturaliter ſe habens in ſua duratione: ſicut videmus quibusdam aliis animalibus, à natura ſecundum ſpecies ipſorum determinari ſuæ vitæ longitudinem & brevitatem, ut dicit Philoſophus VIII. libro de animalibus. Propter quod, ut narrat Philoſophus ibidem, eſt quoddam animal, quod vocatur *Dies*, eò quòd ſecundùm ſuam ſpeciem non vivit ultra diem. Unde dicit commentator ſuper II. de Generatione & C. corruptione circa finem, quòd longitudo & brevitas vitæ determinatur ſingulis viventibus ſecundum ſpecies ſuas ab actione & motu ſolis & lunæ, & aliorum planetarum. Propter quod dicit Ptolomæus in Centiloquio verbo LXXXVI. quòd Sol viventibus eſt origo virtutis vitalis, Luna virtutis naturalis, Saturnus virtutis retentivæ, Jupiter virtutis ſenſitivæ, Mercurius virtutis cogitativæ, Mars virtutis iraſcibilis, Venus virtutis naſcibiliter concupiſcibilis. Ariſtoteles quoque in libro de Mundo, quem ſcripſit ad Alexandrum magnum dicit, quòd Sol D. & cæteri planetæ ſuo motu cauſant & menſurant vitam viventibus &c.

Cùm igitur ut dicit Joſephus, à tempore Abraham poſt centum annos deinceps ætates hominum ceperint naturaliter & communiter breviari, ita quòd ex tunc adhuc usque longius tempus vitæ humanæ redactum eſt usque ad centum annos, etiam Commentator ſuper II. de Generatione & Corruptione, qui dicit ibidem circa finem, quòd diſtincto tempore toto naturalis longitudinis vitæ humanæ in duas partes, ſcilicet in tempus juven-

juventutis & ſenectutis, ita quod tempus juventutis ſecundum ſuum naturalem periodum eſt usque ad XXXV. annos, & tempus ſtatûs usque ad XV. annos, qui ſimul juncti faciunt quinquaginta annos, tempus vero ſenecturis ſimiliter usque ad XXXV. annos, qui ſimul juncti faciunt cum prædictis LXXXV. annos, quibus pro tempore declinationis & defectionis usque ad mortem adduntur XV. anni, & fiunt ſimul omnes centum anni: ſub quo numero & tenore à prædicto tempore adhuc usque permanſit naturalis & communis longitudo vitæ humanæ per tria millia CCCXVI. annos, ſalvo calculo computationis ſecundum diverſos auctores & ſcriptores Eccleſiaſticos, quorum aliqui modicum quid vel addiderunt, vel detraxerunt prædicto numero annorum: patet ex conſequenti, quod breviſſima ætas humanæ ſpeciei & naturæ communiter & naturaliter ſtat in numero centum annorum: longiſſima vero ſtetit circa mille annos & circa ab Adam primo homine usque ad diluvium per duo millia & CCXLIV. annos, quæ ratione & ordine conſequenti eſt maxima longitudo naturalis vitæ humanæ, ita quod naturalis & communis longitudo ante diluvium habet ſe ad naturalem & communem longitudinem poſt diluvium in proportione decupli, cujus ratio non improbabiliter infra ponetur.

CAPUT XXII.

Quòd maxima longitudo vitæ humanæ fuit ante diluvium circa mille annos, & quæ fuerit cauſa hujus.

QUæ ſit igitur cauſa & ratio prædictæ maximæ longitudinis naturalis vitæ humanæ, ſcilicet ad mille annos & modicum infra, qualis fuit à primo homine usque ad diluvium, & prædictæ maximæ brevitatis redactæ ad centum annos à tempore Abrahæ adhuc usque, ſic poteſt probabiliter aliquomodo accipi & videri.

Quia cùm juxta quartam ſuppoſitionem prædictam proportio calidi & humidi vitalis, in qua radicatur vita, & conſervatio vitæ, corrumpatur uno duorum modorum, ſcilicet vel per elongationem viventis à ſuo principio originali, agentibus contra ſe invicem calido & humido

A. & frigido & ſicco interiori, quæ eſt naturalis defectio vel corruptio vitæ viventium: & per cooperationem calidi & humidi, & frigidi & ſicci exterioris, quæ eſt violenta deſtructio & corruptio in viventibus vitæ. Sicut ergo in violenta corruptione habet ſe ultima virtus naturæ ad repugnandum corruptioni & deſtructioni vitalis harmoniæ, donec ipſa virtute ſuccumbenre ſequatur mors & corruptio: ita in naturali corruptione, vel potius deſtructione ſecundùm tempus & ætatem habet ſe eadem virtus naturalis ad repugnandum & reſiſtendum de-

B. ſtructioni ipſius vitalis harmoniæ. Sed, ſicut dicit Philoſophus in Problematibus parte prima titulo de quæſtionibus medicinalibus, virtus ultima ad reſiſtendum corruptioni violenræ, qualis eſt corruptio & deſtructio vitæ in ægritudinibus lentarum febrium continuarum poſt duas converſiones anni, id eſt, poſt converſionem æſtatis in hyemem primò, & poſt converſionem hiemis deinde in æſtatem, terminatur usque ad centum dies. Cujus ratio eſt: quia ſecundùm Ariſtotelem ibidem criſes in febribus terminantur ſecundùm revolutionem Lunæ. Cen-

C. tum vero dies completi continent quatuor revolutiones Lunæ, infra quas quatuor humores in corpore ultima virtute habenr invicem movere & moveri, & vincere & vinci, quam victoriam ſequitur corruptio & deſtructio harmoniæ vitalis, & per conſequens mors. Ergo & circa defectionem naturalem ſecundùm tempus & æſtatem ſic ſe habebit, quòd in aliquo certo numero annorum per repugnantiam & reſiſtenriam contrariorum principiorum naturalium compoſitionis humani corporis ad ſe invicem & per elongationem ſecundùm tempus & æta-

D. tem ſecundùm principia ſuæ generationis neceſſe erit vitalem harmoniam corporis humani deſtrui, & corruptionem & mortem ſequi. Cùm igitur naturalis longitudo vitæ humanæ ante diluvium propter vicinitatem ſuam ad originale principium conditionis humanæ naturæ conſimili ratione fuerit menſurata & terminata ad tale ſpatium temporis & numerū annorum, in quo planetæ facientes ad generationem & conſervationem humani corporis & vitæ ipſius, tanquam perfectiſſimi in genere viventium peractis ſuis maximis revo-

revolutionibus reverterentur ad initia ſua, ſicut priùs, quod fit in conjunctione Saturni & Jovis, in initio Arietis poſt DCCCCLX. annos, ùt dicit Ptolomæus Centiloquii verbo quinquageſimo: Non irrationabiliter dici poteſt, quòd, cùm ſecundum Ptolomæum Saturnus & Jupiter cauſent & mutent res magnas in mundo, & maximè circa vitam viventium & prolongationem ipſius, maxima longitudo naturalis vitæ hominis poſt originale principium ſuæ conditionis ſtante homine & ſua conditione adhuc in ſummo ſuæ virtutis naturalis & originalis, per conſequens extendebatur ad ſpatium prædicti temporis, videlicet DCCCCLX. annorum, quem terminum longitudinis vitæ nullus hominum usq; ad completos mille annos legitur excesſiſſe vel attigiſſe.

CAPUT XXIII.

Quibus de cauſis abbreviata fuit vita humana poſt diluvium.

QUa ratione quæque abbreviatio naturalis vitæ hominis ſecuta ſit poſt diluvium, ùt prædictum eſt, ex hoc æſtimatione accipi poteſt non incongruè, ùt videtur, ſalva ratione & ſententia meliori. Quia cùm, ſicut habitum eſt in prædictis, duæ ſint cauſæ defectionis & corruptionis vitæ & viventium, videlicet elongatio ſecundùm tempus à principio ſuæ generationis in tantum, usque dum principia compoſitionis corporis, quæ utique ſibi invicem ſunt contraria, in ſe invicem agant usque ad victoriam unius, donec ad deſtructionem harmoniæ ipſius corporis & affectio & infectio corporum per actionem exterioris continentis, ſcilicet aquæ & aëris, & eorum, quæ corpus inficiunt & afficiunt occaſione illorum continentium: rationabiliter poſt diluvium fuit abbreviata illa longitudo ætatis & vitæ humanæ propter prædictas duas cauſas, videlicet propter majorem ſemper diſtantiam à principio primæ conditionis humani generis & propter actionem principiorum contrariorum compoſitionis humani corporis in ſe ipſa usque ad victoriam aliorum ſuper alia, & tertio propter immutationem & infectionem humanorum corporum à continen-

A. tibus extrinſecis ſcilicet aqua & terra & aëre, quæ poſt diluvium & propter diluvium immutata & infecta ſimul infecerunt & debilitaverunt virtutes naturales in corporibus humanis: quod patet. Quia cum terra ſit fæx elementorum ex eo, quòd omnia gravia tendunt ad ipſam, quaſi ad centrum, ubi eorum gravitas & immobilitas de facili corrumpitur & putreſcit, quia gravitas & immobilitas contrariatur vitæ & virtutibus vitalibus: quia ſicut motus eſt quaſi mobilibus vita, ut dicitur VIII. Phyſicorum, ita & vita eſt quaſi motus viventibus ut dicitur I. quod
B animatum differt ab inanimato duobus ſcilicet motu & ſenſu. Per diluvium verò illud magnum temporibus Noë factum ex impetu & concurſu aquarum ſuperiorum & inferiorum avulſis à fundamento terræ omnibus ſuis putrefactionibus & immundiciis facies totius terræ eſt mutata, & aër & aqua ſunt infecta & valles per ſui cavationem, & per elevationem montium ſunt profundata in quarum fundo aquarum aër & aqua præcluduntur, & præfocantur & immobilitantur usque ad infectionem & putrefactionem, quæ per conſequens inficiunt & permutant vita-
C. lem & naturalem virtutem corporum humanorum, & infecerunt & corruperunt etiam virtutes & operationes terræ naſcentium, quæ homini eſſe poterant in nutrimentum ad conſervandum & prolongandum ſanitatem & vitam hominis. Unde dicit Beda ſuper illud Petri II. Quòd *Deus originali mundo non pepercit &c. Originalis*, inquit, *mundus idem ipſe mundus eſt, in quo humanum genus nunc babitat, quem inhabitaverunt ii, qui ante diluvium fuerunt, ſed tamen quaſi alius mundus dicitur, quia ille mundus aquâ inundatus periit, & cœlis, qui erant prius*
D. *id eſt, illis bujus aeris turbulenti ſpatiis aquarum excreſcentium altitudine conſumptis, terra quoque in alteram faciem eſt mutata.* Nam & ſi montes aliqui & convalles ab initio facti credantur, non tamen tanti, quanti nunc in univerſo Orbe cernuntur. Quod negari fortè potuiſſet, ſi non etiam nunc omnibus fere annis terrarum faciem cerneremus aquarum inundatione mutatam, quod tantò vehementiùs tunc factum fuiſſe creditur, quanto major & diuturnior impetus aquarum

rum terram operiens alluebat &c. Patet ergo, quòd prædictis tribus causis concurrentibus ad eundem effectum, scilicet elongatione quotidiana ab originali principio humanæ conditionis & actione intrinsecorum contrariorum contra se, & à corruptione sive infectione continentium extrinsecorum, scilicet terræ, aquæ, & aëris post diluvium necesse fuit abbreviari primævam longitudinem humanæ vitæ.

CAPUT XXIV.

Quòd usque centum annos abbreviata fuit vita humana.

QUare verò usque ad centum annos restricta sit illa primæva longitudo vitæ humanæ post diluvium, hujus ratio probabiliter ex hoc sumi potest. Quia cùm secundum Philosophum in Problematibus naturalibus ægritudo corporum sit quasi festina senectus, & econtrario senectus naturalis sit quasi longa ægritudo: &, sicut dicitur II. de Generatione & Corruptione, tempus generationis & tempus corruptionis sunt æqualia naturaliter se habentia, inter quæ tanquam inter duos motus contrarios est quies media, quæ est tempus status: propter hoc C sicut in motu sanitatis ad finem & ultimum ægritudinis distinguuntur tria tempora, scilicet principium sive augmentum infirmitatis, & status, & declinatio: ita & in tota vita viventis distinguuntur tria tempora, scilicet, principium sive augmentum vitæ & viventis, in quo tempore viventia secundùm vitam & virtutes vitales & naturales perficiuntur & complentur, & status, in quo sub sua perfectione stant & quiescunt, & declinatio, in qua jam incipiunt deficere & tendere ad finem. Cùm igitur constet, quòd homo D perficitur & completur naturaliter usque ad XXX. annos tribus suis perfectionibus, videlicet primò perfectione corporis, quantum ad dispositionem & numerum & figuram corporis & membrorum, quod fit ad majus in decem mensibus in utero matris: secundo perfectione naturalis augmenti ipsius usque ad debitam quantitatem secundùm longitudinem ipsius corporis: tertio perfectione virtutum vitalium & naturalium & animalium ipsius corporis, quod fit & completur usq; A in annum tricesimum, quibus annis ad complendum tempus juventutis adduntur quinq; anni, quibus est in statu, & ita juventus durat usq; ad XXXV. annum, cui tempori respondet tempus senectutis, quod deinceps durat per XXXV. annos usq; in annum LXX. quod est communiter tempus totius ætatis hominis, ita quod postmodum inter centum annos ut nunc est naturalis terminus vitæ hominis sive minus, vita hominis duret ultra LXX. usq; ad centum annos ultimum vitæ humanæ terminum: & ista est æstimatio & computatio longitudinis vitæ & ætatis B hominis secundùm Astrologos & secundùm Commentatorem II. de Generatione & Corruptione circa finem.

CAPUT XXV.

Quæ fuerit causa illius longitudinis & abbreviationis usq; ad tantum numerum annorum.

SEd quia ostendere causam mensuræ & terminum longitudinis vitæ humanæ post diluvium usque ad centum annos ex eo, quòd humani corporis perfectio, ut nunc est usq; ad XXX. annos, & deinceps vitæ ipsius status & declinatio usq; ad LXX. annos videtur esse petitio principii idcirco, quòd adhuc à principio dubitari potest, quæ sit causa hujus, quòd tempus perfectionis humani corporis post diluvium ut nunc est usq; ad XXX. annos, cùm hoc ipsum tempus respectu temporis perfectionis humanorum corporum ante diluvium sit nimis festinè, & nimis multum post diluvium abbreviatum, quæ dubitatio includebatur sub dubio principalis quæstionis tanquã pars in toto: quia dum dubitando quærebatur: quare longitudo vitæ humanæ sit post diluvium abbreviata usq; ad centum annos, similiter per consequens in hoc dubio includebatur quæstio de causa abbreviationis temporis perfectionis humani corporis post diluvium usq; ad XXX. annos, cùm proportionabiliter sit eadem ratio in qualibet parte ad quamlibet partem prolongationis & abbreviationis, quæ est in toto ad totum: quia sine dubio patet, quòd ante diluvium tempus perfectionis corporum vel usq; ad ætatem nubilem & aptam generationi filiorum, vel usque ad assecutam ultimam perfectionem sui naturalis roboris

roboris & rigoris usque ad ſuum ſtatum multo longius tunc quàm nunc fuit. Unde & Auguſtinus XV. libro de Civitate DEI dicit: quod ante diluvium, qui filios genuerunt, non minoris ætatis quàm centum ſexaginta annorum fuiſſe narrantur &c. Conſtat autem, quòd hodie multi generant filios circa annum XIV. & modicum ultra vel circa exiſtentes, antequam tempus perfectæ menſuræ & roboris ipſorum ſuorum corporum circa annum triceſimum aſſequantur. Quindecim verò anni, in quibus finitis multi hodie poſſunt filios generare ſunt ſexta pars de LXXXX. quibus additur trietas* ſui, id eſt duæ partes de XV., quæ ſunt decem, & erunt in univerſo centum &c. propter hoc, ſicut ratio durationis vitæ humanæ ante diluvium usq; ad mille annos & circiter ſumi poteſt non improbabiliter à maxima mora maximæ mutationis ſtatus corporis & vitæ hominis à ſole & planetis duobus ſuperioribus, ſcilicet Saturno & Jove tanquam à ſuperiori cauſa activa & motiva, quæ fit in DCCCC. & LX. annis ſecundùm Ptolomæum, ut ſuperius dicebatur: ita à cauſis inferioribus tanquam materialibus & paſſivis videlicet à mutatione ſtatus elementorum poſt diluvium, quibus mediantibus & non aliter corpora cœleſtia movent & mutant inferiora, cauſa abbreviationis vitæ humanæ poſt diluvium usq; ad centum annos & modicum ultra vel circiter ſumi poterit probabiliter in hunc modum.

* in Cod.

Quoniam cùm harmoniam Muſicam, quæ attenditur in tonis, ſalvet & conſervet certa proportio tonorum ad invicem ſecundum Diapaſon, & Diapente, & Diateſſaron, ita quòd conſonantia Diapaſon non poteſt ſalvari in minori vel majori quàm in proportione dupla, quod eſt unius ad duo, & duorum ad quatuor, & quatuor ad octo, [illegible] in diapente majori vel minori quàm in proportione ſeſquitercia, quæ eſt trium ad quatuor, nec in diateſſaron in majori vel minori, quàm in proportione ſeſquialtera, quæ eſt duorum ad tria, & ſic de aliis conſonantiis Muſicis: ita proportio Elementorum ad ſe invicem, quæ ſunt prima materialia & paſſiva principia compoſitionis humani corporis, habet ſe in quadam harmonia, infra quam & ſupra quam corpus non habet propriam diſpoſitionem & habilitatem ad receptionem talis formæ, ſicut eſt anima rationalis, & ad conſervationem & durationem vitæ corporis viventis per informationem animæ rationalis, quæ eſt ultima & nobiliſſima forma in natura. Quia illam primam proportionem denſitatis & raritatis elementorum conſequuntur omnes aliæ proportiones humorum & commixtionum, & complexionum ſecundùm diverſitatem ſpecierum corporum animatorum. Unde dicit Commentator I. de Anima, quòd membra Cervi & Leonis propter talem diverſitatem differunt ſpecie. Propter quod in diſpoſitione & aptatione materia humani corporis ad receptionem & conſervationem ipſius formæ exigitur ultima æqualitas proportionis componentium & materialium principiorum ipſius à primis & remotis usque ad proxima & immediata.

CAPUT XXVI.

Quòd proportio Elementorum ad invicem fuit prima cauſa & ratio longitudinis & abbreviationis.

Certum eſt autem, quia ſex ſunt qualitates primæ in Elementis, ſecundùm quas & per quas ipſa Elementa modo debito ad invicem in compoſitis & commixtis ex eis ad conſiſtentiam & conſummationem conſiſtentiæ ipſorum compoſitorum & commixtorum, videlicet: ſubtilitas, activitas & mobilitas, quæ ſe invicem conſequuntur ordine cauſali & materiali. Quia ſubtilitatem in ſummo conſequitur activitas: & ſubtilitatem & activitatem in ſummo conſequitur hobilitas & penetratio in ſummo. Et per oppoſitum ſunt aliæ tres qualitates, videlicet corpulentia oppoſita ſubtilitati, & obtuſitas oppoſita activitati, & immobilitas oppoſita mobilitati. Subtilitatem ergo & activitatem & mobilitatem in elementis conſequitur raritas, & corpulentiam & obtuſitatem & immobilitatem conſequitur denſitas: rarum verò & denſum proportione debita ſibi commixta conſtituunt corpus ſolidum & conſtans & fixum: quia ſola denſa corpora ſe invicem non penetrarent. Oportet ergo ad conſtitutionem & conſervationem Phyſici corporis

poris ſolidi, & conſtantis, & fixi rara & denſa elementorum proportionaliter commiſceri & contemperari.

Hæc autem proportio eſt proportio decupli ſecundùm Philoſophum & Commentarorem II. de Generatione & Corruptione, ſecundùm quam elementa ſe habent ad invicem in compoſitione & commixtione ad conſtituendum corpus Phyſicum ſuſceptivum formæ animæ & vitæ per animam, tali modo. Quia ſicut elementum terræ in ſua denſitate habet ſe ad elementum aquæ in ipſius raritate reſpectu terræ in proportione decupla, ita quòd ex uno pugillo terræ per rarefactionem fiunt X. pugilli aquæ: ita & aqua habet ſe ad aërem, quòd ex uno pugillo aquæ per rarefactionem ipſius fiunt X. pugilli aëris: & conſequenter eodem modo habet ſe aër ad ignem, quòd per rarefactionem ſive ſubtilitatem aëris, quòd ex uno pugillo aëris fiunt X. pugilli ignis.

Sed quia non per ſolam rarefactionem denſorum, ſed ulteriùs per condenſationem rarorum proportionaliter conſtituitur & conſiſtit corpus Phyſicum organicum potentiâ vitam habens, neceſſe eſt propter hoc ut econtrario pugilli ignis condenſentur in unum pugillum aëris, & X. pugilli aëris condenſentur in unum pugillum aquæ, & X. pugilli aquæ in unum pugillum terræ, & ſic proportione debita humorum & commixtionum & complexionum conſequente ſecundùm ultimum gradum digeſtionis & commixtionis ſuæ: ſcilicet calore vincente humidum interminatum, donec terminetur & fiat ſubſtantia craſſior & ſiccior ac levior, ut docetur IIII. Metheor. complebitur conſtitutio & conſiſtentia Phyſici corporis potentia vitam habentis, quantùm ad recipiendam ultimam & nobiliſſimam formam animæ rationalis.

Certum eſt autem, quòd rarificatio terræ, ut perveniat ad naturam ignis & econtrario etiam condenſatio ignis, ut pertingat ad naturam terræ, habent ſe in proportione milleſima: quia oportet terræ denſitatem milleſies tantum rarificari, ut perveniat ad naturam ignis: & ignis ad raritatem milleſies tantùm condenſari, ut perveniat ad naturam terræ: ſicut aërem oportet centies tantùm condenſari, vel terram centies tantùm rarificari, ut

A. utrumque illorum transeat in naturam alterius: & aquam decies tantum condenſari, terram decies tantum rarificari, ut ex aqua fiat terra, vel econtrario: quia generaliter ex pauco denſo fit multum rarum propter diſtenſionem partium, & ex multo raro fit paucum denſum propter compreſſionem partium.

CAPUT XXVII.

De diſtinctione & declaratione illius elementaris proportionis.

B. Cum ergo naturalis proportio Elementorum ad invicem ad conſtitutionem & conſiſtentiam & durationem corporis Phyſici organici potentiâ vitam habentis animæ rationalis, quæ eſt ultima & nobiliſſima forma, in natura habeat ſe quantum ad aquam in decuplo reſpectu terræ: & aqua in decuplo, quantum ad aërem: & aër in decuplo ad ignem, conſequenter terra habet ſe ad aërem in proportione centeſima, & ad ignem in proportione milleſima. Sed quia conſiſtentia & duratio ac menſura durationis corporis Phyſici compoſiti ſequitur modum compoſitionis & componentium, propter C. hoc rationabile eſſe videtur, quòd humanis corporibus ſe habentibus ante diluvium ſecundum originalem & naturalem vigorem & proportionem compoſitionis & componentium ſuorum quantum ad omnia elementa à ſupremo uſq; ad infimum ſecundùm proportionem milleſimam, ſicut prædictum eſt, quòd per conſequens vita humana durare potuit uſque ad mille annos in humanis corporibus perfectiſſimis tunc ſecundum illud tempus, quantum ad prædictam proportionem ſuæ compoſitionis & componentium. D. Quia perfectum & ultimum vigorem corporum humanorum ſecundùm prædictam proportionem componentium & compoſitionis eorum non poterat curſu & ordine naturali reſolvere, nec ad finalem deſtructionem perducere, niſi mora & menſura tanti temporis, in quo omnes mutationes & motus corporum ſuperiorum moventium & mutantium conſiſtentias & fixiones inferiorum revolverentur, & complerentur ſuper ipſa, quod, ut prædictum eſt, fit ſecundùm Ptolemæum in DCCCCLX. annis in conjun-

conjunctione Saturni & Jovis in initio Arietis.

Quod tamen non eſt ita accipiendum, quòd nemo tunc fuerit mortuus naturaliter niſi in tali conjunctione Saturni & Jovis, ſed in quantitate ſolùm tanti temporis vitæ hominis, æquipollenti tempori revolutionis Saturni & Jovis ad illam ſuam conjunctionem: ſicut ſecundùm Hippocratem & alios Medicos acutæ ægritudines in diebus XIIII. judicantur, ita quòd prima eſt judicativa quarti, & quarta ſeptimi ſecundum ordinem & numerum tot dierum computandorum juxta quartam & ſeptimam & undecimam & decimam quartam diem à principio motus ægritudinis, & non permutationis Lunæ, ſicut de motu tempeſtatis & ſerenitatis menſis Lunaris judicatur, ſed ſecundùm quartas & angulos quartarum revolutionis Lunæ perficiendo menſem ſuum juxta illud Ptolomæi Centiloquii verbo LVI.: *Humiditates aëris & corporum accedunt in prima die primæ quadraturæ Lunæ, in ſecunda verò recedunt, & ſecundùm eandem proportionem fit in reliquis duabus quartis* &c. Unde etiam dicit Avicenna in ſuo Collieth. Lib. V. quòd criſes in acutis judicantur in XIIII. diebus, non propter motum Lunæ in ſuo menſe, ſed propter ſimilitudinem numeri dierum, in quibus & poſt quos ad longius habet digeri materia febrium & Luna per ſuas quartas perficere menſem ſuum &c.

CAPUT XXVIII.

Concluſio prædictarum cauſarum maximæ longitudinis & maximæ brevitatis vitæ humanæ ſecundùm naturam.

QUare autem ætas humanæ vitæ poſt diluvium reſtricta ſit usque ad centum annos & modicum ultra in quibusdam licet paucis hominum, ſic poteſt non irrationabiliter accipi & attendi: Quia cùm proportio denſitatis & raritatis in elementis ad invicem naturaliter conſtituta ſit vel in decuplo, ſicut eſt inter terram & aquam, vel in centeſimo, qui numerus eſt decuplus ad decem, ſicut eſt inter terram & aërem, vel in milleſimo, qui numerus eſt decuplus ad centum, ſicut eſt proportio inter terram & ignem, A quorum numerorum decuplatio minoris per majorem incipit progrediendo primò ab unitate, & terminatur in quaternario, & in elementis, quæ ſunt quatuor terminatur in quarto elemento, ſcilicet in igne ad numerum millenarium: quia incipiendo ab unitate, & progrediendo usque ad quaternarium incluſivè occurrunt X. quia aggregando poſteriorem numerum priori ſic dicendo: unum, duo, tria & quatuor, iſta ſimul aggregata faciunt X. quæ eſt proportio denſitatis & raritatis terræ & aquæ ad invicem: & iterum ſumendo decuplos illorum per B progreſſionem & aggregationem poſterioris numeri ad priorem usque ad quaternarium ſcilicet numerando X. XX. XXX. XL., iſta aggregata faciunt centum, quæ eſt proportio denſitatis & raritatis terræ & aëris ad invicem: & iterum ſumendo centum & progrediendo usque ad quaternarium numerum dicendo ſic: C. CC. CCC. CCCC. iſta aggregata faciunt mille, quæ eſt proportio denſitatis & raritatis terræ & ignis ad invicem. Non irrationabiliter ergo dici poteſt, quòd ante diluvium omnibus quatuor C prædictis elementis ſervantibus ad invicem prædictam proportionem ſuæ denſitatis & raritatis, omnia illa, quæ ordine ſuo conſequebantur illam perfectam proportionabilitatem, ſimiliter & immutabiliter ſe habebant circa ſtatum & durationem vitæ hominum illius temporis.

Poſt diluvium verò, quod ſtatum & naturam & æqualitatem tum inferiorum elementorum immutavit & infecit in tantum, ut Sancti & Doctores dicunt, quòd usque ad tertium interſtitium aëris ſuperioris aſcendit, veriſimile eſt, quòd diſſoluta proportione decupla raritatis ignis D ad denſitatem aëris, & conſequenter proportione centeſima ſuæ raritatis ad denſitatem aquæ, ultimò etiam defecerit proportio milleſima ſuæ raritatis ad denſitatem terræ: & ordine converſo proportio denſitatis illorum trium elementorum ad raritatem ignis, ita quòd per infectionem diluvii denſitas & turbulentia duorum inferiorum interſtitiorum aëris & aquæ & terræ per totum receſſerunt ab originali & naturali proportione ſua ad ſupremum interſtitium aëris, & ad ſupremam ſphæram & ſubſtantiam ignis:

& per conſequens duratio vitæ humanæ ad ſpatium mille annorum, quæ per cauſam & modum prædictum conſequebatur illam proportionem millenariam, deinceps eſt mutata circa vitam humanam.

Quare autem usque ad centum annos, & non infra vel ſupra naturaliter & communiter eſt mutata, ex eadem ratione ſumi poteſt, quæ ſupra dicta eſt. Quia quantacunque proportio relicta eſt inter tria elementa inferiora per diluvium, ſic corrupta & immutata illa non potuit, nec poteſt aliter ſe habere; quàm in proportione decupli denſitatis & raritatis eorum ad invicem. Vita autem humana cùm ſit perfectiſſimi corporis Phyſici, de neceſſitate habet regulari & menſurari numero annorum correſpondente & conſequente perfectiſſimam proportionem ut nunc relictam in numero & ſubſtantia elementorum trium inferiorum. Hæc autem eſt proportio centeſima, qualis eſt proportio denſitatis & raritatis terræ & aëris ad invicem. Ergo non eſt irrationabile ſecundam prædictam ætatis humanæ longitudinem poſt diluvium corruptis aëre & aquâ & terrâ & eorum proportione ſe habente aliter ad raritatem & ſubtilitatem naturæ igneæ, præcipuè cauſativam & conſervativam vitæ reſtrictam & redactam eſſe ad centum annos quaſi pro ſui decuplo diminutam. Prædictas autem cauſas & rationes ad iſtud propoſitum declarandum poſui & pono cum proteſtatione & exceptione ſententiæ meliotis, cui non præjudico in hac parte.

CAPUT XXIX.

De cauſis magnitudinis & parvitatis corporum humanorum.

Circa cauſam verò magnitudinis & parvitatis corporum humanorum ultra vel infra communem & conſuetam menſuram ipſorum ſive ante ſive poſt diluvium, dici poteſt. Quia cùm cauſa prima & principalis menſuræ magnitudinis & parvitatis corporum in actu generationis ipſorum ſit duplex ſcilicet magnitudo & parvitas materiæ extenſibilis, videlicet, materiæ menſtrualis, & multitudo & paritas virtutis extendentis, videlicet, virilis ſeminis, per conſequens ſuppoſita debita proportione virtutis paſſivæ & agentis in actu generationis, & loci recipientis & continentis ipſam materiam generationis, ſcilicet, matricis provenit quantitas corporis generati ſecundum menſuram debitæ & conſuetæ magnitudinis. Ad quod cooperatur virtus cœleſtis dominans in hora conceptus & generationis ſecundùm virtutes & effectus conjunctionum & ſeparationum ac oppoſitionum planetarum & ſtellarum habentium dominium in generatione naturali & formatione & perfectione generatorum ſub ipſis aſpectibus planetarum & ſtellarum, ſecundum quod dicit Ptolomæus Centiloquii verbo VIII: Quòd *vultus hujus ſæculi ſunt ſubjecti vultibus cœleſtibus.*

Si verò contingit aliquos generatos excedere conſuetam menſuram magnitudinis corporum, hoc utique erit primò propter cauſas intrinſecas ad hoc facientes, videlicet propter multitudinem materiæ generationis & extenſibilitatem ipſius, quæ conſequitur naturam, & genus patrum & matrum corporis & perfectam diſpoſitionem & præparationem ipſius matricis ad conceptionem & generationem, & propter perfectionem & multitndinem virtutis agentis in ſemine virili: & ſecundò etiam propter cauſas extrinſecas, videlicet, propter bonam diſpoſitionem & aptitudinem temporis, & loci, & ætatis, & qualitatis, & virtutis corporum generantium: & tertiò propter virtutem cœleſtem aptam generationi & dominantem in hora conceptionis & nativitatis in aſcendente, & domino aſcendentis. Quia, ùt patet per Ptolomæum Centiloquii verbo LXXXVI. ſinguli planetarum habent virtutes proprias & effectus & operationes imprimere in corpora generatorum in conceptionem & formationem & perfectionem ipſorum in utero & ex utero. Cùm enim ad vitam viventium perfectiorum requirantur tres virtutes deſervientes tribus operationibus ipſorum, ex quibus cauſatur motus & ſenſus ipſorum, quibus differunt & diſcernuntur viventia à non viventibus, videlicet virtus naturalis, vitalis, & animalis: virtus naturalis, quæ conſequitur qualitatem complexionis corporis, attribuitur effectui impreſſionis Lunæ, propter quod etiam

etiam motus ægritudinum & principia & terminationes ipſarum ſequuntur motum Lunæ. Virtus verò vitalis, quæ conſequitur harmoniam complexionis diſponentem ad capacitatem vitæ, attribuitur effectui impreſſionis Solis: unde & ætates hominum annis ſolaribus menſurantur. Virtus verò animalis, quæ conſequitur purificationem humorum in corporibus viventibus, attribuitur effectui impreſſionis Jovis. Unde quia regimen ſui ipſius & aliorum procedit ex bonitate virtutis animalis & rationalis, ideo Jovi attribuitur circa natos ipſorum regnum & dominium.

Similiter ex parte motus animæ in corpore in ſe ipſa requiruntur tres virtutes ad perfectionem vitæ & motus viventium perfectorum, videlicet iraſcibilis virtus, quæ conſequitur complexionem calidam & ſiccam, & attribuitur impreſſioni Martis: & virtus concupiſcibilis, quæ conſequitur complexionem calidam & humidam, & attribuitur effectui impreſſionis Veneris: & virtus diſtinguens ſive rationalis, quæ conſequitur complexionem maximè accedentem ad æqualitatem, & attribuitur effectui impreſſionis Mercurii, quia virtus Mercurii tendit ad æqualitatem, eo quod eſt convertibilis & permiſcibilis cum omnibus aliis virtutibus planetarum. Præter iſtas ſex virtutes eſt virtus ſeptima, & eſt virtus retentiva, quæ eſt generalis ad omnes prædictas ſex virtutes, quantum ad primam generationem, & quantum ad finalem conſummationem corporum viventium & complexiones & virtutes & operationes ipſorum. Quia primò in conceptione ſeminis neceſſaria eſt ſtatim virtus retentiva, ut matrix ſemen receptum retineat, & deinde ſimiliter poſt formationem corporis & diſtinctionem membrorum, forma & figura membris impreſſa non diffluat, quæ virtus conſequitur complexionem frigidam & ſiccam, & attribuitur effectui impreſſionis Saturni.

Cùm ergo in hora conceptionis & in hora nativitatis planetæ facientes ad complexionem & perfectionem fœtus in utero & ex utero ſecundùm prædictas impreſſiones ſuas fuerint in ſignis ſibi conſimilibus non impediti ab aſpectibus vel conjunctionibus ſuorum contrariorum, & invenerint materiam generationis taliter diſpoſitam & aptatam, ùt prædictum eſt, & virtutes activas & paſſivas perfectas & fortes in generantibus tam ex ſe, in quantùm ex natura patrum & matrum generationis cum convenientia temporum & locorum ſecundùm ſuas qualitates aptas ad generationem & perfectionem generatorum, & maxime ac communiter ſecundùm ſitus climatum, ad quæ juxta longitudinem & latitudinem ipſorum directiùs veniunt impreſſiones radiorum planetarum facientium ad confortationem generationis viventium: tunc non irrationabiliter contingit naſci majora & robuſtiora corpora, maximè quantùm ad virtutes naturales & vitales, quæ fortitudo & magnitudo corporum & per conſequens longævitas & brevitas vitæ ipſorum diverſificatur ſecundùm diverſitatem ipſorum locorum. Propter quod in quibusdam locis & regionibus majores & longiores homines naſcuntur: in quibusdam verò minores, & brevioris vitæ, & per cauſas prædictis cauſis contrarias, & cooperantia eisdem extrinſecus & intrinſecus contingit generari corpora minora & debiliora ſecundùm quantitatem & virtutem, & vitæ etiam brevioris.

CAPUT XXX.

Quòd eædem fuerunt cauſæ magnitudinis & parvitatis corporum humanorum ante & poſt diluvium.

Satis igitur veriſimiliter dici poteſt, quòd, ſicut poſt diluvium deinceps adhuc uſque hodie fuerunt & ſunt homines ſecundùm communem & conſuetam menſuram & longitudinem & magnitudinem corporum ſe habentes, & aliqui etiam, licèt rariores & pauciores, communem menſuram humanorum corporum excedentes ùt gigantes, & alii etiam aliqui interdum à communi menſura deficientes ùt nani *, & pygmæi propter prædictas cauſas tam intrinſecas quàm extrinſecas ad iſtam diverſitatem facientes: ita etiam non inconvenienter æſtimandum eſt eandem diverſitatem ſecundum prædictas cauſas & modos fuiſſe in hominibus & humanis corporibus ante diluvium, licèt propter recentiam & vicinitatem illius temporis ad principium humanæ generationis ex primis hominibus plures

* Cod. gnani.

plures tunc excesserint communem mensuram humanorum corporum & per magnitudinem giganteam quàm defecerint à communi & consueta magnitudine in parvitate nanorum & pygmæorum.

Quod etiam videtur innuere Genes. VI. dicens: Quòd *gigantes erant super terram in diebus illis*, scilicet ante & prope diluvium. Nec est etiam opinandum, quòd infra communem mensuram longitudinis & brevitatis vitæ hominum illius temporis nulli mortui sint in ætate infantili & juvenili non attingentes tempus perfectionis suorum corporum & ætatum propter causas suæ abbreviationis ætatis ab intrinseco, vel ab extrinseco tunc evenientes illis hominibus, sicut & nunc in pluribus accidit. Sed fortè minùs & rariùs hoc tunc accidebat, sicut prædictum est, de nanis & pygmæis pro illo tempore se habuisse. Sed Scriptura libro Genesis non facit mentionem hujusmodi diversitatis loquendo de hominibus illius temporis. Quia non erat intentio illius Scripturæ & auctoris ipsius describere vel narrare secundùm diversificationem & diversitatem totius status humanæ generationis & generis, quantùm ad illud tempus taliter vel aliter se habentis: sed quantùm ad illos homines tantùm, per quorum generationem & ipsius generationis descriptionem perveniretur ad generationem & successionem Noë & filiorum ejus, qui soli erant salvandi è diluvio, per quorum generationem & successionem deinceps perveniretur ad Abraham, qui primus accepit promissionem de Christo ex suo semine nascituro: & deinde ab Abraham usque ad David, cui fuit illa promissio renovata & juramento confirmata: & deinde à David usque ad Christum de domo & familia ipsius David secundùm carnem natum, ad quem tanquam ad finem & terminum respiciebat tota continentia & intentio veteris Scripturæ.

CAPUT XXXI.

Quòd vigor & puritas Elementorum faciebant ad longævitatem & fortitudinem hominum ante diluvium.

EX prædictis igitur taliter positis & declaratis habito, quòd tanta prolongatio vitæ humanæ ante diluvium, & tam A. magna & festina abbreviatio ipsius postmodum, & status ipsius in eo tenore, quo non longè post tempora Abrahæ permansit adhuc usque, habebat se & adhuc habet secundum cursum & ordinem naturalem, sicut patere potest ex rationibus & auctoritatibus inductis ad illam partem: Respondendum est ad rationes inductas in contrarium.

Ad primum ergo, quòd, sicut dicebatur, nutrimentum quantò est magis assimilabile & connaturale corpori nutriendo, tantò plus nutrit, ita & quod descinditur à superfluo nutrimenti, videlicet B. sperma & menstruus sanguis, tantò est fortius & perfectiùs ad generationem & perfectionem generatorum, quantò fuerit similius & connaturalius corpori generando. Sed magis assimilabilis & connaturalis est carni caro, quàm non caro: ergo superfluum nutrimenti de carnibus est magis assimilabile & connaturale corpori humano, quàm superfluum nutrimenti de fructibus & terræ nascentibus, & per consequens ad virtutem generationis, & perfectionem generatorum. Sed homines ante diluvium non utebantur carnibus, sed fructibus & terræ C. nascentibus &c. Dici potest, quòd licèt secundum Scripturam Libri Genesis teneri possit, quòd homines illius temporis de generatione Seth carnibus non uterentur, forsitan tùm ex voluntate Divina ipsis esse permissum, quod primò fuit expressè factum post diluvium ut habetur Genesis VIIII. *Omne, quod movetur & vivit, erit vobis in escam &c.* generatio tamen Cain poterat ab illa observantia in pluribus declinare, sicut & in aliis Cain primus, & post eum sua posteritas declinavit. Habebat enim illa ætas duo præcepta naturalia, scilicet: *Quòd tibi vis fieri,* D. *fac alteri, &c; quod tibi non vis fieri, ne feceris alteri*; & duo Legalia Sacramenta ab Adam sibi tradita, scilicet oblationem primitiarum, & solutionem decimarum, quæ utraque Cain in occisione fratris sui primus transgressus fuit, & per consequens faciliori animo potuit transgredi cætera quæcunque una cum sua posteritate, quæ tota etiam in diluvio periit.

Sed quia ista ratio non sufficeret quantùm ad illos, qui fuerunt de generatione Seth, qui manserunt in cultu DEI & præ-

& præceptis ipſius, & quibus ſcilicet & primis uſus carnium primò poſt diluvium fuit conceſſus, unde per conſequens haberi poteſt, quòd ipſis ante diluvium uſi non fuerunt: Ideo dicendum, quòd ad fortitudinem corporum & longævitatem vitæ in hominibus illius temporis ante diluvium non ſolùm faciebat recentia & novitas humanæ naturæ ex vicinitate ad primum principium ſuæ generationis à parentibus primis, ſed puritas & ſalubritas ac æqualitas aëris & virtus aquæ & terræ nondum per diluvium infectæ, quæ ex ſe majoris virtutis & vigoris ſemina & fructus producebat. Undè cùm radices & herbæ, & fructus diverſarum plantarum & arborum non ſolùm ſint in uſum & eſum nutrimenti & reſtaurationem deperditi; verùm etiam in medicinam confortationis & conſervationis virium naturalium per ſuas virtutes naturales elementares & complexionales, & inſuper per virtutes cœleſtes eis à ſtellis & planetis influxas, per quas habent confortare & conſervare vires naturales in corporibus humanis: rationabile eſt, quòd homines illius temporis ſic, ùt prædictum eſt, tunc ſe habentes, & hujusmodi fructibus utentes longiorem vitam & robuſtiora corpora habuerunt. Sicut etiam quidam Sancti dicunt, quòd Adam in Paradiſo per uſum & eſum ligni vitæ & aliorum fructuum ibidem à morte potuerit conſervari tanquam per cauſam ſua virtute prohibentem corrumpens.

CAPUT XXXII.

Quòd non omnis cibus conveniens nutritioni convenit etiam generationi, & ſimiliter econtrario.

AD illud ergo, quòd primò objicitur, quòd nutrimentum, quantò eſt plus conſimile, tantò plus nutrit: & ita eodem modo ſuperfluum nutrimenti, quantò eſt à ſimiliori nutrimento deciſum, tantò eſt aptius ad generationem. Sed conſimilior eſt carni caro, quàm non caro. Ergo &c. Dicendum, quòd aſſimilatio nutrimenti ad corpus attenditur dupliciter, videlicet vel quantum ad virtutem nutritivam: & ſic quod magis aſſimilatur nutriendo in materia & ſpecie, faciliùs & velociùs nutrit & melius, ſicut caro carnem. Vel quantùm ad virtutem generativam: & ſic

A. quod magis aſſimilatur generationi quàm ad naturam & virtutem generandi, eſt utilius & efficaciùs ad generandum. Virtus autem efficacior ad generandum activè eſt caliditas ſecundùm Philoſophum in Problematibus. Quia generatio activè fit duabus virtutibus & operationibus, videlicet ſeminis deciſione & expulſione. Calidum verò naturale eſt, quod deſcindit & expellit: Humidum verò eſt quod deſcinditur & expellitur. Unde non omne, quod velocius & faciliùs nutrit, eſt habilius ad generationem: quia quædam frigida & humida, vel frigida &

B. ſicca conſimilia ſibi corpus faciliùs & velociùs nutriunt, cùm nutrimentum aſſimiletur nutriendo virtute adtractiva: ſimilia autem attrahunt ſimilia: frigiditas verò cùm humiditate vel ſiccitate non eſt apta generationi ex ſua qualitate, licèt ſit apta nutritioni corporum conſimilium mediante attractiva virtute. Hoc autem patet ex eo, quia quædam herbæ & ſpecies plantarum, quæ parum vel nihil nutriunt ſua virtute, tamen multùm faciunt ad generationem ad conceptum, ſicut patet in libris Medicinalibus & experimentalibus, quorum aliqui etiam ſunt de

C. ſubjecto medicinæ.

CAPUT XXXIII.

Quòd major fuit virtus & vigor plantarum & fructuum & herbarum ante diluvium, quàm poſtmodum.

AD ſecundum verò, quòd calidum & humidum conveniens humanæ complexioni, & per conſequens generationi, debet eſſe calidum & humidum proportionatum & contemperatum complexioni humanæ, ut ex conſequenti ſit aptum generationi: tale autem non eſt nutrimentum plantarum: quia terreſtritas vin-

D. cit in plantis. Ergo &c. Ad hoc dicendum, ſicut prius dictum in ſolutione proximi argumenti, quòd calidum plantarum non excedens, nec corrumpens complexionem & harmoniam humani corporis in multis fructibus & plantis eſt confortativum caloris naturalis, & plus etiam carnibus & aliis cibis, & per conſequens etiam confortativum generativæ virtutis.

Quod autem objicitur, quòd terreſtritas vincit in plantis, quæ, cum habeat in ſe frigiditatem & ſiccitatem, diſcon-

convenit digeſtioni & generationi, quo- A. rum utrumque fit per calidum & humidum &c. Dicendum, quod ratio iſta arguit ex particulari concludens univerſaliter. Quia licet omnes plantæ ſint terreſtres magis ex ſua prima compoſitione, quia in eis vincit terreſtritas: hoc tamen eſt accipiendum materialiter & originaliter, non virtualiter & formaliter: quia multæ ſunt calidiores & humidiores quibusdam animalium carnibus in ſua ſubſtantia & effectu. Unde poteſt diſtingui, quòd, cùm ſecundùm Philoſophum in libro de Plantis, planta generaliter habeat quatuor vires: unam ex natura terræ, aliam ex natura aquæ, tertiam ex natura aëris, & quartam ex natura ignis, terreſtritas illa in quibusdam generibus & ſpe- B. ciebus plantarum eſt benè immerſa & infixa ſuo humido, & e contrario ſuum humidum ſuo ſicco, & per conſequens commiſcibilis & bene digeſtibilis in ipſo & cum ipſo, & hoc minus repugnat digeſtioni & nutritioni, & per conſequens generationi. Quædam verò terreſtritas quarundam plantarum eſt magis ſeparata à ſuo humido, & per conſequens minus permiſcibilis & digeſtibilis cum ipſo, & C. talis non eſt benè apta nutritioni vel generationi. Eſt autem vèriſimile, quod ſicut hodie in quibusdam locis, in quibus frumenta non benè vel etiam minimè proveniunt, homines ad ſuum paſtum eligunt & aſſumunt ex plantis & terræ naſcentibus, quæ poſt frumentum magis æſtimant, & magis experti ſunt humano paſtui convenire, ſicut glandes quercuum & fagorum, & genera corticum quarundam & herbarum conficiendo exinde farinam & panes: ita homines illius temporis, ſcilicet ante diluvium propter re- D. centiam & novitatem ac vigorem originalem omnium terræ naſcentium, majorem copiam ad eligendum nobiliora & meliora fructuum & plantarum ad cibum connaturalem humano corpori habuerunt, rejectis & vitatis illis, quæ humano cibo minus congruentia ſciebant, & eſu & experimento probaverant, ſalva illa dubitatione, utrum omnes homines illius temporis uſum carnium habuerint, vel non habuerint, vel aliqui ſic, aliqui verò minimè.

CAPUT XXXIV.

Quòd pinguedo & dulcedo quorundam fructuum & plantarum eſt magis durabilis & reſiſtens reſolutioni.

AD tertium quod dicebatur, quòd humidum naturale conveniens nutrimento & generationi eſt humidum pingue & unctuoſum, qualis eſt humiditas carnium, non facilè ſolubilis à corpore, nec defluxibilis: humidum autem plantarum eſt facilè reſolubile & deſiccabile. Ergo &c. Dicendum, quòd non ſolùm tale humidum pingue & unctuoſum, quale eſt humidum carnium, ſed etiam humidum dulce, quale eſt humidum quarumdam plantarum, eſt multùm conveniens cibus nutritioni & generationi, ſicut eſt dulcedo ficuum & dactylorum, & quorumdam ſuccorum florum & herbarum, quæ humiditas nihilominus habet ſecum ſuam pinguedinem & unctuoſitatem: propter quod in corporata ſumentibus per modum cibi benè nutrit, & non eſt facilè reſolubilis à corporibus, ſed corpus magis corroborat & confortat: quia natura ac potentia & efficacia unctuoſitatis & pinguedinis & dulcedinis eſt principaliter & per prius in plantis tanquam in primo & proprio ſuo ſubjecto, & per ulteriorem & ſubtiliorem digeſtionem in animalibus. Unde ratione ſubtilitatis & paucitatis eſt minùs durabilis, & faciliùs reſolubilis in animalibus quibusdam, quàm in plantis quibusdam, in quibus ratione ſuæ compactionis & multitudinis magis durat, & difficiliùs reſolvitur ac tardiùs. Propter quod etiam plures plantarum & arborum magnarum, in quibus illud humidum eſt multum & compactum, ſunt longæ vitæ & durationis plùs, quàm animalium.

CAPUT XXXV.

Quod ad perfectionem naturæ non eſt aqualitas operoſa circa ſingulos plantas.

AD quartum, quod dicebatur, quòd calidum & humidum plantarum deficiat ſecundùm intenſionem calidi & humidi naturalis & vitalis, cùm ſit humidum fluxibile & aquoſum, & quòd deficiat per conſequens quantum ad extenſionem virtutis

tutis & operationis, & ita non ſit aptum A. nutritioni & generationi & incremento & conſervationi viventium, ſcilicet plantarum & animalium &c. Patet reſponſio ex iis, quæ jam dicta ſunt in ſolutione & reſponſione ſuperiùs ad tertium argumentum. Quia non omnium plantarum humidum eſt fluxibile & aquoſum, & ex conſequenti deficiens, quantùm ad intenſionem calidi & humidi naturalis, & quantùm ad extenſionem ſuæ virtutis & operationis, ſed quorundam tantùm, quæ ſunt in ſuo genere debiles & diminutæ, per conſequens deficientes à perfectione aliarum, quæ ſunt ſecundum ſuam ſpeciem fortiores & majores, quia B. perfectiores. Cujus cauſa eſt: quia, ùt dicit Philoſophus in Problematibus naturalium parte X. natura non ſimiliter circa omnia, ſed circa optima eſt magis operoſa ad perfectionem ipſorum: ſicut & ars non circa omnes partes domûs, ſed circa principaliores & magis neceſſarias ad perfectionem & durationem domûs eſt magis ſtudioſa.

CAPUT XXXVI.

Quòd inferiora corpora non ſemper nec C. *æqualiter recipiant influxiones ſuperiorum.*

POſt prædicta etiam reſpondendum eſt ad rationes, quæ ponebantur ſuperiùs contra hoc, quòd tam feſtina & multa abbreviatio vitæ hominum poſt diluvium potuerit procedere ſecundùm communem & conſuetum rerum ordinem & curſum naturalem.

Ad primum ergo, quod dicebatur, quòd ſecundùm Commentatorem II. de Generatione & Corruptione circa finem, periodi vitæ humanæ naturaliter menſurantur & terminantur ſecundùm motum D. Solis & Lunæ, & aliorum planetarum. Ergo etiam ſecundùm mutationem & revolutionem motûs ipſorum longitudo & brevitas vitæ in hominibus mutantur & revolvuntur. Sed maximis motibus & revolutionibus planetarum jam à ſuo diluvio huc uſque ad ſua initia multoties reverſis, videlicet poſt quemlibet millenarium annorum, ut patet per Ptolomæum, ſicut ſuperius oſtendebatur, ætates hominum non ſunt reverſæ ad ſuam primævam longævitatem. Ergo nec earum abbreviatio eſt cauſata vel menſurata & terminata à motu & ſecundùm motum planetarum &c.

Dicendum, quòd ſecundùm Philoſophum II. de Anima, actus activorum non ſunt niſi in patiente diſpoſito. Ideo ante diluvium ſtante adhuc diſpoſitione corporum humanorum in ſuo originali vigore ex vicinitate ad principium ſuæ generationis & parentibus primis & continentibus exterioribus, ſcilicet aëre & aqua & terra nondum infectis per diluvium & mutatis à ſua originali fortitudine & vigore, conſequenter etiam tunc duravit illa originalis prolongatio vitæ humanæ. Subſecuta verò per diluvium infectione & mutatione elementorum & continentium exteriorum & elongatione ſecundùm tempus à principio humanæ generationis ex parentibus primis etiam humana corpora ſunt ſemper plus & plus debilitata & diminuta in ſuo vigore & quantitate, & per conſequens fortitudo & vigor corporum humanorum non redivit nec redire potuit ad ſuum primum ſtatum ideo, quia non fuerunt poſtmodum ita capacia ad recipiendum impreſſiones & effectus corporum ſuperiorum, licèt ipſa corpora ſuperiora nihilominus ſuis temporibus ſemper redierint & redeant ad ſuum curſum.

CAPUT XXXVII.

Quòd iſta tria elementa: aër, aqua, & terra ſunt ejuſdem vigoris nunc ſicut ante diluvium.

AD ſecundum quod dicebatur: omne calidum eſt calidum per naturam primi calidi, & frigidum per naturam primi frigidi, & ſic de ſicco & humido: ignis autem eſt primum calidum, & aqua primum frigidum. Ergo ſicut ignis eſt ita calidus nunc, ſicut ante diluvium, & ſicut ab initio mundi fuit, ſic & aqua eſt ita frigida, & ita ſicca terra, & aër ita humidus, ſicut ab initio: quia iſta elementa ſunt prima rerum principia; principia verò rerum ſunt immutabilia, alioquin deſtrueretur ordo univerſi. Ergo & impreſſiones & effectus ipſorum in compoſita & in commixta ex eis ſunt immutabiles & ita ſe habentes nunc, ſicut

cut ab initio. Vita autem & vitæ prolongatio eſt effectus calidi & humidi in viventibus. Ergo & vita & vitæ prolongatio in viventibus habet ſe nunc, vel habere ſe debet ordine naturali, ſicut ſe habebat ab initio. Sed non habet ſe nunc, ſicut tunc. Ergo hoc eſt factum præter curſum & ordinem naturalem &c.

Dicendum, quòd omnium quæ ſunt in univerſo, quædam ſunt, quæ mutant alia, ſed non mutantur ab aliis, ut corpora cœleſtia & omnia ſuperiora, & iſta ſunt ſimpliciter ſumma & prima principia rerum, de quibus verum eſt ſimpliciter, quòd ſunt immutabilia. Quædam autem ſunt, quæ mutantur tantum ab aliis, ſed non mutant alia, ut ſunt inferiora, quæ ſunt ultima compoſitorum in natura, in quorum formis adeptis intentio & operatio naturæ quieſcit ut in termino & in fine. Quædam autem ſunt quæ mutant alia & mutantur ab aliis ut media inter ſuperiora & inferiora, ſcilicet ipſa elementa, quæ à ſe ipſis & à corporibus ſuperioribus mutantur & variè afficiuntur & inficiuntur, & ipſa mutata ſic, & affecta, & infecta mutant & afficiunt & inficiunt ſua contenta & ex eis compoſita commixta.

Dicendum ergo, quòd de igne in ſua ſphæra poteſt eſſe verum, quod eſt ita calidus nunc, ſicut ante diluvium, & ab initio fuit: quia diluvium ad ſphæram ignis non aſcendit, & quia ignis eſt purè actus, & à ſuo contrario poteſt quidem corrumpi, ſed nequaquam mutari ſalvâ ſuâ ſubſtantiâ & naturâ, niſi à corporibus ſuperioribus forte poſſit ejus combuſtio reſpectu inferiorum elementorum intendi & remitti effectivè in aliquibus aſpectibus vel conjunctionibus planetarum. De aliis verò elementis ſcilicet de aëre, & terra, & aqua dicendum, quòd iſta à corporibus ſuperioribus poſſunt variè transmutari & alterari ſecundum diverſitates aſpectuum & loca & tempora conjunctionum planetarum, & ſeparationum eorum adinvicem, & ab invicem, & ad luminaria * accedendo & recedendo, ita quòd aëris qualitas in ſe transmutata vel quomodolibet alterata à ſuperioribus hujusmodi cauſis & influentiis, transmutat & alterat aquam, & aqua terram & econtrario, ſecundum

* ſ. Lunaria.

A. quod elementorum illorum quodlibet vel agit in alterum vel patitur ab alio facilius nunc & futuris temporibus deinceps poſt diluvium, quàm ante, cum non adhuc tam forti & frequenti turbulentiæ ſubjacebant propter majorem virtutem hujusmodi paſſionibus & impreſſionibus reſiſtendi. Unde poteſt dici, quòd, licèt unumquodque elementorum inferiorum à ſuo contrario non impeditum nec alteratum habeat ſe ſecundum ſuam naturalem virtutem & originalem menſuram ſuis qualitatibus, & uniformiter in ſe & ſimpliciter, recipiunt tamen intenſionem

B. & remiſſionem earundem qualitatum per mutuam alterationem à ſe ipſis & cauſis prædictis.

CAPUT XXXVIII.

Quod alii homines aliis patiuntur majores corporum & virium reſolutiones.

AD tertium, quod dicebatur, quòd tempus generationis & corruptionis ſunt æqualia naturaliter, ſecundum quod dicit Philoſophus II. de Generatione & Corruptione, & per conſequens tempus

C. augmenti & diminutionis naturalis. Ergo ſi longævitas in hominibus ante diluvium erat naturaliter ad minus DCC LXXV. annorum, & hoc duravit in tali curſu per duo millia annorum & CC XLIV. annos usque poſt diluvium, ut ſuperius dicebatur, & poſt diluvium incepit decreſcere illa longævitas: ergo pro medietate ſui debuit decreſcere ad medietatem ejusdem temporis, ita quòd completis ſeu decurſis poſt diluvium mille centum XXII. annis, adhuc debuit ſtare longævitas hominum fere circa CCC LXXXV. annos. Sed à dilu-

D. vio usque ad Abraham fluxerunt anni DCCCC XL. Ergo poſt tempus Abrahæ anno CC XVIII. completa medietate prædicti temporis, quod fluxit à creatione Mundi usque ad diluvium, videlicet transactis à diluvio mille CXXII. annis naturalis & communis longævitas hominum debuit extendi, adhuc ad minus CCC LXXXV. annos aut modicum infra vel ſupra. Sed circa illud tempus & deinceps hucusque nullus hominum invenitur tantum tempus

pus ætatis attigiſſe. Sed circa CL. annos usque ad David, & demum circa LXXX. vel centum annos extendebatur longævitas vitæ humanæ. Ergo tam velox & multa abbreviatio longævitatis hominum poſt diluvium non cucurrit curſu & ordine naturali &c.

Dicendum, quòd, licèt dicat Philoſophus II. de Generatione & Corruptione, quòd tempus generationis & corruptionis naturaliter ſe habentia ſunt æqualia, ſubjungit tamen Philoſophus ibidem, quòd aliquando corruptio fit in minori tempore, quod contingit per viam accidentis ſecundùm Commentatorem ibidem. Quia quidam homines ſecundùm ſuas complexiones, & ſecundum diverſitates temporum & locorum, & aliarum cauſarum extrinſecarum poſt tempus juventutis appropinquante tempore ſenectutis patiuntur frequentiores & fortiores revolutiones tam ſenſibiles quàm inſenſibiles, unde tales citius ſeneſcunt, & citius per conſequens moriuntur.

Intelligenda autem eſt reſolutio hujusmodi fieri dupliciter ſecundùm Philoſophum in Problematibus parte prima, titulo de Problematibus Medicinalibus, videlicet ſecundùm corpus, & ſecundùm vires corporis, quæ tamen non communiter ſibi coaccidunt, nec ſe neceſſario conſequuntur. Quia aliqui patiuntur reſolutiones virium in corporibus pinguibus & groſſis: aliqui verò patiuntur reſolutiones habitudinis corporis ſalvis viribus & adhuc fortibus manentibus & illæſis: aliqui verò viribus ſimul & corporibus reſolvuntur. Et ſecundùm hoc vita brevior & longior efficitur iis & illis. Unde omnia reſolventia & diſſolventia vires & corpora inducunt velocitatem ſenectutis & brevitatem vitæ, ſicut vigilia, & coitus, & labor, & defectus nutrimenti neceſſarii & congrui, & tempora & loca ſecundum ſuas qualitates ad hoc facientia.

Eodem modò poteſt dici de augmento & decremento naturali in corporibus. Quia corpora nec æqualiter creſcunt in qualibet parte temporis ſui crementi, nec æqualiter deficiunt aut decreſcunt in ſua quantitate & habitudine. Quia quidam puerorum aut juvenum creſcunt in pauco tempore multum: alii

A. verò in multo tempore modicum, ut dicit Philoſophus XV. de Animalibus, quòd incrementa corporum magis feſtina ſunt in infantia, quàm in pueritia vel juventute, ita quòd homo creſcit in quinque annis primis ad medietatem totius ſuæ futuræ longitudinis. Quare autem corpora viventium non decreſcant ſecundum longitudinem, & creſcant & decreſcant ſecundùm groſſitudinem, non eſt neceſſarium nec opportunum dicere ad præſens.

Dicendum itaque, quòd nihil impedit abbreviationem tam multam &
B. feſtinam longævitatis hominum poſt diluvium naturali curſu & ordine cucurriſſe: quòd prolongatio ante diluvium & abbreviatio poſt diluvium non eſt facta ſecundùm proportionem æqualium temporum ad invicem. Quia tam ſubita & magna mutatio & alteratio elementorum ad turbulentiam, quam diluvium cauſavit in ipſis, per conſequens induxit reſolutiones & debilitationes & fortes & veloces virium & corporum humanorum, unde de neceſſitate ſubſecuta eſt tam velox & multa abbreviatio vitæ humanæ poſt diluvium. Cujus non im-
C. probabile ſignum eſt, quòd etiam ante diluvium ille Mathuſale, qui longiſſimæ ætatis legitur fuiſſe, videlicet DCCCC LXV. annorum, octava generatione ab Adam legitur deſcendiſſe, cùm plures eorum, qui fuerunt medii inter ipſum & Adam, legantur annis paucioribus vixiſſe, & filius ſuus Lamech poſt eum vixit ætate breviſſima, quæ legitur ante diluvium fuiſſe, videlicet DCCLXXVII. annis tantùm. Ex quo patet, quòd longævitas & brevitas ætatum ante diluvium non curreſbat ſecundùm ordinem & proportionem diſtantiæ temporum &
D. annorum decurrentium à primo homine usque ad diluvium ad numerum annorum ætatis ſingulorum hominum, ſed magis ſecundùm plures & pauciores & fortiores ac minores reſolutiones virium & corporum in illis hominibus. Sicut etiam invenitur, quod poſt diluvium longitudinis ætatum abbreviatio non currebat ſecundùm ordinem annorum priorum, & poſteriores ita ut priores tempore longiùs viverent in illa ætate mundi, & poſteriores tempore breviùs: ſed

mixtim & vicissim, nunc illi, nunc isti A longius vixerunt, sicut legitur Genes. XI. quòd Nachor avus Abrahæ vixit CXXXVIII. annis, cùm nepos ejus ipse Abraham vixit CLXXV. annis.

CAPUT XXXIX.

Quod est aliquis certus terminus & status abbreviationis naturalis circa vitam humanam.

AD quartum quod dicebatur, quòd, si secundùm majorem distantiam secundùm tempus à primo principio generationis suæ homines brevioris vitæ esse B cœperunt: Ergo deinceps quantò plus distabunt, tantò erunt vitæ brevioris. Sed tempus durabit in infinitum, vel ad minus ipse mundus in infinitum durabit in futurum, cùm sit perpetuus nec habiturus terminum. Ergo & ætates hominum abbreviabuntur in futuro in infinitum & sic usque in nihilum, & per consequens cessabit humana species in futurum &c.

Dicendum, quòd hoc, quod dicitur, quod tempus facit res distare à principiis suæ generationis, & per consequens semper plus & magis debilitari & defi- C cere in se ipsis &c. non est intelligendum, quòd res deficiant in infinitum & in nihilum propter longitudinis tempus in infinitum, sed usque ad ultimum statum, infra quem non possunt in sua specie consistere & salvari: sicut etiam possunt secundùm suam quantitatem diminui usque ad parvitatem, in cujus minori non possunt in sua specie permanere. Unde cùm longitudo ætatis humanæ vitæ post diluvium à tempore Abrahæ sit abbreviata & redacta usque ad centum annos & modicum ultra vel infra communiter & naturaliter quantùm ad spe- D ciem humanam, & hoc quantum ad ultimum naturalis & communis suæ brevitatis, sicut superiùs dicebatur: Propter hoc amodo illa abbreviatio in illo modo & mensura tanquam in illo termino suo stabit, quantum ad totum genus humanum, non obstante, si secundùm aliquam diversificationem aliquorum temporum vel locorum quantùm ad causas & occasiones & exceptivas & excessivas majorum & fortiorum resolutionum, vel prohibitionis ipsarum, vita hominum in quibusdam temporibus sive locis ultra vel citra communem longitudinem vel brevitatem vitæ humanæ ut nunc prolongetur vel abbrevietur, sicut narratur de longævitate vitæ habitantium in loco, qui dicitur *Trivallis*. Et sicut Plinius refert in Historia Naturali, adhuc esse in Oriente gentem quandam, ubi vivitur communiter CC. annis. Similiter & in Insula Indiæ quæ dicitur Taprobane, ùt scribit Solinus cap. XLVII. & de brevitate vitæ habitantium circa Insulam Solis positam in sinu Arabico, in qua & circa quam nullum genus animalium potest generari vel vivere, & illuc animalia adducta modico tempore vivunt, ùt narrat idem Solinus cap. XLVIII. quod contingit in illis locis tam per causas materiales inferiores & dispositiones illorum locorum, quàm etiam per causas efficientes separatas & superiores propter aspectus planetarum & stellarum quarundam respectu luminarium secundùm situm illorum locorum ad viam & directionem Solis, à quo principaliter influitur in inferioribus virtus & motus vitalis, ùt habetur in libro de Natura Locorum.

CAPUT XL.

Quòd divinum beneplacitum vel judicium non excluditur ab iis, qui fiunt præter cursum vel secundùm cursum naturalem.

AD illam verò conclusionem, quæ post prædicta ex ipsis argumentis sive rationibus infertur, videlicet, quòd, cùm secundùm viam ipsorum argumentorum non possunt inveniri nec apparere aliquæ certæ & fixæ naturales causæ, secundùm quarum ordinem ipsum diluvium & prædicta prolongatio & abbreviatio vitæ humanæ ante & post diluvium regulari poterit & mensurari: ex consequenti relinqueretur, quòd ipsius causa divino beneplacito & judicio rectè tribuatur tanquam causata & facta præter cursum & ordinem naturalem &c.

Di-

Dicendum, quòd magnæ & universales mutationes & alterationes rerum inferiorum, quantùm ad ſua principia, poſſunt reduci vel ad primam cauſam ſuperiorem moventem, vel ad cauſas proximas etiam conjunctas. Si ergo loquamur de prima cauſa ſuperiori movente ad inductionem diluvii, ex quo ergo talem cauſam ex parte aſpectuum & conjunctione corporum ſuperiorum habentium terminum & multiplicationem humiditatum & effuſionem & diffuſionem marium & aquarum pro illo tempore, non eſt nobis poſſibile invenire ex eo, quòd æquationes & loca planetarum tunc ſe ſic vel ſic habuiſſe ignorantur propter incertitudinem numeri annorum à principio mundi usque ad diluvium: quia tam Chronici ſcriptores, quàm etiam magni Doctores Eccleſiaſtici circa illum numerum non inveniuntur omnimodis concordare: Similiter & Hebræorum codices inveniuntur à noſtris libris, & etiam alii interpretes ab aliis circa numerum annorum mundi, quantùm ad temporum articulos diſcordare, ùt expreſſe habetur per Auguſtinum XV. libro de Civitate Dei, & etiam ut ipſe Auguſtinus dicit: quòd conſuetudo eſt ſacræ Scripturæ aliquando annos non integros pro integris computare, quæ cauſa ſummas numerorum in annorum computationibus facit aliquando etiam diſcordare: Propter hoc circa iſtud dubium hoc cautius dici poteſt, quòd ſi illud magnum diluvjum tunc cauſatum eſt ab aliquibus aſpectibus ſeu concurſibus planetarum ad loca, ubi & unde tales effectus in inferioribus conſequuntur, hoc non excludit divinum judicium ſeu beneplacitum circa ipſius diluvii eventum. Sicut divina præſcientia & prudentia curſum ſuperiorum ad regimen inferiorum in hoc mundo diſpoſuit, & præordinavit: ita & effectus in inferioribus conſequentes ipſum curſum eidem curſui vel ſubordinavit, vel coordinavit. Sed ſi præter tales cauſas ſuperiores tunc ad effuſionem & diffuſionem diluvii concurrentes ſolo nutu & voluntate DEI in pœnam peccantium evenit ipſum diluvium, ſicut verba libri Geneſis innuere videntur, ut legitur Geneſ. VI. cum præmiſſione cauſæ ipſius diluvii *videns*, inquam, *DEUS, quod multa eſſet malitia hominum in terra &c.* nihil ſequitur inconveniens aut repugnans. Quia DEUS poteſt educere & perducere cauſarum effectus ſuperiorum vel inferiorum præter ipſas cauſas vel per ſe immediatè, vel mediantibus virtutibus & operationibus Angelicis ad vindictam vel perditionem malorum, ſicut dicitur Job. XXXVIII. *Nunquid ingreſſus es theſauros nivis vel theſauros grandinis aſpexiſti, quæ preparavi in tempus hoſtis in diem pugnæ & belli &c.* Pſalmus: *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus &c.* Quæ omnia DEUS mediantibus virtutibus Angelicis commovet ubi vult, quando vult juxta illud Eccl. XXXI. *Sunt Spiritus, qui ad vindictam creati ſunt &c.* Unde etiam dicitur Exod. XIV. *Tollens ſe Angelus DEI, qui præcedebat caſtra Iſraël abiit poſt eos &c.* Et deinde ſubjungitur; *Cumq; extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit Dominus illud flante vento vehementi & urenti tota nocte & convertitur in ſiccum.* Unde dicitur Sap. V. *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* Item XVI. *Creatura tibi deſerviens factori excandeſcit in tormentum adverſus injuſtos.* Similiter ad protectionem & conſolationem ac confortationem bonorum multa per virtutes Angelicas taliter leguntur facta, ſicut dicitur Daniel. III. quòd Angelus Domini deſcendit cum Azaria & Sociis ejus in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace &c. Unde dicendum eſt, ſicut Doctores dicunt & tenent, quòd illud diluvium nutu DEI per virtutes Angelicas ad hoc moventes ſuperiora agentia & inferiora ad confluxum aquarum ſuperiorum & inferiorum eſt inductum illi originali mundo & generationi hominum ipſorum: ſicut etiam in conſummatione ſæculorum conflagratio mundi per concurſum ignium ſuperiorum & inferiorum ſimiliter inducetur, juxta illud Luc. XXI. *Nam virtutes cœlorum movebuntur.*

CAPUT XLI.

Generalis diſtinctio eorum quæ fiunt præter curſum vel ſecundùm curſum & ordinem naturalem.

ULtimò ad rationes probantes, quòd diluvium inductum ſit ſolo nutu & voluntate Divina præter rerum curſum & ordinem naturalem: Reſpondendum, quòd de curſu & ordine rerum poſſimus loqui dupliciter: vel in quantum ille curſus & ordo procedit ſecundùm cauſas & principia motus ipſis rebus formaliter & originaliter inditas: & talia dicuntur fieri naturaliter. Vel in quantum procedit à cauſis ſeu principiis moventibus ipſis rebus ſolummodo vitaliter applicatus, ſcilicet à virtutibus & operationibus Angelicis: & talia dicuntur fieri præter curſum & ordinem naturalem: cùm primum principium motûs in talibus non ſit à virtute formaliter indita, ſed ipſis rebus naturalibus virtualiter applicata, ut naturali actione & paſſione ſe invicem contingant ad educendum de potentia materiæ effectus, quorum quaſi ſemina quædam in ipſa potentia materiæ præexiſtunt: propter quod etiam nec boni nec mali Angeli dicuntur res creare, ſed ſolummodo principia activa & paſſiva naturalia ſua virtute ad invicem applicare, ut eorum mutua actione & paſſione effectus tales vel tales velociùs & faciliùs educantur, ùt dicit Auguſtinus III. libr. de Trin. cap. VII. Licèt nutus & beneplacitum DEI nequaquam excludatur nec ab iis, quæ fiunt ſimpliciter ſecundùm ordinem naturalem communem, vel quæ fiunt præter rerum curſum naturalem & conſuetum, cùm in univerſo nihil fieri valeat, niſi DEO volente vel permittente. Et hæc de propoſita quæſtione ſufficiant ſic ad præſens, donec circa ipſam aliquid fortè melius à melioribus videatur, quod nec erubeſco recipere, nec recuſo.

Explicit Tractatus de quæſtione illa: utrum homines ante diluvium ex cauſis naturalibus & principiis tam longo tempore vixerint, ſicut legitur in libro Geneſis.



VEN.

VEN. ENGELBERTI
Abbatis Admontensis
Ord. S. Benedict.

DE

GRATIIS
ET
VIRTUTIBUS
BEATÆ ET GLORIOSÆ
SEMPER VIRGINIS
MARIÆ
TRACTATUS.

Prodit nunc primum in lucem è MS. Codice Inclytæ Carthusiæ Gemnicensis in Austria, collato cum Cod. Admontensi & B. Mariæ Virg. Scotensis Vindobonæ, operâ Ven. D. P. Leopoldi Wydemanni, Bibliothecarii Gemnicensis.

VEN.



VEN. ENGELBERTI Abbatis Admontens.
TRACTATUS
DE
GRATIIS ET VIRTUTIBUS
B. V. MARIÆ.

Incipit Proëmium.

L*Ætetur anima vestra in misericordia ejus; & non confundemini in laude ipsius.* Eccles. ultimo. Gloriosam Virginem, DEI Genitricem Mariam (quæ in summæ Dignitates & gloriæ titulum accepit, & meruit apud DEum habere cum DEO communem filium, & per consequens regni misericordiæ indivisum cum Filio imperium) universalis Ecclesia, & unaquæque devora & fidelis anima dignè & justè, ut Reginam Misericordiæ, precibus & laudibus invocat & implorat: credens firmiter, & sperans fideliter; nihil Divinæ complacentiæ gratius, nihil humanæ indigentiæ utilius, nihil nostræ insufficentiæ supplendæ efficacius posse ad salutem provenire; præsertim cùm filius sibi tanquam Matri nihil deneget petenti, & omnia, quæ petierit, impetranti juxta illud tert. Regum cap. 2. *Pete Mater mea; neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.*

Cod. Admont. & Gemnic. pervenire.

Sed quoniam ab insistendo & persistendo in laudibus ipsius gloriosæ Virginis quosdam retrahit & retardat acedia tanquam attædiatos; quosdam verò diffidentia tanquam spe frustratos: Spiritus Sanctus, omnis boni Doctor & inspirator in verbis propositis hortatur nos primò ad laudandi diligentiam post posita acediâ, cùm dicitur: *Lætetur anima vestra.* Quia sicut tristitia causat acediam, ita lætitia diligentiam. Secundò confortat nos ad perficiendam confidentiam remotâ diffidentiâ, cùm additur: *In misericordia ejus.* Tertiò promittit nobis ipsius laudis fructum & efficaciam non A. obstante nostra insufficientia, cum subjungitur: *Et non confundemini in laude ipsius.*

Igitur ad dignè & rectè laudandam, & utiliter ac efficaciter invocandam Virginem gloriosam in lætitia animæ, sive in desiderio & conatu omnium virium ipsius animæ, juxta illud Psalmi: *Proxima ejus afferentur tibi in lætitia & exultatione*, totius spei nostræ anchoram figit nobis Spiritus Sanctus in ipsius Virginis misericordia, cum dicit: *Lætetur anima vestra in misericordia ejus.* Quam B. lætitiam in omni tristitia causat spes concepta & habita de ipsius misericordia, quæ est Regina misericordiæ juxta illud Isaiæ 16. *Præparabitur in misericordia solium ejus.* Unde cum Regina dicatur ab ea ratione, quod sit potens super ea, quorum est Regina: ergo ipsa Regina misericordiæ potens & super misericordiam, ad dandum & impetrandum & augmentandum ac conservandum misericotdiam omnibus, quibus voluerit misereri. Ps. 44. 15.

C. Spes verò ejus misericordiæ, laudantes ipsam gloriosam Virginem non solum lætificat, ut laudent in jucunditate, juxta illud Psalmi: *Jucundum sit ei eloquium meum;* & non solum confortat Psalmi *ad videndum in bonitate electorum ejus, in lætitia gentis tuæ*: Sed etiam rectificat & informat, ut laudent in veritate, ne confundantur de falsitate. Propter quod subjungitur: *Et non confundemini in laude ipsius.* Videlicet vel in lau-

Ps. 103. 34.
Ps. 105. 5.

laudando virtute nostra defatigata, vel A. spe salutis frustrata, vel veritate per falsitatem mutata. Quorum unumquodque laudantis spem confundit: quia dignis & veris, & non falsis laudibus delectatur ipse DEus. Unde super illud primâ ad Corinth. 15. *Invenimur falsi testes* &c. dicit Glossa Augustini: *Perhorrendum est aliquid falsi de DEO dicere, etiamsi ad laudem ejus videatur pertinere; quia non minori, sed majori fortassis scelere in DEO laudatur falsitas, quàm vituperetur veritas.*

Cùm igitur per consequens Beata Virgo Maria omni laude dignissima, non solùm castis laudibus in mentis jucunditate & voluntatis bonitate, sed etiam tantis laudibus non mixta nec murata B. veritate, sit laudanda; ut laus ipsius, in quantum sincera & vera, in tantum etiam sibi fiat placita & nobis placatoria: propter hoc omissis quibusdam, quæ in pluribus libris & scriptis Apocryphis de miraculis & vita ac virtutibus ipsius habentur (quorum aliqua sicut credere est pium, ita non asserere non est impium) ex illis solùm, quæ de vita & virtutibus ipsius ex Evangeliis & aliis authenticis C. libris, & tractatibus, seu Epistolis Sanctorum habentur, vel ex eis directè per consequentiam extrahi & haberi possunt, ad honorem ipsius Reginæ misericordiæ, de pluribus pauca, quæ meis viribus & ingenio ad apprehendendum occurrere poterant, ipsius gratia adjuvante per subscripti opusculi continentiam studui legentium notitiæ ac memoriæ commendare.

Et quia secundùm Philosophum, *laus est sermo elucidans virtutis magnitudinem in laudato;* licèt magni meriti & præmii ac gaudii esset ei, qui circa laudes B. Virginis talis & tantus esse posset; ut, quantum possibile esset homini, magnitudinem & multitudinem gratiæ & gloriæ ipsius elucidaret juxta illud Eccles. 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*: Nobis tamen peccatoribus & insciis ac indignis ad ipsam laudandam sufficit, & proficit fidelis & devotus conatus; quem non spernet, nec derelinquet misericordiæ ipsius fructus & profectus: si tamen ipsius laudibus devotè insistere, & in ipsis studiosè persistere satagamus.

Præsens itaque opus juxtà prædictam intentionem distinctum est in quatuor partes. In prima parte ponentur aliqua, quæ de vita & virtutibus B. Virginis in laudem ipsius ex Evangelica historia trahi possunt. In secunda ponentur illa, quæ ex authoritatibus & dictis Sanctorum habentur de virtutibus B. Virginis circa ipsius vitam activam. In tertia agetur de illis, quæ habentur de ipsius virtutibus, & gratiis circa ipsius vitam contemplativam. In quarta parte agetur de his, quæ habentur de ipsius B. Virginis transitu ex hac vita, & glorificatione in corpore & in anima.

Cæterùm solius misericordiæ erit ipsius Virginis gloriosæ, si qualescunque laudes, quamvis suæ dignitati impares, acceptare dignabitur de ore peccatoris: quam condignè laudare non sufficiunt etiam linguæ Angelorum. Quia, ùt dicit Hieronymus, *incomparabiliter minus est à laude cœli, quidquid in laudem ipsius humanis vocibus potest dici.*

*Explicit Proëmium in Tractatum Domini Engelberti Abbatis Admontensis de Dignitate Gloriosæ Virginis MARIÆ.**

* ita Cod. Scotensis.

* Cod. Adm. Incipit expositio Evangelicæ Historiæ de vita & Virtutibus Beatæ Virginis.

*INCIPIT PROLOGUS IN TRACTATUM *DE* GRATIIS ET VIRTUTIBUS B. V. MARIÆ.

MOvere solet alios, specialiter devotos gloriosæ Virgini Mariæ, A
cur de vita & virtutibus ipsius, tam in diebus carnis Domini nostri JEsu Christi, & conversationis ipsius in hoc mundo, quàm etiam post ascensionem ejus ad cœlos, sub tempore prædicationis Apostolorum usque ad beatum transitum ipsius Virginis de hoc mundo, tam pauca, ùt ipsis pro suæ devotionis affectu videtur, inveniatur in Evangeliis & Actibus ac Epistolis Apostolorum aut aliis Scripturis Authenticis facientia mentionem de ipsius conversatione & vita ac virtutibus, & maximè de ipsius transitu B
& assumptione in corpore & in anima de hoc mundo, quam tamen Ecclesia publicè & communiter solemnizat. Ideoque quæ hujus rei causa rationabilis esse possit, à nonnullis non irrationabiliter dubitatur; ex eo, quòd ipsius Matris DEI sanctitati & dignitati conveniens & condignum, & fidelium ac devotorum ipsius saluti & utilitati congruum & necessarium esse videri potuisset, virtutes & laudes vitæ & conversationis ejus non taceri: sed alicujus authenticæ Scripturæ testimonio commendari ad fidem & memoriam veritatis & exemplum virtutis, ac profectum nostræ salutis. Quia sicut dicitur ad Roman. 15. *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus ad DEum.* Virtutes verò & gesta B. Virginis summam nobis patientiam & consolationem & spem salutis præbere potuissent, maximè dum Scripturæ authenticæ testimonio publicata fuissent.

Quapropter illud modicum, quod de hac re, licèt tantæ materiæ insufficiens & indignum ex dictis & authoritatibus Patrum & Doctorum vel ex consequentia rationum occurrentium de sacris Scripturis & earum expositionibus inquirere potui & habere, stilo præsentis opusculi studui, ut potui, explicare: Invocata primò gratia Spiritus Sancti, & patrocinio ac favore ipsius Virginis gloriosæ: cujus laudibus dignè explicandis pro ipsius gloria & meritis gloriosis licèt non sufficiant etiam linguæ Angelorum, supra quos est ineffabiliter exaltata; ipsis tamen saltem balbutiendo insistere, & ad eas conari, & ipsis immorari, quantum potest virtus humana per gratiam adjuta, valde expedit; & proficit necessitatibus peccatorum.

PARS PRIMA.

CAPUT I.

Quòd Evangelistæ de vita & virtutibus B. Virginis non omnia omiserunt, nec omnia conscripserunt.

CIrca prædictam itaque dubitationem absolvendam primò diligenter advertendum est & notandum; quòd, sicut Evangelistæ & Apostoli non omnia, quæ à Christo in diebus carnis suæ dicta & facta sunt vel circa ipsum, totaliter conscripserunt; sed ea tantummodò, quæ ad fidem incarnationis & Divinitatis ac humanitatis ipsius, & doctrinæ ac C
prædicationis, & passionis ac resurrectionis, & ascensionis ejus ad cœlos, & aliorum operum humanæ redemptionis per Christum factæ exigebant & sufficere videbantur: ut in fine Evangelii sui Joannes testatur dicens, quòd *multa quidem & alia signa fecit JEsus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credamus, quia JEsus Mariæ Filius est Christus Filius DEI: & ut credentes vitam habeamus in nomine ipsius.* Quia videlicet horum Scriptorum fides videbatur exigi, & sufficere ad salutem. Ita ipsi

ipsi Apostoli & Evangelistæ non omnia, quæ circa vitam & conversationem B. Virginis per ipsam & cum ipsa & in ipsa divinitus acta & facta sunt, omnimodis tacuerunt; nec etiam omnia omnimodis conscripserunt.

Ut igitur ad solutionem prædictæ dubitationis magis congruâ viâ valeat fortassis perveniri, est videndum primò; Quæ sint illa, quæ de conversatione & vita ac Virtutibus B. Virginis in Evangeliis & Epistolis ac Actibus Apostolorum inveniuntur expressa: Secundò, quæ videantur omissa; Tertiò, qua causa vel ratione illa videri possint fuisse expressa, & ista omissa. Istis enim tribus diligenter perspectis & inventis soluta videtur esse dubitatio prædictæ quæstionis.

CAPUT II.

Quæ Matthæus scripserit de Vita B. Virginis.

Cum igitur verificatio articulorum fidei ex dictis Evangelii quærenda fuerit & sumenda (quod Evangelium est Christianæ fidei regula & mensura) & unus articulus fidei sit; quòd Christus conceptus est de Spiritu Sancto, & natus ex Maria Virgine, proinde necessarium fuit, ut Evangelium insinuaret Mariæ Virginitatem & maternitatem; & ut per consequens exprimeret illa, quæ ad perfectam rationem veræ virginitatis & maternitatis ipsius ostendendæ exigebantur & sufficere videbantur.

Primò igitur Matthæus, qui in Hebraico Evangelium primus scripsit, tantum de virginitate & maternitate Mariæ est narratione Evangelica prosecutus; quòd ipsius Genealogiam & progenerationem de Patribus, quibus facta fuit promissio de Christo ex semine ipsorum nascituro, in principio sui Evangelii descripsit; Cap. 1. incipiens ab Abraham, & descendens secundùm ordinem genealogiæ per David usque ad Joseph virum Mariæ: quam ex ipso ordine genealogiæ usque ad Joseph consequenter innuit de familia & de domo David fuisse ex eo, quòd secundùm legem viri non ducebant uxores, nisi de tribu sua.

Deinde Cap. 2. describit consequenter modum generationis Christi de Maria, insinuans; quòd, cùm ipsa Joseph desponsata fuisset in uxorem, tanquam Virgo sponsa sponso, antequam convenirent (id est, antequam Joseph eam in domum suam traduceret, ut uxorem futuram) inventa est, ùt dicit Hieronymus, vel ab ipso Joseph, cui maritali licentia competebat ea, quæ circa sponsam suam se habebant, perquirere & cognoscere: vel inventa est à Matre sua & proximis ipsius Virginis, imprægnatam esse: & quòd pro tanto Joseph, cùm esset vir justus, & se ipsum volens custodire, nec sponsam lædere, cogitavit non velle eam in domum suam traducere: ne videretur eam non expectatis legitimis nuptiarum solennitatibus imprægnâsse, vel imprægnatam ab alio prodere in Virginis opprobrium, vel dissimulando celare alienum vitium. Ad quodlibet horum vitandum voluit eam occultè dimittere.

Ne igitur ipsa Virgo ex occulta dimissione infamaretur, & nihilominùs ipsius virginitas mundo & diabolo celaretur, & ad occultandum incarnationis mysterium JEsus Joseph filius esse putaretur; ipse Joseph monetur in somnis ab Angelo: ut postposito prædicto perplexitatis suæ timore Virginem acciperet in Conjugem suam, id est, in Domum suam traduceret ùt Conjugem. Quia, ut dicit Ambrosius super Lucam, *Dominus magis voluit aliquos de fide sui ortus dubitare & Joseph filius putari, quàm Matrem suam Virginem de adulterio infamari.*

Consequenter Matthæus descripta progeneratione Mariæ secundùm ordinem genealogiæ à Patribus, & insinuata breviter singulari generatione Christi de Maria, & virginitate & maternitate ipsius, & desponsatione ejus facta Joseph, & traductione ipsius in domum Joseph ùt in domum mariti (omissâ Angelica salutatione ad virginem, & ordine & modo & loco ac tempore nativitatis Christi de Maria) describit adventum Magorum ab Oriente & Christi nati inquisitionem & inventionem, & adorationem à Magis cum muneribus Christo oblatis, & ipsorum reversionem ad propria, & Herodis turbationem & Christi persecutionem, & parvulorum occisionem, & fugam Mariæ & Joseph cum puero in Ægyptum. Et postmodum describit mortem Herodis, & revocationem ac reditum Joseph & Mariæ cum puero de Ægypto in terram

ram Juda in civitatem Nazareth secundùm Angelicam admonitionem.

Deinde Cap. 12. describit inquisitionem Matris JEsu & fratrum ejus ad loquendum ei, cùm esset in prædicatione ad populum occupatus; & factam sibi de hoc insinuationem à quodam dicente ad JEsum: *Ecce Mater tua & fratres tui foris stant quærentes loqui tibi;* & ad hoc ipsius JEsu responsionem: *Quæ est*, inquit, *mater mea, & qui sunt fratres mei* &c.

Ultimò verò sic habetur ibidem Cap. 13. Judæi Christo detrahentes, & ipsum propter humilitatem & paupertatem parentum suorum, scilicet Mariæ & Joseph, despicientes leguntur dixisse: *Unde huic tanta sapientia? nonne hic est filius fabri*, scilicet Joseph, qui fuit faber carpentarius lignorum? *Nonne mater ejus dicitur Maria?* &c.

Hæc itaque sunt, quæ circa progenerationem Mariæ de Patribus, & singularem generationem Christi de ipsa; & circa conditionem ejus & vitam & actus, & educationem & curam ipsius JEsu à Maria & Joseph habentur scripta & expressa à Matthæo in suo Evangelio.

CAPUT III.

Quæ Marcus scripserit de vita & virtutibus B. Virginis.

Marcus verò in suo Evangelio, secundùm quod dicit Augustinus in libro contra Faustum, quæ scripsit, videntur esse quasi quædam recapitulatio & abbreviatio eorum, quæ à Matthæo scripta erant. Nec de progeneratione Mariæ à Patribus, nec de generatione Christi à Maria, nec de gestis aliquibus circa ipsam vel ab ipsa, nec de ipsius Christi educatione & curatione à parentibus facit aliquam mentionem. Sed ista omnia præsupponendo quasi à Matthæo priùs scripta (qui tanquam primus conscriptor Evangelicæ historiæ ab origine humanitatis & humanæ nativitatis Christi altiùs inceperat sui Evangelii narrationem & descriptionem) ipse Marcus suum Evangelium incipit à prædicatione Joannis tanquam à pr[illegible]nquioribus inchoando. Sed Cap. 3. hæc duo solummodo de Maria matre JEsu tetigit; quòd quærebat una cum fratribus ejus, sive cognatis ipsius loqui JEsu, cùm in templo prædicaret; ut priùs habitum est Matth. 12. & quòd Judæi Christum despicientes dixerunt: *Nonne hic est fabri & Mariæ filius, frater Jacobi & Joseph & Simonis* &c.

CAPUT IV.

Quæ Lucas scripserit de vita & virtutibus B. Virginis.

Lucas verò, qui, ùt dicunt Sancti, Evangelium suum de ore Beatæ Virginis conscripsit (quod patet ex eo, quòd missionem Angeli ad ipsam Virginem & ejus allocutionem descripserit: cui missioni & allocutioni nullus præter ipsum Angelum & Virginem interfuit) ab altioribus incipiens Cap. 1. videlicet ab annuntiatione nativitatis Joannis: & ipsa nativitate latiùs prosecuta Evangelicam historiam mox inchoans, describit Angeli missionem ad Virginem, & ipsius salutationem & annuntiationem conceptionis & nativitatis Christi de ipsa Virgine; & deinde accessum ipsius ad Elisabeth cognatam suam & earum mutuam salutationem & congratulationem, & Propheticam exultationem ad invicem, & moram & mansionem ipsius apud Elisabeth usque ad nativitatem Joannis.

Deinde Cap. 2. describit ascensum Joseph & Mariæ de Nazareth in Bethlehem ad professionem census, & ipsius Mariæ partum in Bethlehem, & maternam tractationem & curationem nati infantis; quem per se suis manibus pannis involvit, & reclinavit in præsepio super fœnum; & Angelorum apparitionem, & annuntiationem nativitatis Christi ad pastores, & pastorum inquisitionem & inventionem infantis involuti pannis & positi in præsepio; & pastorum congratulationem & collaudationem; & conservationem omnium prædictorum verborum & gestorum in corde Mariæ; & ipsorum collationem ad ea, quæ legerat de nativitate Christi & humanitate prophetata, & sibi à Spiritu Sancto revelata, & ab Angelo sensibiliter annuntiata.

Mox deinde narrando describit pueri nati circumcisionem, & nominis JEsu impositionem; ac consequenter ipsius purgationem secundùm legem, & præsentationem & oblationem in templo, & ejus susceptionem à Simeone in ulnas suas,

suas, & ipsius Simeonis exultationem & A. propheticam congratulationem: & super omnibus prædictis Joseph & Mariæ admirationem, & Simeonis & Annæ propheticam benedictionem, & manifestationem Christi nati ad eos, qui exspectabant redemptionem Israël.

Deinde describit annuum ascensum parentum JEsu concomitationem cum eis usque in annum duodecimum; cùm ascendens cum parentibus remansit post eos in Jerusalem; usque dum die tertio requisitus fuit à parentibus & inventus in templo in medio Doctorum, audiens & interrogans illos, ita ut mirarentur super B. prudentia & responsis ejus. Ubi mater ejus dixit ad eum: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Et ipse respondit: *Quid est, quod me quærebatis* &c. Et deinde reversionem & descensum ipsius cum parentibus in Nazareth; ubi cum eis mansit, & erat subditus illis, proficiens ætate & sapientia & gratia coram DEO & hominibus. Et quod mater ejus omnia verba hæc & gesta conservavit in corde suo: & hoc, ut dicit Epiphanius, ut oportuno tempore revelaret Evangelistis ad scribendum, & Apostolis ad prædicandum.

Deinde in sequentibus sui Evangelii C. Lucas non facit mentionem Beatæ Virginis vel aliorum dictorum aut gestorum ab ipsa vel circa ipsam, nisi Cap. XI. referens: quòd extollens vocem quædam mulier de turba dixit ad JEsum: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ suxisti!* Quam commendationem beatitudinis Matris suæ Christus mox approbavit, dicens: *Quinimo*, id est, *etiam ipsa est beata;* & non solùm ipsa, sed etiam *beati sunt, qui audiunt verbum DEI*, id est, me, qui sum verbum DEI: *& custodiunt illud* scilicet credendo & recipiendo & conservando.

CAPUT V.

Quæ Joannes scripserit de vita & virtutibus B. Virginis.

JOannes vero, qui ultimus in ordine temporis scripsit suum Evangelium, post tres alios priores Evangelistas tanquam volens negotiari principaliter circa Christi Divinitatem, ex ipsius Christi doctrinis & operibus & virtutibus ostendendam & comprobandam, non facit mentionem matris Christi, nisi in duobus locis: videlicet Cap. 2. scribens; Quòd nuptiæ factæ sunt in Chana Galileæ, & quod mater JEsu erat ibi; & deficiente vino in convivio nuptiarum dixit ad JEsum: *Vinum non habent.* Et quòd JEsus respondit ei: *Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea:* & quòd deinde mater ejus dixit ministris: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Item Cap. 19. scribit, quòd *stabat juxta crucem mater ejus, & soror matris ejus:* & quòd JEsus jam moriturus matrem, tanquam sua cura & præsentia desolandam, vice sua commendavit Joanni, tanquam matrem filio; & Joannem Mariæ tanquam filium matri: dicens matri suæ: *Mulier, ecce filius tuus;* & deinde Discipulo: *Ecce Mater tua:* & quòd *ex illa hora accepit eam Discipulus in sua*, id est, in suam curam & custodiam.

CAPUT VI.

Quæ in aliis Scripturis authenticis habeantur de vita & virtutibus B. Virginis.

HÆc itaque sunt, quæ de conditione & vita & actibus B. Virginis in diebus carnis Domini nostri JEsu Christi Evangelistæ inveniuntur scripsisse. Cæterùm de vita & conversatione B. Virginis post Christi ascensionem hoc solùm refert Lucas & scribit Act. 1. Quòd Apostoli & Discipuli post ascensionem Domini reversi sunt in Jerusalem; & ascenderunt in cænaculum: ubi manebant Petrus & Andreas, Jacobus & Joannes & cæteri, & erant omnes unanimiter perseverantes in oratione cum mulieribus & *Maria matre ejus & fratribus ejus* &c.

Paulus verò Apostolus ad Galathas D. 4. hoc solùm tangit in genere de B. Virgine, quòd, *ubi venit plenitudo temporis, misit DEus filium suum factum ex muliere* &c. non faciendo mentionem de nomine vel persona ipsius Virginis; tanquam ibi circa aliam materiam declarandam occupatus.

CAPUT VII.

Quòd præter scripturas authenticas alia quædam Apocrypha inveniantur scripta de vita & virtutibus B. Virginis.

QUæ verò Beata Virgo post ascensionem A Domini gesserit, sive virtutes & miracula, si quæ fecit; & de conversatione & vita & actibus ipsius, Apostolis jam prædicantibus, & provincias diversas & regna in sortem prædicationis accipientibus; & de beato ipsius transitu & assumptione in corpore & in anima, nulla scriptura authentica invenitur. Propter quod etiam plures librorum de hac materia loquentium apocryphi reputantur, sive quantum ad authoritatem, sive quantum ad gestorum fidem & veritatem, præter dicta & Epistolas quasdam Sanctorum, ùt Dionysii & Ignatii & Epiphanii B & Joannis Damasceni, quorum sanctitati jure debetur fides, tanquam narratoribus veritatis.

CAPUT VIII.

Qua de causa quædam sint scripta, & quædam omissa in Evangeliis de B. Virgine.

QUa verò ratione illa priùs dicta de vita & actibus B. Virginis sint per Evangelistas expressa & conscripta; & ista, quæ promisimus, sint omissa, & per aliquam scripturam authenticam non expressa C, ex subsequentibus aliqualiter videri poterit & haberi.

Primò itaque supponendum est & diligenter attendendum; quòd sicut dicit Beatus Bernardus, si nec folium de arbore cadit sine scientia & nutu DEI, nequaquam putandum est de ore Evangelistarum, qui Sancto Spiritu inspirati Evangelia conscripserunt, verbum superfluum cecidisse, vel ipsos aliquid necessarium ad Evangelicæ historiæ perfectionem omisisse: si tamen verba ipsorum diligentem habeant inspectorem, qui noverit sugere mel de petra & oleum de D saxo durissimo.

Ad declarationem itaque prædictæ dubitationis, quare videlicet, ùt dictum est, circa vitam & conversationem B. Virginis in diebus carnis Domini nostri JESu Christi illa expressa sunt, & ista omissa; sciendum, quòd Scriptores historiarum ad scribendum lucidè & perfectè diriguntur hac regula & mensura, ut illa præcipuè ponant & prosequantur, quæ ad eorum principalem materiam & intentionem exprimendam & narrandam exigi & sufficere videbantur, omissis illis, quæ ex latere vel à remotis assumpta & inducta intentionem scribentium frustrarent, vel forsitan minùs juvarent, & rerum seriem & scribendi ordinem perturbarent.

Unde, sicut dicit Augustinus contra Faustum, sacra Scriptura, à quo omnis ornatus sermonis & flos rhetoricæ elocutionis sumpsit exordium, invenitur diligenter intuentibus contexta hac eàdem regula & mensura. Propter quod scriptum libri Genesis, & aliorum sacrorum librorum historia Testamenti veteris, loquendo de Patribus, per quorum progenituram & successionem principaliter intendebat devenire ad Christum de Abraham semine, & de familia & domo David secundùm promissionem nasciturum, non curavit circa vitam & actus Patrum alia prosequi, nisi quæ pertinebant & sufficiebant ad seriem progenerationis filiorum à Patribus usque ad Christum, & ad expressionem eorum, quæ per ipsos vel circa ipsos divinitus dicta & acta sunt ad significationem & mysterium futurorum, & ad correctionem & informationem vitæ & morum recipientium & legentium ipsos libros, juxta illud 1. ad Corinth. 10. *Hæc omnia in figura contingebat illis; scripta sunt autem ad correctionem nostram: in quos fines sæculorum devenerunt.*

Unde Augustinus in prædicto libro contra Faustum dicit; Quòd, si quæ non habentia mysticam significationem, vel non continentia vitæ & morum eruditionem in sacris libris posita videntur, non sunt habenda, nisi tanquam interposita ad continuationem contextùs literæ juxta rerum gestarum ordinem & consequentiam historiæ describendam; sicut clavi & tenacula veniunt in compositionem Domus, non tanquam partes principales Domus, sed tanquam vincula & colligamenta earum partium.

CAPUT IX.

Assignatio rationis, quare ista sint scripta ab Evangelistis, & illa omissa de B. Virgine.

CUm itaque, ùt prædictum est, principalis intentio Evangelistarum in scribendo historiam Evangelicam fuerit annuntiare & manifestare mundo salvatio-

nem

nem & salutem humani generis electis à DEO prædestinatam & præparatam, & Patribus in scripturis sanctis prædictam & promissam; in JEsu Mariæ filio tanquam in vero Messia, id est, Christo esse mundo exhibitam & collatam per ipsum Christum DEUM hominem factum, & ejus prædicationem & passionem & resurrectionem & ascensionem & cætera opera reparationis humanæ (propter quæ ipsa historia rectè dicitur Evangelium, sive bona vel boni annuntiatio) ipsi Evangelistæ consequenter & congruè suæ narrationi & prosecutioni interponere curaverunt ea, sine quibus prædicta opera humanæ reparationis perfici non potuerunt, vel non debuerunt supposito isto modo & ordine reparationis humanæ, quem in Christo & per Christum secundùm Evangeliorum continentiam credimus & tenemus esse impletum. Ea verò, sine quibus positis & prosecutis incarnatio & passio & cætera redemptionis opera fieri & facta esse, credi & teneri nihilominus potuerunt, ita quòd posita vel omissa nihil, vel non multum facerent pro vel contra, hæc omitti potiùs quàm poni exigebat Evangelicæ historiæ & veritatis simplicitas, & brevitatis commoditas, & communis opinionis credulitas.

Quæ tria sunt prima & præcipua lex & regula omnis historiæ conscribendæ, & maximè evangelicæ; quæ ex eo, quòd scribenda & innotescenda esset omni generi hominum, sapientibus & simplicibus, magnis & humilibus, divitibus & pauperibus, masculis & fœminis, liberis & servis, per consequens inniti debuit sermonis & verborum simplicitati, quæ est amica veritatis, juxta illud Prover. 28. *Qui ambulat simpliciter, salvus erit.* Prov. 11. *simplicitas justorum diriget eos*: & brevitati, quæ est mater commoditatis Isaiæ 10. *Verbum consummatum & abbreviatum faciet Dominus in terra*: & communi credulitati, quæ est causa acceptabilitatis. Psalm. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

CAPUT X.

Quòd necesse erat, quòd Christus describeretur natus esse à Patribus, quibus de ipso nascituro ex eis promissio facta fuit.

A. PRimò igitur circa ordinem & modum incarnationis Christi secundùm prædictam formam describendum exigebatur; ut, quia per incarnationem DEUS factus est homo assumens omnia, quæ ad humanæ naturæ proprietates & actiones & passiones indetrectabiles, sive non inconvenientes aut indecentes ex parte humanæ animæ & humani corporis pertinebant, Evangelistæ consequenter exprimerent, qualiter, & de quo Christus humanam naturam taliter assumpserit secundùm Prophetias de Christo prædictas.

B. Cùm itaque Christus promissus & prædictus esset de semine Abraham & de Domo David & familia nasciturus; & non secundùm illum modum, quo communiter nascuntur homines contrahendo peccatum originale à parentibus, sed secundùm talem modum, quo Christus homo de homine natus, tanquam filius hominis, nihilominus summam innocentiam & justitiam in se haberet, ut satisfacere posset pro nobis DEO Patri, tanquam innocens pro reis, & justus pro injustis, & summè gratus & dilectus pro ingratis & inimicis: consequenter exigebatur, ut Christus nasceretur, & natus

C. esse describeretur de Patribus, scilicet de Abraham semine & ex progenie David, quibus de ipso ex eis nascituro promissio facta fuit. Quia non assumpsit, nisi naturam, quam redimere voluit; nec redemit, nisi naturam, quam assumpsit. Quia, ùt dicit Damascenus, quod erat inassumptibile, erat incurabile: & econtra, quod erat incurabile, erat inassumptibile &c. & ut ipsam naturam assumeret de Virgine priùs mundata & sanctificata ab originali & totius originalis fomitis putredine: ut sic de ipsa naturam humanam assumeret; quòd nullam culpam vel ma-

D. culam ab ipsa contraheret juxta illud Psalmi 14. *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.*

CAPUT XI.

Quòd necesse erat, ut Mater Christi describeretur nata esse de semine illorum Patrum; & ut esset Mater & Virgo.

QUantum ad prædicta ergo de necessitate exigebatur, ut per Evangelistas describeretur Matris Christi progeneratio

neratio à prædictis Patribus; & ipsius Christi generatio de matre descendente de semine Abrahæ & stirpe David: & ipsius Matris Christi Virginitas & virginalis conceptio & virginitatis occultatio; ut ipsa incarnatio usque ad tempus opportunum celaretur mundo & diabolo. Propter quod diabolus semper dubius & incertus manens de Christo, utrum ipse esset purus homo, vel DEus & homo, tandem in ipso dubio caperetur, ut piscis in hamo.

Hoc autem totum Matthæus in principio sui Evangelii sufficienter est prosecutus, describens primò progenerationem Mariæ à prædictis Patribus, incipiens ab Abraham, & descendens per tribum Juda usque ad David: & deinde à David usque ad Joseph virum Mariæ; sicut prius dicebatur, ut consequenter Maria insinuetur fuisse de domo & familia David. Quia sacra Scriptura non consuevit fœminas per se genealogizare, sed per viros suos; quia secundùm legem (exceptis solis Regibus Judæorum, quibus licebat propter commune bonum pacis contrahere matrimonia cum Regibus vicinis) alii Judæi non ducebant uxores, nisi de sua tribu & familia: ne distinctiones tribuum & familiarum ad invicem permixtæ confunderentur; & sic nesciretur, quis de qua tribu natus esset; quod congruum non fuisset propter Christum de tribu Juda & progenie David promissum & nasciturum.

Deinde Matthæus narrata progeneratione Mariæ à prædictis Patribus, subjungit & prosequitur singularem generationem Christi de Maria, dicens: *Christi generatio sic erat* &c. quasi diceret: Maria quidem est nata de Patribus prædictis secundùm communem legem & cursum, quo nascuntur filii à parentibus, scilicet de viro & muliere, & per consequens cum peccato & in peccato originali. Christi autem generatio de Maria sic non erat; id est, aliter & singulariter contra naturalem & communem legem sic se habebat.

Cùm esset, inquit, *desponsata Mater JEsu Maria Joseph;* sed nondum tunc, nec postea unquam ei carnaliter copulata, sed solummodo *desponsata* DEO sic providente: ne postmodum de Spiritu Sancto concipiens, adultera putaretur; sed ut propter desponsationem factam marito, fama Virginis illæsa servaretur, & incarnationis mysterium celaretur, dum secundùm opinionem publicam ex desponsatione & traductione in domum sponsi JEsus Joseph filius putaretur. Et ut non solùm perfectæ & veræ maternitatis, sed etiam servatæ puræ virginitatis testimonium matri Virgini non deesset, Angelus ulteriùs describitur Joseph in somnis apparuisse dicens: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, id est, in domum tuam ut Conjugem introducere. Et hoc sine timore dubitationis & suspicionis; *quia quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est:* Scilicet qui non est virginitatis & castitatis corruptor, sed amator & conservator. Et nihilominùs Virgo concipiens & Virgo manens, mater vera & perfecta erit; quia *pariet filium*, non qualemcunque, sed JEsum, qui interpretatur Salvator; *quia ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Sic ergo originem humanitatis & nativitatis Christi, & virginitatis & maternitatis Mariæ matris ejus pulcherrimo & sufficienti ac necessario ordine narrationis Evangelicæ Matthæus insinuavit, illa tamen, quòd istis descriptis mox festinans ad sequentia Evangelicæ historiæ, omissa Angeli missione ad Virginem, & annuntiatione, & modo ac ordine conceptionis & nativitatis Christi, mox incipiat describere ea, quæ jam nato Christo subsecuta sunt, de adventu scilicet Magorum ab Oriente, & nati Christi inquisitione & inventione & adoratione, & de Herodis turbatione & illusione, Magis ad eum minimè reversis; & deinde de Christi persecutione & infantium occisione, & fuga Joseph & Mariæ cum puero in Ægyptum, & revocatione & reditu ipsorum in terram Israël post mortem Herodis.

CAPUT XII.

Quòd Lucas expressius descripserit veram virginitatem & maternitatem Matris Christi.

Lucas verò latiùs & lucidiùs describens ortum nativitatis & infantiam Salvatoris, plenissimè & pulcherrimè, præmissa narratione annuntiationis & nativitate Joannis

Joannis Baptistæ, prosequitur tempus & A. modum ac ordinem missionis Angeli ad Virginem & salutationis ipsius Virginis, & allocutionis ejus, & annuntiationis conceptus & partus virginalis, & apparitionis & annuntiationis Angeli ad Pastores, & inquisitionis & inventionis pueri in præsepio à pastoribus.

Et deinde omisso adventu Magorum & Herodis persecutione & infantum occisione, & fuga Joseph & Mariæ cum puero in Ægyptum & ipsorum reditu in terram Israël, describit pueri circumcisionem & ipsius in templo præsentationem, & susceptionem pueri à Simeone in ul- B. nas, & ejus propheticam exultationem & gratulationem, & Annæ confessionem & benedictionem; & diversorum de puero JEsu opinionem & divulgationem; & Mariæ & Joseph admirationem super omnibus prædictis; & ascensum pueri cum parentibus in Jerusalem in templum ad diem Festum, & remansionem ipsius in templo, & requisitionem à parentibus, & inventionem ejus in templo in medio Doctorum; & reversionem cum illis in Nazareth, & subjectionem filialem ad ipsos.

Hæc omnia prædicta de nativitate C. & infantia Salvatoris, & cura & diligentia parentum circa puerum Christum natum; & quæ ad assumptæ humanitatis solatium in primo ortu suæ nativitatis, & ad officium & obsequium piæ Matris pertinent erga filium, describunt Evangelistæ historico more simpliciter & absque laude & commendatione narrando: ne, secundùm quod dicit Ambrosius, magis viderentur Virginis laudatores, quàm simplicis historiæ conscriptores; nobis deinceps relinquendo & nostræ diligentiæ & merito reservando, quas virtutes & virtutum laudes ad honorem Virginis D. Matris DEI ex eorum narratione historica eliciamus & extrahamus.

CAPUT XIII.

Quòd dignum & necessarium sit ex prædictis laudem Virginis Matris Christi extrahere & notare.

CUm itaque Evangelistis circa ea, quæ ad fidem puræ virginitatis & veræ maternitatis B. Mariæ Virginis, Matris DEI; & ad conditionem assumptæ veræ humanitatis Christi, in ortu & circa ortum suæ nativitatis pertinere videbantur; necesse fuerit prædicta taliter describere: ut crederemus & teneremus, Christum conceptum esse de Spiritu Sancto, & natum de Maria Virgine (sicut Articulus fidei tenet de Christo) nobis de reliquo incumbit virtutes & laudes ipsius Virginis ex his, quæ ab ipsa & circa ipsam divinitus taliter acta & gesta sunt, mente diligenti & devotione ferventi, quantum ipsa nobis obtinere dignata fuerit, extrahere; & pro ut poterimus, unusquisque pro suo modulo & mensura, in medium deducere, & devotis ipsius Virginis inculcare.

Attendendum est itaque, quòd ex pura virginitate ipsius (quam insinuant Evangelistæ Matthæus & Lucas, prout ipsam describunt) resultat omnis virtus virginalis pudoris & disciplinæ, juxta illud Eccles. 24. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris; & flores mei, fructus honoris & honestatis.* Ex vera autem maternitate ipsius, quam describunt similiter, resultat virtus maternæ dilectionis, & diligentiæ ipsius Virginis erga filium juxta illud Eccles. 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris. & agnitionis, & sanctæ spei. Pulchra dilectio* dicitur, in quantum innititur ordini debito. Pulchritudo itaque in dilectione attenditur, in quantum dilectio magis ordinatur ad causam & ad modum & finem rectè diligendi, ex quibus surgit dilectionis debitum & instinctus, & affectus.

Qui instinctus & affectus est triplex. Scilicet *Naturalis*, quo Mater diligit filium, tanquam suam naturalem similitudinem. Quia, ut Proverb. 13. dicitur: *omne animal diligit simile sibi.* Ergo magis simile, magis diligit; & maximè simile, maximè diligit. Et *Carnalis*, quo mater diligit filium, tanquam suum fructum & prolem juxta illud ad Ephes. 8. *Nemo unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit & fovet & diligit.* Mater autem & filius sunt una caro. Et *spiritualis*, quo mater diligit filium ad verum & bonum finem, sicut ista pia & sancta mater 2. Machab. 7. dixit: *Peto fili aspicias in cœlum & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt; & intelligas, quòd ex nihilo fecit illa DEus: ita fit, ut non timeas carnifices istos.* Pulchra ergo dilectio tunc dicitur

citur, quando affectus naturalis & carnalis dilectioni spirituali non repugnant, sed concorditer sibi constant. Et hanc pulchritudinem dilectionis Beata Virgo in summo habuit erga suum filium; quin in passione filii simul habuit summum dolorem & compassionem naturalem de filii passione & morte, & summum gaudium & exultationem spiritualem de humani generis redemptione. Habuit etiam summum timorem reverentiæ ad filii Divinitatem, qui non excludebat summam dilectionem, quam habuit ad ipsius humanitatem: & de opere & mysterio incarnationis summam scientiam & cognitionem, quæ tamen non excludebat perfectam fidem; & sanctam spem ex meritis & gratia provenientem, quæ non includebat certitudinem infallibilem, & excludebat vanam præsumptionem: ut merito dicat: *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Eccli. 24. 24.

CAPUT XIV.

Quòd ex descriptione Evangelica tria resultant in virginitate Matris Christi commendanda.

PRimò igitur dicamus de virginalis disciplinæ virtute & perfectione, quæ juxta descriptionem evangelicam pullulavit & germinavit in ipsius B. Virginis verbis & operibus, sicut virtus florum erumpens & se ostendens in fructibus.

Sciendum ergo, quòd ad puritatem & perfectionem virginitatis exiguntur tria. Unum, quod est ùt materiale in virginitate, scilicet incorruptio Virginis. Aliud verò, quod est ùt formale, videlicet immaculatio mentis; quæ duo tangit Apostolus 1. ad Corinth. 7. dicens, quòd *mulier innupta & sancta Virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit casta & mente & corpore.* Tertium autem, quod est ùt finale bonum virginitatis, scilicet disciplina virginalis juxta illud Prov. 11. *Mulier gratiosa inveniet gloriam.* Sapient. 6. *Initium sapientiæ est verissima concupiscentia disciplinæ;* quia indisciplinatæ & fatuæ virgines in Evangelio reprobantur Matth. 25.

Ista itaque tria resultant ex evangelica narratione, extollenter laudanda in Beata Virgine; *primò* summa incorruptio corporis; quia Lucas expresse appellat eam Virginem dicens: *Missus est Angelus Gabriel à DEO in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph.* Et statim subditur: *& nomen Virginis Maria.* Ex quo colligitur, quòd ipsa fuit Virgo ante conceptum & partum. Quòd etiam virgo manserit in conceptu & in partu, patet Matth. 2. ubi dicitur, quòd *inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Spiritus autem Sanctus non est virginitatis violator, sed custos & conservator. Quòd etiam post partum virgo permanserit, patet Lucæ 1. ex verbis ipsius, cùm dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Glossa inquit: *non cognoscere propono; quia ipsa prima inter mulieres sine præcepto, sine consilio & exemplo humano, de Sancti Spiritus consilio & instinctu obtulit munus virginitatis DEO.* Nec obstat huic voto virginitatis ipsius, quòd fuit desponsata Joseph; quia istud votum fuit conditionale, ita scilicet; si placeret voluntati divinæ, sicut dicit Bernardus: Ne, si absolutè vovisset, videretur de se præsumere; sed potiùs voluit se divinæ dispositioni submittere.

Secundò resultat in Beata Virgine laudanda summa immaculatio mentis, quæ ostenditur ex eo; quòd Angelus eam *plenam gratia* vocaverit; ergo consequenter mente summè immaculata fuit: quæ secundùm Anselmum *ea puritate nitebat, qua sub DEO major nequit intelligi.* Psalm. *fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis.* Psalm. 118. 80.

Tertiò resultat in Beata Virgine laudanda virtus disciplinæ virginalis; quæ in virgine disciplinata perpenditur, & ostenditur in duobus. Primò in rectè se gerendo & habendo ad alios. Secundò in rectè & benè se regendo, & benè se habendo ad se ipsam in his, quæ pertinent ad virginalem disciplinam.

CAPUT XV.

De quinque virtutibus ipsius manifestatis circa ipsam in annuntiatione.

PRimò itaque Beata Virgo in gerendo & habendo se ad Angelicam salutationem, ut scribit Lucas, manifestavit in se virtutem disciplinæ virginalis quinque modis.

Primò quòd mansuetè audivit & perce-

percepit Angelicam salutationem, non A. temerè recusando, nec superbè repellendo, sicut faciunt fatuæ virgines: sed se humiliando & inclinando juxta illud Psal-
Lucæ 1. 29. mi. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* Et Judith. 12. *Quæ sum ego, ut contradicam Domino meo?* Quod innuit Lucas dicens: *Quæ cùm audisset &c.* Eccles. 5. *Esto mansuetus ad audiendum verbum DEI.* Jac. 1. *Cum mansuetudine suscipite insitum verbum.* Hoc autem est opus & virtus Virginis prudentis; quia, ut dicitur Prov. 18. *Qui prius respondet, quàm audiat, stultum se esse demonstrat.*

Secundò quia non clamosè, sed se- B. cretè apud se turbata fuit in sermone Angeli; scilicet de salutationis novitate, de nuntii dignitate, de oraculi sublimitate. Cujus turbationis causa fuit, quòd perpendebat in se fragilitatem naturæ, humilitatem personæ, insufficientiam meriti & gratiæ: & pro tanto reputabat se indignam & insufficientem ad salutationem tam honorabilem, tam amabilem, & tam consolabilem, juxta illud Psalmi.
Psalm 8. 5. *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quia reputas eum?* Bernardus: *Meritò turbata fuit in sermone Angeli; audiens se esse benedictam in mulie- C. ribus. qua benedici sperabat & optabat in virginibus. Benedicta tamen in utrisque fuit, cujus virginitati collata est fœcunditas & fœcunditati servata virginitas.*

Tertiò quia discretè & prudenter *cogitavit, qualis esset ista salutatio;* per quam sui sexus & naturæ infirmitas confortabatur, & personæ humilitas sic exaltabatur, & meritorum insufficientia supplebatur; insinuando Virgini salutantis & salutationis liberalitatem in eo, quòd dixit: *Ave gratia plena;* & summam DEI familiaritatem, cùm subjungit: *Dominus tecum:* & suam super omnes mu- D. lieres singularitatem, cùm addidit: *Benedicta tu in mulieribus.* Cogitavit itaque, qualis esset ista salutatio non dubitando, nec diffidendo, nec dissentiendo; sed credendo, consentiendo & confidendo de divina bonitate, de Angelicorum verborum veritate, & divinorum promissorum fidelitate & firmitate juxta illud Psal.
Ps. 144. 13. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Et Prov. 25. *Aqua frigida animæ sitienti nuntius bonus de terra longinqua.*

Quartò, quia salutatione audita, mansuetè & apud se turbata secretè, cùm deinde cogitasset discretè & rationabiliter, qualis esset ista salutatio: mox suscepta annuntiatione divini oraculi & cœlestis miraculi & secreti signaculi interrogavit rationabiliter: *Quomodo*, inquit, *fiet istud*, scilicet ut filium concipiam & pariam? Quomodo, inquit, fiet salvo voto castitatis, ut scilicet reddam DEO vota mea, quæ distinxerunt labia mea? Quomodo fiet adimpleto desiderio conservandæ virginitatis? Quia, ut dicitur Prov. 13. *Desiderium si impleatur, delectat animam.* Quomodo fiet completo proposito divinæ voluntatis juxta illud Isaiæ 47. *Ego Dominus, consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet?* Interrogavit autem non de facto, quod utique credidit, & in quod consensit; sed de ordine sive modo. Unde non quæsivit, utrum fieret istud, sed *quomodo* fiet; ratum credendo & tenendo secundùm scripturam sacram, quam noverat: quòd certissimè futurum esset, ut virgo conciperet & pareret.

Quintò, quia mox per Angelum informata de modo, quo ipsa divina virtute Mater fieret Virgo manens, credidit fideliter; cùm sic conclusit: *Ecce;* & consensit humiliter, cùm addidit: *Ancilla Domini;* & in se hoc impleri optavit desiderabiliter, cùm subjunxit: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Prov. 10. *Desiderium suum justis dabitur.* & Psalm. *Desiderium animæ ejus tribuisti ei.* Psalm. 20. 3.

CAPUT XVI.

De Virtutibus B. Virginis ostensis ad se ipsam.

Manifestata igitur est circa B. Virginem in ista angelica salutatione & annuntiatione & allocutione, & ipsius interrogatione & responsione *primò* virtus virginalis pudoris quantùm ad ipsius Virginis benignitatem; quia Angelus audivit & verba ejus suscepit mansuetè. Psalm. *Propter veritatem & mansuetudinem & justitiam deducet te mirabiliter dextera tua.* Psal. 44. 6.
Secundò virtus propriæ recognitionis quantùm ad ipsius humilitatem; quia non clamosè, sed apud se turbata est humiliter & secretè, scilicet non renitendo nec resistendo verbis Angeli Lucæ 2. *Quia respexit*

spexit humilitatem ancillæ suæ &c. *Tertiò* A. Virtus summæ discretionis quantùm ad virginalem prudentiam; quia cogitabat discretè: qualis esset ista salutatio. 1. ad Corinth. 7. *Virgo sancta cogitat, quæ Domini sunt: ut sit casta mente & corpore. Quartò* Virtus diligentiæ quantùm ad voti observantiam & virginalis custodiæ providentiam; quia interrogavit & inquisi-
Lucæ 1, 34. vit diligenter de modo dicens: *Quomodo fiet istud* &c. Jobi 29. *Causam, quam nesciebam, diligenter investigabam.* Bernardus. *Quomodo fiet istud, cùm sciat ipse DEus testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum?* Qua igitur lege, quo ordine placebit sibi, ut fiat istud? si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium; & gaudebo de filio, & dolebo de voto & proposito: fiat tamen voluntas ejus. Si verò concipiam virgo & pariam virgo; quod utique, si DEO placuerit, impossibile non erit: tunc scio, tunc verè scio, quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ. *Quintò* Virtus perfectæ fidei & obedientiæ; quia consensit fideliter, & exhibuit se humiliter, & submisit se totaliter voluntati DEI, cùm dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Ecce*, est C. verbum summum fidei & credulitatis, quæ debebatur novitati operis incarnationis. Jerem. 31. *Novum faciet Dominus in terra; fœmina circumdabit virum* &c. Hæc magnitudo fidei ipsam virginem summè beatificavit Lucæ 1. *Et beata, quæ credidisti; quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Ancilla*, est verbum summæ humilitatis, quæ debebatur dignitati divinæ dignationis Lucæ 1. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Hæc humilitas beatam Virginem ad summum exaltavit Lucæ 18. *Omnis qui se hu-* D. *miliat, exaltabitur. Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Hoc erat verbum summæ obedientiæ & optabilitatis, quæ debebatur charitati divinæ dispensationis. Joan. 3. *Sic DEus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret pro mundo.* Hæc obedientia & optationis desiderium per obvium & oblatum consensum virginis in ipso verbo expressum, DEI filium incarnavit, & ipsam virginem, Matrem DEI fecit. Eccles. 14. *Obviabit illi quasi Mater honorificata.*

CAPUT XVII.

De Virtutibus B. Virg. ostensis ad cognatos & notos.

SEcundò Beata Virgo in habendo se & gerendo ad cognatos & notos ostendit virtutem operositatis; quia virgines decet in his, quæ eis competunt facienda, non esse otiosas, sed operosas juxta illud Prov. ultimo: *Panem otiosa non comedit.* Quod Beata Virgo exercuit & ostendit in eo, quòd, cùm percepisset ab Angelo Elisabeth cognatam suam in senectute sua concepisse filium, mox post B. discessum Angeli, ut dicit Ambrosius, *quasi festina pro desiderio, & læta pro obsequio, & hilaris pro officio, exurgens abiit in montana cum festinatione: quia jam DEO plena non nisi ad superiora tenderet, & contenderet, ac conscenderet.* Cant. 4. *Vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem Thuris.*

Secundò ostendit virtutem familiaritatis; quia intravit domum Zachariæ cognati sui, non in domum alicujus extranei. Quia Eccles. 29. *Vita nequam est hospitandi de domo in domum.* Ambrosius. *Discite virgines exemplo Mariæ non in publico diu conversari & morari;* quia Maria cum festinatione in domum Zachariæ intrabat: eò quod diu in publico videri displicebat; & non circuire & circumversari domos alienas: quia Maria intravit solam domum cognati, non extranei.

Tertiò ostendit virtutem officiositatis, quia *salutavit Elisabeth* cognatam suam, juxta illud Eccles. 22. *Amicum salutare non confundar, & à facie illius me non abscondam.* Salutavit igitur, hoc est, salutem ei optavit, quam Angelo nuntiante didicit esse imprægnatam secundùm illud Judith. 13. *Benedicta tu Domino DEO tuo: quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur Dominus DEus Israël super te.* Unde & Zacharias in prophetiam prorupit, dicens: *Benedictus Dominus DEus Israël, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.*

Quartò exercuit & ostendit virtutem obsequiosæ sedulitatis seu stabilitatis. Sapient. 8. *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus ejus; sed lætitiam & gaudium;* Quia mansit apud cognatam suam imprægnatam mensibus tribus;

tribus; videlicet usque ad ipsius partum, A. quia jam sex menses transierant à conceptione Joannis juxta verbum Angeli dicentis: *& hic mensis est sextus illi, qua vocatur sterilis.* Et in mense nono instabat ei partus; quia à conceptione Joannis, quæ facta fuit septimo die exeunte Septembris, usque in diem nativitatis ejus, quæ facta est VIII. Kal. Julii, numerantur triginta quatuor hebdomadæ & unus dies, ita quòd, ùt narrat Epiphanius, Beata Virgo nativitati Joannis interfuit, & ipsum puerum natum prima suis sanctissimis manibus suscepit, quo inter natos mulierum nemo major surrexit. Ambrosius: *Discite virgines, quam sedulitatē exemplo Mariæ debeatis cognatis prægnantibus exhibere.* B.

CAPUT XVIII.

De Virtutibus ostensis ad Familiares & vicinos: & de nuptiis, quibus B Virgo interfuit.

TErtiò Beata Virgo ad familiares & vicinos exhibuit & ostendit virtutem summæ benignitatis, ut scribit Joannes 2. Quòd nuptiæ factæ sint in Chana Galileæ, & quòd Mater JEsu ibi erat, scilicet non tanquam vocata, ùt aliena vel ignota, sed C. per se veniens tanquam familiaris & cognata sponsi, scilicet Joannis Evangelistæ, ùt quidam volunt expositores: propter quod erat ibi tanquam ex congruo & debito familiares & notos pariter comitata.

Benignitas autem Beatæ Virginis in eo, quòd ipsa interfuit illis nuptiis, patet ex utilitatibus ibidem ex sua præsentia subsecutis: propter quas ibidem creditur, & insinuatur interfuisse. *Primò*, ut bonum nuptiarum sua præsentia approbaret & honoraret juxta illud ad Hebræos 13. *Honorabile est conjugium in omnibus & thorus immaculatus. Secundò*, ut nuptiarum D. ipsarum defectum sua clementia relevaret, propter quod insinuando dixit filio: *Vinum non habent. Tertiò*, ut convivantes sua promissione & impetratione lætificaret, & convivium consumaret. Psalm: Psal. 103, 15. *& vinum lætificet cor hominis.*

Quia igitur in nuptiis illis tam historicè quam allegoricè acceptis deficiebat triplex vinum; *primò*, vinum necessariæ provisionis: dè quo dicitur Prov. 9. *Bibite vinum, quod miscui vobis;* & subdit, de quo vino intelligendus sit, adjungens; *& ambulate per vias prudentiæ* Prudentiæ verò est necessariis providere. *Secundò*, vinum optatæ consolationis, de quo dicitur Prov. penultimo: *Date vinum his, qui amaro sunt animo. Tertiò*, vinum commodæ & congruæ satiationis, de quo dicit Psalm. *Calix meus inebrians, quàm præclarus est?* Psal. 22, 5.

Isto, inquam, triplici vino deficiente dicit Mater JESU ad eum: *Vinum non habent.* Non rogat, sed tantùm insinuat; super quo verbo dicit Hugo de Sancto Victore in tractatu de modis & speciebus orationis; quòd nobilissima species orationis est insinuatio. Qua solent uti filii ad parentes, & amici ad amicos, & ministri ad Procuratores vel Dominos; scilicet non petendo expressè, sed insinuando: ut, cùm dicit filius ad Patrem: non habeo calceos; vel amicus ad amicum: non habeo semen ad seminandum; vel minister ad procuratorem, vel servus ad Dominum: non habeo tunicam vel equum, confidens solam insinuationem sufficere loco petitionis.

Quæ insinuatio hic in Beata Virgine innuit confidentiam potentis; Psalm. *Spera in Domino, & fac bonitatem;* & Psal. Psal. 36, 3. *Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.* Ibid. 5. Et commendat benevolentiam concedentis. 3. Regum 2. *Pete mater mea; neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* Et ostendit complacentiam obtinentis. Esth. 5. *Quid vis Regina Esther? quæ est petitio tua? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, dabitur tibi.*

Dicit ergo ei JEsus; Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Nota, quòd non respondit directè ad hoc, quod Mater dixit: *Vinum non habent;* sed ad hoc, quod mater voluit & intendit circa defectus vini insinuationē; videlicet suam benignam compassionem, & auxilii implorationem, & miraculi exhibitionem. Sciebat enim, quòd filius non haberet vinum in vegete * vel in vase materialiter; sed in voluntate & potestate sua haberet supernaturaliter, unde vinum faceret, & nuptiarum defectum suppleret, & matris desiderium adimpleret.

* *Ita omnes tres Codd.*

Dicit ergo: *Quid mihi & tibi est mulier?* quasi diceret; quid mihi tanquam tuo filio, & tibi tanquam matri meæ secundùm humanitatem, est cōmune secun-

 dùm

dùm Deitatem, per quam possum miracula facere? sed quod tibi debeo ex filiali debito & affectu tanquam matri secundùm humanitatem, ad hoc tibi exhibendum nondum venit hora mea: id est, passionis meæ instantia, quando te per mortem meam destituendam solatio mei, tanquam filii, vice mea commendabo Joanni. Et secundùm Augustinum, in hoc dicto non intendebat matris petitionem declinare, vel negare: sed distinguit Divinitatem, quam habet à Patre cum potestate miracula faciendi ab humanitate, quam assumpsit à matre cum necessitate patiendi & compatiendi.

CAPUT XIX.

Quid intenderit Christus in eo, quod Matrem suam frequenter nominaverit mulierem.

NOtandum autem, quòd non est despectionis vel parvipensionis vel inhonorationis vocabulum; quòd Christus matrem suam in hoc loco & in aliis quibusdam locis nominat *mulierem*: quia non congruebat eam virginem appellari, cujus virginitatem voluit ad tempus occultari, & fabri filius reputari. Nec matrem eam debuit nominare, cùm secundùm Divinitatem non haberet matrem in terris: sed nomine communi ad matrem & virginem, *mulierem* eam appellavit. Quia sicut omnis mater est mulier, ita & omnis virgo est mulier; & non è converso. Unde sicut nomen mulieris nec virginem nec matrem innuit, ita nec excludit.

Mulieris ergo nomine hìc non innuit *muliebrem corruptionem*; quia ipsa ab omni corruptione in anima & in corpore libera & immunis fuit juxta illud Sapient. 3. *Felix incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto.* Nec innuit muliebrem *defectionem*, quia ipsa fuit prima, de qua dicitur Prov. ultim. *Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Nec *muliebrem abjectionem*; quia ad summam gloriam & honorem à
Psal. 72. 24. filio exaltanda fuit. Psalm. *Tenuisti manum dexteram meam; & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.*

Sed mulieris nomen hìc innuit *sexus veritatem*; quia non de viro, sed de muliere Christus homo fieri voluit, propter causas, quæ de hoc alibi assignantur

A. juxta illud ad Galath. 4. *Misit DEus filium suum factum ex muliere.* Et sexus ac nominis *communitatem*; quia tàm virgo, quàm non virgo est & dicitur mulier, & novam sexus *dignitatem*; qui, exclusâ in ipsa beata virgine primæ mulieris culpâ & pœnâ, est in ipsius persona nova benedictione reformatus, & ab antiqua maledictione liberatus: & novo fœcunditatis & virginitatis simul privilegio honoratus, & ad summam post Christum gratiam & gloriam exaltatus. Unde ipsa de se merito gratulatur, dicens: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum no-*
B. *men ejus.*

Tunc dicit mater ejus ministris &c. Dicit scilicet tanquam voluntatis filii conscia, & non dubitans de ipsius potentia, ac sperans de ipsius gratia. Dicit, inquam, ministris videlicet; ne ipsi ministri nondum visis & cognitis Christi miraculis illud, quos eis præcepturus erat, frivolum reputarent: & sic causam præcepti nescientes, & per consequens tanquam diffidentes & negligentes non obedirent præcipienti, & dicenti; *implete*, inquit, *hydrias aqua.* Dicit ergo ministris; *Quodcunq; dixerit vobis, facite.* O admonitio & doctri-
C na gratiosa, quam monuit & docuit illa; quæ sola est gratia plena. Prov. ult. *Lex clementiæ in lingua ejus.* Sap. 6. *Doctrix enim est disciplina DEI.* Est enim ista admonitio & doctrina compendiosa; quia continet, quidquid est necessarium ad salutem. Isaiæ 10. *Verbum consummatum & abbreviatum faciet Dominus in terra.* Est etiam virtuosa; quia admonet, quidquid est honestum ad virtutem. Sap. 8. *Sobrietatem & prudentiam & virtutem docet sapientia*: quibus nihil utilius est homini in hac vita. Est etiam fructuosa; quia docet, quidquid est ad virtutis & salutis plenitu-
D. dinem. Sap. 24. *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Omnia ergo ad virtutem & salutem credibilia & prædicabilia & sectabilia brevi verbo conclusit, quæ dixit: *Quodcunque dixerit vobis, facite.*

Ista ergo sunt, quæ de virginitate, & de virginali disciplina & virtute B. Virginis Evangelistæ historicè conscripserunt: ex quibus laudes virtutum ejus, secundùm quod DEus unicuique inspirare dignatus fuerit, extrahi & assumi possunt; licet nullæ laudes simpliciter valeant virtutum ipsius & gratiarum plenitudini & multitudini ac magnitudini adæquari. CA-

CAPUT XX.

Quòd ad rationem veræ matris octo exiguntur.

AD rationem autem veræ & perfectæ maternitatis & officium piæ matris pertinent, & exiguntur octo. Primò perfecta generatio. Secundò materna contrectatio. Tertiò personalis lactatio. Quartò sedula solicitudo. Quintò solicita educatio. Sextò fidelis allocutio & admonitio. Septimò pia compassio. Octavò blanda consolatio.

Primò igitur ad rationem veræ matris pertinet perfecta generatio, quæ duobus perficitur, conceptu scilicet & partu mulieris juxta illud Gen. 4. *Adam verò cognovit Evam uxorem suam: quæ concepit & peperit Cain, dicens; possedi hominem per DEum.*

Ad conceptum verò maternum requiruntur duo, scilicet proprius locus & propria materia generationis. Proprius locus humanæ & naturalis generationis est uterus matris. Propria verò & naturalis materia est sanguis menstruus mulieris. Unde ad veram generationem humanam requiritur, ut fiat in matre tanquam in proprio & naturali loco; quia locus est de substantia naturalis generationis: & ut fiat de ipsa matre tanquam de propria & naturali materia. Unde vermes & lumbrici, & si quæ similia nascuntur de corpore humano, non dicuntur geniti de homine, quia non fiunt ex eo tanquam per naturalem generationem; quia non nascuntur in loco proprio & connaturali, videlicet de materia propria humanæ generationis.

Lucas verò circa Christi generationem de Maria, tanquam de vera Matre innuit *primò* JEsum natum esse in virgine, imò in virginis utero, tanquam in proprio & naturali loco, dicens: *Ecce concipies in utero.* Et signanter dicit: *in utero*, & non dicit: *in uterum*: ut innuat activum principium hujus conceptionis fuisse intra, & non ab extra; ut consequenter pateat istam conceptionem factam esse sine virili semine, salva concipientis virginitate.

Secundò innuit esse etiam natum de virgine, scilicet ex purissimis carnibus & sanguinibus ipsius virginis, tanquam de

A. propria & naturali materia generationis humanæ, ùt dicit Damascenus.

Tertiò Evangelista expressè innuit conceptionem istam factam esse in virgine, dicens: *Ecce concipies in utero;* quod postmodum exponit pleniùs, cùm dicit: *Spiritus Sanctus superveniet in te.* Et etiam innuit eam factam esse ex virgine, postea subjungens: *ideoque & quod nascetur ex te, sanctum est*, ut sic exprimat ista tria, quæ requiruntur ad naturalem & perfectam generationem humanam: scilicet locum naturalem, hoc est, uterum virginalem; & efficiens supernaturale,

B. scilicet Spiritum Sanctum, quo tanquam causa efficiente ab intra, non ab ingrediente ab extra, facta est conceptio ista; & propriam ac naturalem materiam humanæ conceptionis, cùm dicit: *ideoque & quod nascetur ex te* &c.

Hæc autem tria per Evangelistam exprimi congruum & necessarium fuit propter obviandum futuro errori hæreticorum, ut Manichæi, & Valentiniani, & eorum sequacium: qui finxerunt, Christum nec in Virgine, nec de Virgine corpus accepisse; sed de cœlesti materia assumptum corpus secum in Virginem at-

C. tulisse, & illud secum de Virgine eduxisse, absque eo, quod de ipsa assumptum esset, ùt dicit Augustinus in libro de hæresibus.

CAPUT XXI.

Quòd non obstat veræ maternitati, quòd B. Virgo conceperit de Spiritu Sancto.

QUòd autem veræ & perfectæ maternitati B. Virginis, & veræ ac perfectæ generationi humanæ in Christo non obstet, nec detrahat, sed potiùs puritati

D. & veritati ipsius addat, quòd in ista conceptione causa efficiens fuit agens supernaturale scilicet Spiritus Sanctus, sic patere potest. Quia ad perfectionem humanæ naturæ in suo supposito, cujus est generatio, non solùm requiritur ipsius naturæ veritas, sed etiam sinceritas. Sincerum autem secundùm philosophum in libro de coloribus, dicitur illud; quod suæ naturæ perfectionem secundùm speciem accipit ab uno principio inpermixto. Unde in Adam, in quo natura humana fuit in summo suæ perfectionis, ipsa natura non

non solùm fuit vera, sed etiam sincera, ex A. eo, quòd non à pluribus dissimiliter se habentibus, ut puta, à Patre & Matre, sicut sui posteri, sed ab uno principio similiter agente naturam ipsam per creationem accepit.

Unde sicut in Divinitate, natura divina filio per generationem à Patre communicata, non solùm est in filio ùt vera, sed etiam ùt sincera, in eo, quòd genitus de Patre sine Matre: ita etiam Christus in nativitate sua de Virgine Matre sine Patre non solùm accepit naturam humanam, ùt perfectam & veram, sed etiam ùt sinceram. Propter quod ipse B. solus fuit filius unicus unicæ Matris suæ, Matri simillimus: Quia sicut etiam corporaliter ipsa fuit speciosa inter filias Jerusalem; ita & ipse etiam corporaliter fuit forma speciosus præ filiis hominum, ùt scribit Epiphanius; & Joannes Damascenus libro 4. cap. 8. quòd Dominus noster JEsus Christus secundùm formam & figuram humanæ faciei habuit vultum oblongum, frontem mediocrem elevatam, supercilia nigra benè magna & conjuncta, nasum æqualem modicè aquilinum, oculos magnos lucentes & claros, mentum mediocre inter longum & bre- C. ve, barbam nigram ad modicum prolixam, crines capitis fuscos, intuitum & aspectum placidum & benignum. Qualem etiam fuisse suo modo faciem & vultum B. Virginis scribit Epiphanius, sive ex picturis, vel scripturis antiquis hoc ita pervenerit ad eos, ùt scribit ipse Damascenus.

Quia sicut secundùm Divinitatē filius est simillimus Patri, eò quòd est unicus unici: ita secundùm humanitatem simillimus fuit Matri, sicut unicus unicæ Matris filius. Unde Gregorius super Ezechielem Homil. 3. dicit: Quòd Christus secundùm D. humanitatem propriè dixerit se esse filium hominis: quia secundùm humanitatem est filius unicus Virginis: & quia alii homines, qui de Patre & Matre nascuntur, vocantur in Scriptura *Filii hominum.* Ita Psalm: *Filii hominum, usque quò gravi corde?* Item: *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.*

Psalm 4. 3.

CAPUT XXII.

Quòd ad officium Matris pertinet Pueri tractatio & contrectatio.

SEcundò ad officium & affectum veræ & piæ matris respectu Filii pertinet materna tractatio & contrectatio; scilicet ut eadem, quæ genuit, ipsum genitum prima per se tractet & contrectet in his, quæ teneritudo parvuli circa se humaniter curanda & facienda requirit: Quod circa alias mulieres in partu solent facere obstetrices, licèt quædam mulieres, sive paupertate, sive subiti partus necessitate urgente, non valentes habere vel exspectare obstetrices, per se habent & exercent circa se scientiam obstetricandi; sicut legitur Exodi 1. Quod mulieres Hebrææ non sint, sicut Ægyptiæ, ut quærant & exspectent obstetrices; sed ipsæ habent scientiam obstetricandi.

Beata verò Virgo obstetricem necessariam non habuit, nec exspectavit, cùm paritura esset; & peperit sine omni muliebri defectu & dolore, sine omni periculo & labore juxta illud Isaiæ ult. *Antequam parturiret, peperit; & antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquam tale, & quis vidit huic simile?* Imò obstetricum vice circumstabant eam Angeli concinentes gloriam DEO. Unde ipsamet prima & sola puerum natum mox suis manibus sanctissimis contrectavit; & sicut Lucas dicit, *pannis eum involvit, & reclinavit in præsepio* bovis & asini super fœnum. Quia Joseph ascendens de Nazareth versus Bethlehem civitatem David ad professionem census secum adduxerat bovem, ùt dicit Epiphanius, ad vendendum pro expensis & pro censu professionis, & asinum pro vectura gravidæ Virginis, quæ partui jam vicina erat; licet gravida non gravaretur: quæ se portantem portabat, sicut corpus proprium portantem non gravat.

CAPUT XXIII.

Quòd ad Matrem pertineat Filii lactatio.

TErtiò ad perfectum officium veræ & piæ Matris pertinet personalis lactatio; quia proprium & personale ac naturale officium matris est, ut, quem genuit,

nuit, ipsamet ei lac præbeat, & eum proprio lacte nutriat. Multi enim pueri ex hoc deficiunt & sæpius moriuntur, quòd non eodem & connaturali sibi cibo & lacte pascantur in utero & extra uterum, sed diverso. Propter quod dicit Philosophus in libro de somno & vigilia, quòd multum contrarium & nocivum est pueris diverso cibo nutriri extra uterum, quàm illo, quo est nutritus in utero; & maximè si alienæ mulieres utantur vino: quia vinum facit lac tenue & aquosum; & non differt vel parum differt quantum ad nocumentum, utrum nutrix vel ipse puer bibat vinum.

Beata itaque Virgo, quæ vera & pia ac diligens Mater fuit, Filium quem genuit, etiam suo lacte pavit: cujus beatitudinem ex hoc ipso Christus etiam approbavit Lucæ 11. Cùm extollens vocem quædam mulier de turba dixit ad eum: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti: ipse respondens ait. *Quin*, id est, etiam ipsa est beata; imò etiam illi *beati* sunt, *qui verbum Dei*, id est, me, qui sum verbum Dei, *audiunt & custodiunt illud*. Unde Beda in Glossa ibidem: *Pulchre Salvator attestationi hujus mulieris annuit, non eam tantummodo beatam, quæ verbum Dei meruerat generare corporaliter, sed etiam omnes, qui verbum Dei audientes ipsum fide concipiunt, asseverans esse beatos.*

Augustinus in Serm. *Lacta ô Maria creatura creatorem; Lacte tuo illum pasce, qui mundum pascit. Lacta panem tuum, lacta mundi pretium. Præbet lambenti mamillam, ut ipse pro nobis percutienti præbeat maxillam. Lacta eum, qui te talem fecit: ut ipse fieret in te, quod fecit. Lacta eum, qui fœcunditatis fructum tibi, conceptus attulit, & virginitatis florem natus non abstulit.*

CAPUT XXIV.

Quòd ad matrem pertineat filii ablactatio.

Quartò ad officium piæ & diligentis matris erga filium pertinet opportuna ablactatio & sollicita educatio. Opportunitas autem ablactationis consistit in eo, ut fiat ablactatio non nimis citò; scilicet, antequam infans possit fortiori

A. cibo benè uti: nec nimis tardè, postquam poterit bene uti. Unde hujus opportunitatis similitudinem secutus Apostolus dicit 1. ad Corinth. 3. *tanquam parvulis in Christo lac dedi vobis potum, non escam. Nondum enim poteratis, sed nec nunc potestis* &c. & ad Hebræ. 5. *Facti estis, quibus adhuc lacte opus sit, non solido cibo.* Unde, quia opportunum tempus ablactandi est, postquam cœperit jam post duos annos crescere, dicitur de Isaac Gen. 21. *Crevit igitur puer, & ablactatus est; & fecit pater ejus grande convivium in die ablactationis ejus;* scilicet propter
B. gaudium de profectu & ætate pueri: quòd poterat jam fortiori cibo uti.

Istud opportunum tempus ablactationis & deinceps curæ & educationis filii sui ipsam beatam Virginem per omnia observâsse Lucas innuit, dicens: quòd puer JEsus sub cura parentum suorum crescebat, & confortabatur: quoniam ipsa Virgo Mater puerum extra suas manus non dimisit & oculos, ùt legitur Lucæ 2. quòd, cùm parentes JESU omni anno irent in Jerusalem ad diem Festum Paschæ, Maria puerum JEsum secum duxit, nec post se domi reliquit. Job. 23. *Vesti-*
C. *gia ejus secutus est pes meus.*

CAPUT XXV.

Quòd ad Matrem pertinet de filio cura & solicitudo.

Quintò ad officium piæ matris pertinet sedula solicitudo de filii profectu præsenti pariter & futuro. Hanc solicitudinem beata Virgo circa filium suum diligenter adhibuit. Unde scribitur Lucæ 2. Quòd *erant Joseph & Maria Mater JEsu mirantes super his, quæ dicebantur de illo*: Videlicet quæ in plebe
D. & in populo divulgabantur. Hæc autem erant ista; *primò*, oraculum Angelorum circa revelationes & admonitiones somniorum, quæ facta fuerunt Joseph de sponsa sua Virgine in domum suam traducenda, & uxore. *Noli*, inquit Angelus, *timere accipere Mariam conjugem tuam*: & de virginali conceptione ipsius de Spiritu Sancto facta: *Quod enim*, inquit, *in ea natum est, de Spiritu Sancto est*: & de virginis partu, & Christi nativitate, & populi DEI Salvatio-

vatione per JESUM futura: *pariet*, inquit, *filium; & vocabis nomen ejus JEsum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

A.

Secundò spectaculum pastorum. Quia, ut legitur Lucæ 2. pastoribus nocte vigilantibus super custodiam gregis sui, sub ipsa hora noctis nativitatis pueri, ut dicit Origenes, Angelus Domini astitit, & claritas DEI circumfulsit illos: *Et dixit Angelus ad eos, nolite timere. Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.*

Tertiò miraculum Magorum. Quia ut scribitur Matth. 2. Magi Divino & cœlesti miraculo, stella prævia & ducente, venerunt ab Oriente Jerosolymam, dicentes; ubi est, qui natus est Rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus &c.

Quartò Simeonis susceptio, qua suscepit in ulnas puerum præsentatum in templo: & ejus congratulatio & prophetica exultatio; & Annæ confessio & benedictio, ut dicitur Lucæ 2. *Cùm inducerent puerum JEsum in templum* &c. Hæc igitur omnia de puero JEsu divulgata faciebant de ipso admirationem pluribus, & maximè parentibus.

Notandum ergo, quòd admiratio hujusmodi potuit surgere ex una trium causarum. *Primò* potest causari admiratio ex metu & veneratione præ magnitudine mysterii; & sic Joseph mirabatur de puero JEsu nato *I.* propter signum datum pastoribus de præsepio; quod indicabat circa puerum natum humanitatis ipsius paupertatem & humilitatem. Quia, licet fortè alii aliqui pueri in illa nocte in Bethlehem poterant esse nati, nullus tamen eorum statim natus fuisset in præsepio positus. Quia secundùm verbum
Lucæ 2, 12. Angeli: *Invenietis*, inquit, *infantem pannis involutum & positum in præsepio*, erat istius pueri singulare signum & privile-
Psal. 87, 16. gium, juxta illud Psalm: *Pauper sum ego & in laboribus à juventute.* Et Job. 5. *Homo nascitur ad laborem.*

II. Propter signum datum Magis de cœlo, quod indicabat circa puerum natum Divinitatis ejus claritatem & majestatem: quia non puero homini, sed Deo cœlestia & cœlum famulantur ad nutum.
Psal. 88, 12. Psalm: *Tui sunt cœli, & tua est terra* &c.

III. Propter signum datum Matri de malorum ruina & bonorum resurrectione; de non credentium contradictione; & de pertransitu gladii per ipsius animam in filii passione; de cogitationum & cordium revelatione in ipsius resurrectione. Lucæ 2. *Ecce positus est hic in ruinam* &c.

Secundò potest causari admiratio ex motu & hæsitatione alicujus dubii. Quia admiratio est quidam stupor mentis ex insolito effectu apparenti, cujus causa ignoratur. Et ita de Christo mirabantur Pharisæi & Judæi. Lucæ 2. *Stupebant au-*

B.

tem omnes, & mirabantur super doctrina & responsis ejus; & maximè ex eo, quo modo sciret litteras, cùm non didicisset: ùt legitur Joan. 8.

Tertiò potest causari admiratio ex magnitudine exultationis & gaudii: & sic mirabatur Mater JEsu de ipso, videlicet non motu alicujus dubii; quia incarnationis mysterium perfectissimè credidit & cognovit: de quo, Angelo nuntiante & Spiritu Sancto revelante, plenissimè docta fuit. Quia, ùt dicit Bernardus, *soli illi datum fuit scire, cui soli datum fuit experiri.* Neque motu* magnitudinis mysterii; quia in ipso opere incarnationis suam summam humilitatem & summam DEI dignationem erga se per omnia recognovit. Lucæ 2. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Sed mirabatur in exultatione gaudii *I.* Super certitudine divinæ promissionis; quia DEus fecit, ut promiserat Psalm: *Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israël. II.* Super plenitudine adimpletionis; quia, ut dicitur Lucæ 1. *Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ* &c. *III.* Super magnitudine & multitudine suæ lætificationis, videns omnia adimpleri, quæ de ipso erant promissa & prophetata. Isaiæ 64. *Tunc videbis, & affiues; & mirabitur & dilatabitur cor tuum* &c. & Psalm: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Psal. 15, 10.

C.

* *Ita Cod. Scot. sed Gemnic. & Admont. metu magnit.*

D.

CAPUT XXVI.

Quòd ad matrem pertinet pia ad filium compassio.

SExtò ad officium bonæ matris respectu filii pertinet pia compassio: hanc beata Virgo erga filium ferventer habuit & ostendit. Quia ut legitur Lucæ 2.

Cùm

Cùm factus esset JEsus annorum duodecim, A. *ascendentibus parentibus ejus & JEsu cum eis in Jerusalem, remansit puer JEsus in Jerusalem,* parentibus ejus nescientibus, & existimantibus eum redeundo concomitatum esse cognatos & notos: & eo quæsito & non invento inter illos, reversi sunt anxii & dolentes in Jerusalem juxta illud Cantic. 3. *Quæsivi, quem diligit anima mea; surgam, & circuibo civitatem per vicos & plateas* &c. & sic per triduum quærentes tandem invenerunt eum in medio Doctorum. Cantic 3. *Paululùm cùm pertransissem illos, inveni, quem diligit anima mea.* Et dixit pia Mater filio B. de sui absentia compatiendo: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Nobis scilicet tibi de tua absentia compatientibus & mœrentibus & te quærentibus. *Quid fecisti sic*, scilicet te à nobis absentando, tua visione & consolatione nos frustrando, & metu ac mœrore pro te angustiando juxta illud Isaiæ 50. *Nunquid oblivisci potest mater, ut non misereatur filio uteri sui?*

Fuerunt autem Joseph & Maria pro absentia pueri angustiati, & dolentes propter Archelaum filium Herodis tunc regentem: *Timentes*, ùt dicit Glossa, *rei fieri mortis pueri, si comprehensus fuisset;* C. *& in custodiendo & salvando puero negligentes fuissent, & diligentiam non adhibuissent.*

Et JESUS respondens dixit: *Quid est, quòd me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Nota, quòd in anno duodecimo incepit Christus primò suis parentibus insinuare suam Deitatem: quia numerus duodenarius secundùm Glossam insinuat initium perfectionis Evangelicæ & Apostolicæ prædicationis. Est ergo sensus & intentio hujus interrogationis: *Quid* D. *est?* quasi dicat & exploret, utrum eum quæsiverint, quasi ignorantes, aut non attendentes suam Deitatem; per quam ipsum tanquam à Patre missum oportet esse in his occupatum, ad quæ & propter quæ Pater misit eum: aut utrum eum quæsierint, ut curantes & custodientes suam solam humanitatem. Unde subdit: *Nesciebatis?* id est, scire & recordari debebatis; quia, cùm non sim purus homo, sed DEus & homo, oportet me secundùm voluntatem Patris mei ibi & in his esse, & opera Patris mei facere; ad quæ Pater misit me.

Et cùm in hoc responso aliquo modo ascendisset ad insinuandam parentibus altitudinem suæ Divinitatis, mox descendit ad observandam nihilominus parentibus mansuetudinem suæ humanitatis. Unde subdit Evangelista: Quòd *descendit cum parentibus in Nazareth, & erat subditus illis* tanquam filius juxta debitum & officium assumptæ humanitatis, & statum crescentis adhuc ætatis.

Quæ verò Christus deinceps ab anno XII. usque in annum XXX. suæ ætatis per illos intermedios XVIII. annos fecerit, vel quæ circa ipsum facta & acta sint; hæc Evangelista omittendo insinuat, quòd non alia fecerit, nisi quæ ad debitum subjectionis & humilitatis assumptæ humanitatis quoad parentes; & ad negotium paternæ voluntatis, ad quam faciendam missus venerat, pertinebant secundùm incrementum proficientis gratiæ & ætatis, sicut Lucas subjungit: *Et JEsus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Sapientia scilicet & gratia, quantum ad ostensionem & effectum in eo, in quo aliis profecit: ætate verò quantum ad corporis statum & profectum.

CAPUT XXVII.

Quòd ad Matrem pertineat filii admonitio & allocutio.

Septimò ad officium piæ matris ad filium pertinet fidelis admonitio & allocutio, sicut legitur Genes. 27. Quòd dixerit Rebecca filio suo Jacob: *Audivi patrem tuum locutum cum Esau fratre tuo* &c. Et subjunxit: *Nunc ergo fili mi, acquiesce consiliis meis, & pergens citò vade ad gregem, & affer mihi duos hædos optimos.*

Fidelem verò & maternam admonitionem adhibuisse aliquoties beatam Virginem ad filium patet ex eo, quod legitur Matth. 12. Quòd JEsu loquente ad turbas in templo *dixit ei quidam: ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes loqui tibi.* Quod autem beata virgo tunc intenderit alloqui filium de re aliqua suæ allocutioni digna & optima, patet per Glossam ibidem, quæ dicit: quòd

quòd isti non simplici intentione nuntiaverit JEsu, quòd mater & fratres ejus quærerent loqui sibi; sed ut exploraret, si JEsus vellet matrem & fratres suos secundùm carnem præferre officio prædicationis: cui tunc in templo instabat docens; ut illo omisso vel interrupto exiret ad alloquendum matrem & fratres de re familiari aliqua & privata.

Unde Hieronymus super Matthæum dicit; quòd JESUS noluit exire ad eos de templo ad loquendum ipsis, vel audiendum eos; non quasi matrem abjiceret vel abnegaret, vel fratres despiceret secundùm carnem: sed ut nuntianti & insidianti obviaret, & insinuaret, se matrem & fratres secundùm carnem non quidem contemnere vel negare, sed matri & fratribus secundùm DEum non præferre. Quasi diceret; non solùm ista est mater mea, & isti sunt fratres mei secundùm carnem; sed etiam secundùm spiritum & secundum fidem in DEUM. Isti sunt mater mea, qui me quotidie in suis & in credentium cordibus per fidem concipiunt & generant juxta illud ad Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et isti sunt fratres mei, qui faciunt voluntatem Patris mei, tanquam filii ipsius, & per consequens fratres mei.

CAPUT XXVIII.

De quibus fuerit Discipulorum ad Christum allocutio.

QUid autem & de quo mater JESU & fratres sui intendebant ei tunc loqui, Evangelista non exprimit: quia, ipso ad eos non exeunte de templo, locum sibi loquendi non habebant, quod loqui intendebant. A simili verò secundùm consequentiam dici potest; quòd, sicut Apostoli non leguntur aliquam communicationem sermonis ad Christum habuisse, nisi de his, quæ gratiæ Christi digna & eorum saluti necessaria vel congrua videri poterant & haberi: ita & de beata Virgine circa hanc materiam est tenendum, cùm ipsa, secundum quod dicit Damascenus, ex omnibus, quæ ad gratiam & virtutem ac salutem pertinent, à nullo superetur.

Sciendum itaque, quòd Apostoli secundum Evangeliorum continentiam

A non leguntur cum Dominò nostro JEsu Christo aliquam aliam communicationem sermonis habuisse, nisi de his, quæ pertinere videbantur vel ad interrogationem de docendis & discendis ab eo in doctrina & verbo, sicut legitur Lucæ 11. *Domine, doce nos orare; sicut & Joannes docuit discipulos suos.* Vel de verbis & parabolis suis exponendis in mysterio, ut Matth. 13. *Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.* Et Lucæ 8. *Interrogabant eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola?* Vel de faciendis & observandis in præcepto; Matth. 18. *Domine, si peccaverit* B *in me frater meus, quoties dimittam ei?* Vel de faciendis & exhibendis in obsequio; Lucæ 9. *Domine, vis, dicamus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat eos?* Item Matth. 26. *Ubi vis, paremus tibi comedere pascha?* Item Lucæ 22. *Domine, si percutimus in gladio?* Vel de petendis ab eo in auxilio, Matth. 9. *Suscitaverunt Jesum dicentes: Domine, salva nos, perimus.* Vel de faciendis curis aut beneficiis in populo, Matth. 15. *Domine, dimitte eam, quia clamat post nos.* Item Matth. 14. *Dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas.* Vel de sperandis C & exspectandis ab ipso in præmio; Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: Quid ergo erit nobis?* Vel de Judæorum persecutionibus & insidiis evadendis vel declinandis in publico; Matth. 15. *Scis, quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt.* Item Joan. 11. *Nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Vel de revelandis sibi secretis in occulto; Matth. 24. *Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum erit adventus tui & consummationis sæculi?* Item Joan. 14. *Domine, nescimus, quo vadis; & quomodo possumus vi-* D *am scire?* Item ibidem; *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Item Joan. 13. *Cùm recubuisset ille, quem diligebat Jesus, supra pectus Jesu, dicit ei: Domine, quis est, qui tradet te?*

Fere igitur omnis communicatio sermonum, quam leguntur Apostoli in Evangeliis habuisse ad Christum, ad aliquam prædictarum materiarum & modorum reduci posse videtur: Quæ materiæ non continent, nisi ea, quæ ad gratiam Christi, & virtutem & salvationem pertinere videntur, juxta illud Lucæ 19. *Venit*

filius

filius hominis quærere & salvum facere, quæ perierant. Unde & omnia dicta & opera Christi ad quærendam & efficiendam salutem humanam dirigebantur.

CAPUT XXIX.

De quibus fuerit allocutio B. Virginis ad filium.

CUm igitur, sicut dicitur Prov. 17. *Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est;* moderatio verò sermonum consistat in eo, ut videatur: Quis, cui, quomodò, quando & quid loquatur & quare juxta illud Prov. 5. *Prudentiæ inclina aurem tuam, ut custodias cogitationes tuas, & disciplinam labia tua conservent;* Beata autem virgo omnium hominum doctissima & prudentissima fuerit (propter quod etiam Ecclesia libros sapientiæ spiritualiter de ipsa exponit; unde de ipsa dicitur Sap. 7. *Omnium artifex docuit me sapientiam*) ergo in alloquendo filium opportunitatem prædictarum materiarum & modorum allocutionis per omnia observavit: ut allocutio ejus esset in se moderata & ordinata, & filio acceptabilis & grata juxta illud Sap. 8. *Proposui mihi hanc adducere ad convivendum, sciens; quod mecum communicabit sermonem de bonis: & erit allocutio cogitationis & tædii mei.* Quia, ut dicitur ibidem, *in certamine loquela ejus est sapientia, & præclaritas in communicatione sermonum ejus.*

Sanè per consequens & piè credendum & tenendum est; quod supposito (quòd ille verum dixit, qui JEsu nuntiavit dicens, ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes loqui tibi) quidquid erat, quòd JESU tunc in templo prædicatione publica occupato ei loqui intendebat, non fuit otiosum; sed operosum & officiosum ac opportunum pro loco & causa, & tempore ac persona: & moderatum ac ordinatum, & filio acceptabile & gratum juxta illud Cant. 7. *Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus.* Ibidem 2. *Ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis & facies tua decora.*

Unde non ad despectionem vel parvipensionem desiderii Matris Christi referendum est, quod Christus tunc respondit. *Quæ est Mater mea? & qui sunt*

A *fratres mei?* sed cùm ipse Christus esset DEus & homo, voluit insinuare, quòd alio & alio intellectu & profectu pensandus esset affectus sibi impensus a propinquis secundùm carnem, & ab appropinquantibus sibi secundùm fidem; & alius & alius effectus gratiæ his & illis pro vicissitudine refundendus. Quia, ut dicit Beda super Lucam, *ipsa Dei genetrix Virgo Maria inde quidem verè prædicatur beata; quod verbi incarnandi ministra secundùm carnem est facta* (ad quod tantum ministerium non nisi sancta & immaculata super omnes fuerat assumenda)

B *sed inde multo beatior, quia ipsius verbi incarnati custos & conservatrix secundùm fidem in corde suo immobiliter permanebat* juxta illud Lucæ 2. *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.*

Unde ipsa propriè & principaliter in cantu & prosa Ecclesiæ dicitur *Virgo fidelis;* quia verbi incarnati fidem & veritatem ipsa sola & prima, mente & ventre à Spiritu Sancto concepit & accepit; & conservavit: & sola & ultima in passione & morte filii, aliis dubitantibus & discedentibus, retinuit. Propter quod

C in illo triduo mortis filii sui Ecclesia & fides Ecclesiæ de Christo in ipsa sola stetit & permansit, usque dum post resurrectionem in Apostolis resuscitata, & per eos dilatata fuit.

Et proinde verosimilis traditio & opinio est multorum, quòd dies Sabbati propter hoc est beatæ Virgini specialiter ad devotionem & jejunium ab Ecclesiæ consuetudine in pluribus mundi partibus deputata: Quia post parasceve Dominicæ Passionis, toto Sabbato sequente, & nocte proximè præcedente & sequente, fides Ecclesiæ de Christo in ipsa sola ste-

D tit & sustentata fuit. Eccl. 24. *In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes & virtutis. Gratia* enim *omnis viæ & veritatis* est gratia veræ & perfectæ fidei; quæ est via demonstrans veritatem, & spem vitæ & beatitudinis æternæ: quæ fides in ipsa sola tunc permansit.

CAPUT XXX.

Quòd ad officium Matris ad filium pertineat blanda consolatio.

OCtavò ad officium piæ matris ad Filium

A lium pertinet blanda consolatio juxta illud Isaiæ ult. *Sicut mater consolatur filios suos, ita & ego consolabor vos.* Est autem consolatio mitigatio turbationis, vel solatium desolationis, quo turbati vel desolati accipiunt turbationis vel desolationis remedium. Christus autem in passione fuit turbatus & desolatus, primò quidem turbatus in corpore ex ipsa passione; per quam omnia membra sua, interiora & exteriora, fuerunt à sua conjunctione & naturali ordine perturbata &
Psal. 6. 4. dissoluta. Psalm. *Conturbata sunt omnia ossa mea, & anima mea turbata est valde.*
B Secundò fuit desolatus in anima ex propassione de naturali horrore mortis, & ex compassione per tristitiam animæ de incrudelitate Judæorum, & damnatione incredulorum, & dubitatione ac fuga & scandalo Apostolorum juxta illud Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Cujus tristitiæ causam præmiserat dicens: *Omnes vos scandalum patiemini in me in hac nocte. Scriptum est enim; percutiam pastorem & dispergentur oves.*

Est autem secundùm philosophum quædam mitigatio, & per consequens consolatio tristitiæ & doloris, quando
C homo in tribulatione videt se habere aliquos amicos præsentes & pro se tristes, & sibi verè credentes & compatientes: quia unusquisque ad patientes tantum habet de compassione, quantum credit vel intelligit illos duriùs aut indigniùs pati.

Unde ad præsens sciendum est; quòd in passione Christi fuerit quadruplex diversitas astantium & intuentium ejus passionem. Quidam enim habuerunt passionis ipsius fidem, sed non compassionem, ut Angeli, qui mysterium incarnationis & passionis cognoverunt. Isti
D habebant fidem de passione, sed non compassionem: quia cùm in eis locum non habeat alia passio, per consequens nec habet compassio.

Quidam verò habuerunt compassionem, sed non fidem, ut discipuli fugientes, & dolentes nihilominus pro Christi passione & morte, & mulieres sequentes & lamentantes, ut dicitur Lucæ 23. *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me.* Nec obstat, quod dicit Gregor. super illud Job. 19. *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum;* quòd in passione Christi Ossa, id est, ipsi Christo consumptis carnibus, id est, discipulis fugientibus (qui erant Christo propinquiores, sicut carnes ossibus) solæ pelles, id est, mulieres sequentes adhæserunt ossi, id est, ipsi Christo: quia adhæserunt sequendo solùm & compatiendo, sed non plenè credendo. Quod patet, quia Maria Magdalena, quæ in devotione & amore inter illas mulieres præcipua ad Christum fuit, post ipsam resurrectionem adhuc non plenè credidit; sicut dicit Glossa super illud 20. *Noli me tangere, quia nondum ascendi ad Patrem meum.*

Quidam verò nec fidem nec compassionem habuerunt, ut Judæi & alii Christo exprobrantes & insultantes; ut habetur Matth. 27. *Transeuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua & dicentes; Vah qui destruit templum Dei, & in triduo illud reædificat!* Licèt autem latro in cruce habuerit fidem, qui dixit; *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum* Lucæ 23. & Centurio sub cruce, qui viso terræ motu & signis, quæ fiebant dixit: *Verè Filius Dei erat iste* Matth. 27. illorum tamen fides & compassio longè impar fuit fidei & compassioni illi, quam sola beata Virgo in morte & de morte filii habebat.

Quia ex summa fide, qua mysterium incarnationis & passionis super omnes excellentiùs credidit & cognovit, habuit in morte filii summum gaudium & exultationem pro certitudine redemptionis generis humani: & ex summa compassione, ad quam natura & gratia instigabant, habuit summum dolorem pro amaritudine passionis & mortis filii. Psalm: *Ibi dolores ut parturientis.* Quia, ut dicit Psal. 47. 7. Damascenus, dolores, quos in partu filii effugit, in morte filii sustinuit. Quia videns & perpendens in passione filii *naturæ* de se assumptæ *nobilitatem* quantùm ad corpus, in quo patiebatur (nam ut dicitur 2. Reg. 23. *Ipse erat quasi tenerrimus ligni vermiculus*) & *gratiæ immensitatem*, qua motus & miseratus patiebatur (quia, ut dicitur ad Rom. 8. *Proprio filio suo Deus Pater non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*) & *causæ arduitatem*, propter quam patiebatur (quia pro redemptione generis humani & totius mundi Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*)

illa

illa triplici exultatione & compassione simul movebatur.

De qua dicitur Prov. 31. *Quid Dilecte mi, quid Dilecte uteri mei, quid Dilecte votorum meorum?* Quasi dicat; quid sic Patris Dilecte mi quantum ad assumptæ de me naturæ nobilitatem & toleratæ passionis acerbitatem? Quid Dilecte uteri mei quantum ad gratiæ immensitatem, qua utero meo contulisti fœcunditatem, & non abstulisti virginitatem? Quid Dilecte votorum meorum quantum ad causæ arduitatem, propter quam de me nasci, & pro omnibus pati & mori voluisti, ut tuam summam ostenderes charitatem? Zachar. 13. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?*

Unde quia Christus in sua passione à non credentibus & non compatientibus nullam consolationem vicariam recepit, pro quorum infidelitate, vel infirmitate fidei, vel compassionis tepiditate se usque ad mortem tristari dixit juxta illud Oseæ 13. *Consolatio abscondita est ab oculis meis*: à sola Virgine Matre sua sibi summa fide & amore & dolore compatienti Christus consolationem tunc habuit. Psalm: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Unde & Christus in morte sua matris suæ desolationem, vice versa consolando, matrem virginem Joanni virgini sub matris & filii titulo & fide & amore commendavit. De qua commendatione jam ulteriùs dicendum.

Psalm. 93. 19.

CAPUT XXXI.

De mulieribus, quæ cum Beata Virgine adstabant passioni Christi.

STabant autem juxta crucem IEsu Mater ejus, & soror Matris ejus, Maria Cleophæ, id est, filia Cleophæ &c. Innuit hìc Evangelista triplicem gradum mulierum, quæ secutæ sunt Dominum ad crucem & passionem. *Primo* Matrem, quæ ùt præcipua & potior ex debito & affectu materno ibi præsens astitit. *Deinde* numerum materterarum & cognatarum, scilicet sororum beatæ Virginis ipsi assistentium: ex quibus hìc exprimitur Maria, Cleophæ scilicet filia, quam Anna mater B. Virginis habuit post Joachim ex Cleopha, quem postmodum duxit. Ista Maria fuit copulata Alphæo fratri Joseph nutritii Domini: & genuit ex eo Simonem & Judam & Jacobum minorem, fratrem Domini nominatum, & Joseph cognominatum Barsaban; qui fuit in sortem positus cum Mathia. *Tertiò* innuit numerum aliarum, quæ secutæ fuerant Dominum à Galilæa; inter quas Maria Magdalena hìc à Joanne, & etiam à Marco specialiter exprimitur. Unde Marci 15. *Erant autem mulieres de longè aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene & Maria Iacobi minoris & Ioseph*, scilicet justi, mater, ùt prædictum est (quam Joannes hìc vocat Mariam Cleophæ, scilicet filiam Annæ ex Cleopha) *& Maria Salome*, scilicet filia tertia ipsius Annæ ex tertio viro suo, scilicet Saloma: quæ nupserat Zebedæo, & genuit ex eo Joañem Evangelistam & Jacobum majorem.

Matthæus quoque Cap. 27. dicit: quòd erant ibi mulieres multæ à longè videntes hæc, quæ secutæ fuerant JEsum à Galilæa ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Jacobi & Joseph mater (videlicet ista, quam Joannes vocat Mariam Cleophæ scilicet filiam) & mater filiorum Zebedæi; scilicet tertia Maria, quæ fuit filia Salome tertii viri Annæ. Lucas verò cap. 23. Nullam illarum mulierum ex nomine exprimit: sed in genere dicit; quod stabant omnes noti ejus à longè, & mulieres, quæ secutæ eum erant à Galilæa hæc videntes.

Omnes igitur tres Evangelistæ prædicti concorditer exprimunt Mariam Magdalenam, scilicet tanquam omnibus magis famosam, & devotione & pietate in Christum præcipuam ibi astitisse. Solus Joannes exprimit beatam Virginem, tanquam consolationis & commissionis ipsius privilegium, & testimonium filialis affectionis Christi ad ipsam in morte sua specialiter descripturus: cui ipsius virginis commissio facta fuit.

Et quia beata Anna mater B. Virginis tres viros habuit; scilicet Joachim patrem ipsius B. Virginis 1 & post illum, Cleopham patrem illius Cleophæ; & deinde Salomam patrem tertiæ Mariæ 1 Quæ, ut scribitur Marc. XII. Cum Maria Magdalenæ & Maria Jacobi, scilicet majoris matre emit aromata, ut venientes ungerent JEsum. Quæ æquivocatio istarum trium sororum solet circa ipsarum distin-

distinctionem & differentiam aliquoties scrupulum generare.

Sciendum, quòd occasio sive causa istius æquivocationis fuit, ùt legitur in Evangelio Nazaræorum; quia Angelus Joachim & Annæ uxori suæ diu sterili permanenti apparuit: & Annam concepturam & parituram filiam prædixit, quam deberet Mariam vocare; & quòd de illa filia nasciturus esset Redemptor, qui salvaturus erat Israël.

Beata igitur Virgine nata de Joachim & Anna, & adhuc infantula existente mortuus est Joachim pater B. Virginis; & Anna duxit virum Cleopham, ex quo iterum filiam habuit, quam propter admonitionem prædictam similiter Mariam nominavit. Qua simili modo infantula adhuc existente mortuus est Cleophas: & Anna duxit virum tertium Salomam, ex quo genuit tertiam filiam, etiam Mariam vocatam; videlicet sub spe veritatis Angelicæ annuntiationis, relinquens divinæ dispensationi, quæ Maria ex his tribus esset Mater Salvatoris futura, dummodo ipsa Anna obediens oraculo Angelico nomen Mariæ sibi prænuntiatum non mutâsset.

Unde patet etiam, quòd ille Cleophas (cui eunti in Emaus in die resurrectionis cum altero suo socio Dominus in via apparuit, ut legitur Luc. 24.) non fuit ille secundus maritus Annæ; cujus filia fuit ista Maria Cleophæ hic nominata à Joanne: quia post illum Cleopham jam præmortuum Anna duxit Salomam, patrem tertiæ Mariæ, quæ fuit Mater Jacobi majoris & Joannis Evangelistæ: qui jam tempore passionis Christi, prædictis, quæ scripsit, ipse præsens adstitit & vidit juxta illud Joan. 19. *& qui vidit, testimonium perhibuit.*

CAPUT XXXII.

Expositio Ambrosii super illum locum, stabant juxta crucem JEsu.

UT autem prædictæ descriptionis Evangelicæ sensus & sententia ad litteram lucidiùs constare, & consequenter ad laudem B. Virginis exinde elicere diligens lector possit; verba Ambrosii super Lucam circa finem de hoc capitulo Joannis ibidem interposita, non secundùm verborum ipsius ordinem, sed

A. secundùm expositionem & sensum litteræ ponamus. *Stabant autem juxta crucem JEsu Mater ejus.* Ambrosius.

Alii Evangelistæ circa mirandum & venerandum mysterium passionis scripserunt, in morte Christi mundum esse concussum, cœlum tenebris obductum, solem fugisse & mundo lucem subtraxisse, monumenta aperta mortuos reddidisse, petras scissas unà cum velo templi fuisse. Magna itaque hæc sunt omnia & miranda.

Solus verò Joannes me docuit, quod alii Evangelistæ non docuerunt;

B. videlicet, quemadmodum Christus in cruce positus appellaverit matrem suam, quam antea vocaverat *mulierem.* Nam, qui priùs pro opportunitate loci & negotii prædicationis & conversionis peccatorum dixerat in templo: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei*, satisfaciens officio, quo venerat vocare non justos, sed peccatores: Nunc, postquam latroni in cruce veniam & gratiam donaverat, ultimò etiam pietatis officia inter se filium & matrem suam dividebat, non minoris æstimans; ut mater à filio honoretur, quàm ut latroni venia & para-

C. disus donetur.

Ergo, quia venerat hora ejus (de qua dixerat: *Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea*) jam in cruce positus instante sibi hora mortis, filialis affectus non immemor, nominat eam matrem, dicens: *Ecce filius tuus; & deinde Joanni, ecce mater tua;* Matris suæ nomen & affectum testamentaria dispositione referens, & transferens in Joannem, ùt in filium. Quod testamentum ad veritatis testimonium ipse Joannes scripsit & signavit, dignus ûtique testis tanto testatori.

D. Ex quo utique Evangelii loco uberrimum perpetuæ virginitatis Mariæ testimonium adhibetur. Neque enim cùm desponsata esset Maria Joseph, ut uxor viro, hujus testamenti dispositione abrogatur uxor marito; cùm scriptum sit; *quòd Deus conjunxit, homo non separet:* Matthæi
sed ut pateat; quòd Virgo, quæ pro my- 19. 6.
sterio illius temporis, suæ impragnationis conjugium prætendebat, jam completo ipso mysterio conjuge non egebat.

Sed nec Mariam minor, quàm matrem Christi decebat, ad filium affectus urge-

urgebat: fugientibus enim Discipulis ante A crucem stabat, & piis spectabat oculis vulnera pignoris: quia spectabat, non filii dolorem, sed mundi redemptionem.

Habemus igitur Christum etiam in cruce pietatis Magistrum, & Mariam materni affectus exemplum. Unde Evangelium nos doceat, quid matrum affectus erga filios debeat imitari, & quid reverentia filiorum subsequi: ut matres, si fas sit, cum filiis & pro filiis se offerant in filiorum periculis; & ut filiis amplius incumbat solicitudo materna, quàm dolori fiat propria mortis mœstitia: cum etiam Christus solicitus fuerit in morte de Ma- B tre post suam mortem.

CAPUT XXXIII.

De diversitate adstantium, & videntium Christi passionem.

STabant ergo juxta crucem JEsu Mater ejus &c. Quia itaque passio & mors crucis in Dominum nostrum JESUM Christum perpetrata fuit, tanquam in virum justum veraciter juxta illud Lucæ 23. *Vere hic homo justus erat;* & in virum famosum apud homines communiter Marci 1. *Processit rumor ejus in uni-* C *versam regionem Galilea;* & in virum invidiosum Pharisæis specialiter Marci 15. *Sciebat enim Pilatus, quod per invidiam tradidissent eum summi Sacerdotes:* ideo passio & crux Christi quibusdam videntibus & aspicientibus fuit commune spectaculum Lucæ 29. *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud.* Et 1. ad Corinth. 4. *Spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus.* Quibusdam verò fuit notabile miraculum Matth. 26. *Non respondit ei ad unum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer.* Quibusdam quoque fuit lamenta- D bile scandalum Lucæ 23. *Sequebatur illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum.*

Secundùm prædictam itaque diversitatem in passione Christi, & in exitu ejus de civitate Jerusalem ad crucem & locum crucifixionis, quidam fugiebant Marci 14. *Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus Sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille relicta Sindone, nudus profugit ab eis.* Et Matth. 26. *Tunc Discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Quidam verò sequentes remanebant; inter quos alii crucem & crucifixum circumstabant Marci XI. *Et quidam de circumstantibus dicebant: ecce Eliam vocat.* Alii verò præteribant & transibant Matth. 27. *Transeuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua.* Alii verò stabant, quorum quidam stabant à longe Matth. 27. *Erant autem ibi mulieres multæ à longe videntes hæc.* Et Psalm: *Qui* Psal. 37, 12. *juxta me erant, de longe steterunt.*

Maria verò Mater ejus stabat juxta crucem ab initio usque ad finem, licèt soror Matris ejus & Maria Magdalene priùs etiam stantes à longè, circa finem appropinquassent cruci. Stabat igitur spectando filii dolorem in summa cordis & animæ compassione. Lucæ 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius;* Gladius scilicet doloris pariter & amoris: quia summus amor filii causabat in ipsa summum dolorem animæ & animi. Cant. 5. *Vulnerata charitate ego sum.* Gladius verò iste doloris B. Virginis in passione filii non solùm ipsius animam, sed etiam omnia viscera sui sanctissimi corporis & animi non solùm acriter penetravit, sed etiam pertransivit: ut affectus maternæ compassionis & motu mœroris & merito amoris ac excessu doloris exsuperaret omnem sensum corporalis passionis; ut, sicut dicit Bernardus, *plusquàm Martyr* meritò censeatur.

An non dilectæ matri dilecti filii, electæ electi, unicæ unici, intimæ penetrationis & divisionis gladius fuerunt vincula innocentis, verbera patientis, flagella delicati, injuriæ immeriti, blasphemiæ DEI, Colaphi filii Regis summi, denique clavi perforantes jacentem, & crux premens portantem, & distendens pendentem, & sustinens morientem? certè quot filius suus passionum modis & generibus, tot Mater dulcissima dolorum affectibus filio commortua extitit & compassa.

Stabat igitur ùt fixa in fide, & confixa in passione, & affixa crucifixo in suæ passionis & humanæ salvationis communicatione & associatione; illi nimirum existens individua socia passionis, cui prædestinata erat & electa ministra incarnationis, & assecla totius operis nostræ redemptionis, & summæ consors futuræ per Christum consolationis.

Sic ergo stabat, & juxta crucem stabat propinquiùs videndo, & adstabat fidelius compatiendo, & perstabat firmiùs perseverando. Nam in quibus defecit fides passionis & affectus compassionis, per consequens defecit communicatio & associatio Christi in opere nostræ redemptionis; & sic non stabant juxta crucem cum Maria Matre ejus; sed à longè & ex opposito, vel ex adverso crucis Christi: Ex opposito quidem aliqui non plenè credendo & tepidè compatiendo; ex adverso verò alii detrahendo, alii deridendo.

Psal. 21. 8. Psalm. *Qui viderunt me, deriserunt me; locuti sunt labiis, & moverunt caput: Speravit in Domino, eripiat eum &c.*

CAPUT XXXIV.

De mulieribus, quæ cum B. Virgine permanserunt juxta Crucem.

Stabat ergo, non juxta crucem latronum, quæ crux erat criminis indicium, culpæ opprobrium, & pœnæ supplicium juxta illud Deuter. 20. *Maledictus omnis qui pendet in ligno*: sed juxta crucem JESU, quæ crux erat Salvatoris, non latronis, & erat mundanæ admirationis spectaculum Lucæ 23. *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum* &c. Item erat Divinæ dispensationis miraculum 1. ad Corinth. 2. *Loquimur DEI sapientiam absconditam in mysterio, quam nemo principum hujus seculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Item erat humanæ salvationis signaculum Sap. 14. *Exiguo ligno credunt homines animas suas; & transeuntes per mare liberati sunt.* Item ibidem: *Benedictum lignum, per quod fit justitia.*

Stabat Mater ejus, scilicet JEsu Salvatoris mundi, quæ ipsum corporaliter gestaverat in ventre Lucæ 11. *Beatus venter, qui te portavit; & ubera, quæ suxisti*: & fide conservaverat in corde Luc. 2. *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo*: & memoria confovebat in mente. Isaiæ 50. *Nunquid oblivisci potest Mater, ut non misereatur filio uteri sui?* & Thren. 3. *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.*

Et soror matris ejus, Maria Cleophæ & Maria Magdalena &c. Istæ simul stabant juxta crucem JESU ad Christi passionem pariter lamentandam, & ad matris ejus tristitiam mitigandam, & afflictionem & desolationem ipsius consolandam, juxta illud Eccles. 7. *Non desis plorantibus in consolatione; & cum lugentibus ambula.*

CAPUT XXXV.

De ordinatione testamenti Christi ad Discipulos.

Cum vidisset ergo JEsus Matrem & Discipulum, quem diligebat &c. Quia Christus erat in cruce moriturus, non nescius & invitus, sed sciens & voluntarius juxta illud Joann. 13. *ante diem festum paschæ sciens JESUS, quia venit hora ejus.* &c. propter hoc tanquam volens se expedire ad transitum, *cùm dilexisset suos, qui erant in mundo*, discipulos (quibus multa dilectionis signa & insignia ostenderat; scilicet ipsos de toto mundo eligendo. Joann. 15. *non vos me elegistis, sed ego elegi vos*: & suum eis negotium & officium committendo; unde subdit: *posui vos, ut eatis, & fructum afferatis*: & Amicos suos eos constituendo; ibidem; *Vos autem dixi amicos.* &c. Et petitiones eorum adimplendo, ibidem: *Quæcunque petieritis Patrem* &c.) nunc in finem dilexit eos; id est, finale & ultimum dilectionis eis signum ostendit tripliciter. *Primò* per summam humilitatem; quia, cùm esset Dominus & Magister omnium, ipse Dominus Servus & Magister Discipulis se humiliavit: Domini potentiam & Magistri reverentiam ad eorum obsequium inclinando, & pedes eorum lavando, & ad eorum pedes se incurvando. *Secundò* per summam liberalitatem, videlicet carnem suam in cibum, & sanguinem suum in potum communicando; & se totum in redemtionis pretium & in salvationis remedium eis dando. *Tertiò* per

per summam præcordialitatem ipsos de suo recessu consolando Joan. 14. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Item Joan. 16. *Vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium:* & charitatis pignus & præceptum eis dando Joan. 15. *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem:* & patri eos fiducialiter & fideliter commendando Joan. 17. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.*

His signis & effectibus dilectionis ostensis, ultimò testamentum disposuit, quod tanquam incommutabile & æternum per mortem suam confirmavit; quia post mortem testatoris testamentum mutari non potest, cùm sit dispositio ultimæ & optimæ ipsius testatoris.

Christus itaque per mortem transiturus ad Patrem in suo testamento tria legata disposuit & legavit. Quorum *primum* processit ex motu summæ charitatis, quo disposuit discipulis regnum, & regni convivium Lucæ 22. *Dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis* &c. *Secundum* processit ex impetu divinæ liberalitatis, quo disposuit latroni paradisum Lucæ 23. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Et Psalm: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Psal. 45. 5. *Tertium* verò processit ex affectu summæ pietatis, quo disposuit & commendavit Mariam Joanni ùt filio, & Joannem Mariæ ut filium. Joan. 19. *Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: ecce Mater tua.* Et illud erat ultimum præcordialissimum legatum testamenti JEsu Christi in cruce, quod innuit Joannes ibidem subjungens: *postea sciens Jesus, quia jam omnia consummata sunt* &c. scilicet omnia, quæ circa passionem & in passione facere & pati voluit.

CAPUT XXXVI.

De ordinatione testamenti quoad Matrem commissam Ioanni.

Ergo Christus moriturus in cruce, & testamentum facturus (postquam ordinavit & testatus est, quod pertinebat ad effectum charitatis quoad discipulos; quibus disposuit regnum: & ad modum liberalitatis quoad latronem, cui disposuit paradisum) non immemor fuit matris, in eo, quod pertinebat ad officium & affectum filialis pietatis ad ipsam, quam se filio suo destituendam & desolandam per mortem suam commendavit Joanni, ut eum vice sua haberet filium. Bernardus: *O commutatio, Ioannes tibi traditur pro JEsu, filius Zebedæi pro filio Dei, discipulus pro Magistro, servus pro Domino, homo purus pro Deo vero!*

Cùm ergo in cruce ad mortem esset JEsus Spiritu anxiatus juxta illud Psalm: *Anxiatus est in me Spiritus meus, in me turbatum est cor meum;* Psal. 142. 4. liber tamen & passionis doloribus minimè præpeditus, vigebat & vivebat in ipso filialis pietatis affectus: quo cum vidisset matrem jam in proximo filii solatio & gaudio desolandam & medullitus perturbandam, recognovit humaniùs consolandam & commendandam. Et dixit Matri suæ, tanquam injungens ei tutoria ordinatione & testamentaria dispositione ac gratuita commissione: *Mulier,* inquit, *ecce filius tuus.*

Hanc itaque commissionem & commendationem Matris faciendam Joanni tria exigebant; *Primò* debitum pietatis. Est enim pietas virtus ex natura & ratione & more ac lege filios obligans & inducens ad amorem & honorem parentum. Exod. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tua ne obliviscaris; & retribue illis, quomodo & illi tibi,* Exodi 20. 12. Ergo sicut parentes ex virtute & affectu pietatis tenentur curare filios & procurare: ita è converso filii ad idem tenentur parentibus, cùm exigit causa & tempus.

Secundò suffragium necessitatis. Quia B. Virgo jam præmortuo Joseph custode & teste castitatis & curatore necessitatis & honestatis ipsius virginis, sub filii cura & custodia manserat, secuta ipsum Christum cum sororibus suis & mulieribus; quæ ipsi Christo ministrabant, ùt habetur Marci XI. Alioquin nisi Joseph mortuus jam esset, injuria ei facta fuisset: si sponsa, ùt uxor habita ab ipso, in ejus cura & custodia non mansisset, ùt dicit Glossa super Joannem. Nunc ergo Joseph mortuo & Christo morituro, suffragium necessitatis exigebat; ut alteri cura ejus & custodia committeretur.

Tertiò testimonium castitatis. Quia exigebatur, ut non solùm curatorem & custodem, sed etiam testem suæ castitatis & vitæ

& vitæ haberet. Quia ille verax testis A. esse potuit, qui vitam & conversationem ejus quasi custos & obsecutor observavit & vidit juxta illud Joan. 19. *Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium ejus, & ille scit, quia vera dicit.*

CAPUT XXXVII.

De forma commissionis, qua commisit matrem Joanni.

Dixit ergo IEsus matri suæ: *Mulier, ecce filius tuus.* Nota, quòd in nomine *mulieris* circa matrem suam tria innuit. *Primò* distincti sexus veritatem; B. quoniam ipsa cum servata integritate mentis & corporis vera Mater Christi secundùm muliebris generationis veritatem fuit. Quia, ùt dicit Ambrosius super Lucam Christi nativitas de Matre fuit secundùm naturam, sed modus supra naturam. Unde Apostolus hoc insinuare volens dicit ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum, factum ex muliere* &c. scilicet secundùm muliebrem conceptionem & generationem, licet non secundùm muliebrem corruptionem. Et hoc necessarium fuit exprimi contra illos hæreticos, qui dicebant Mariam non hominem, sed C. Angelum fuisse in specie hominis.

Secundò insinuat muliebris affectus pietatem; quia misericordia & pietas huic sexui est innata & cognata. Propter quod ad aggravandam obsessorum à Chaldæis Judæorum miseriam, Jeremias mulierum naturalem pietatem conqueritur versam fuisse in feralem crudelitatem. Thren. 4. *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos.* Et subdit: *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.*

Tertiò innuit sub muliebris vocabuli communitate occultatam Matris virgini- D. tatem, quia, ut superiùs dicebatur, cùm omnis nupta sive corrupta sit & dicatur mulier; similiter & omnis virgo sit & dicatur mulier: ideò nomen mulieris, sicut corruptam præcisè non includit, ita virginem non excludit; & per consequens. Christus matrem suam, frequenter nominando mulierem; sicut ipsius virginitatem hoc nomine communi opinioni hominum occultavit, ita & maternitatem posse & debere subintelligi insinuavit.

Dicit ergo Matri: *Mulier*: scilicet tu Virgo & Mater, quia virgo & mater est mulier. Tu, inquit, Mater me filio desolanda; tu virgo custode & teste non privanda: tu mulier propter imbecillitatem muliebrem virili cura & procuratione, me mortuo, non frustranda; *ecce filius tuus*: Joannes pro JEsu tibi suscipiendus, matris & filii mutua charitate, Virginis & virginis concordi custodia & castitate, commissi & commissæ adinvicem unanimi cura & pietate. Eccles. 6. *Amicus, qui permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, & in domesticis tuis fiducialiter aget.*

Deinde dicit discipulo, ecce mater tua! *Ecce*, adverbium demonstrandi sæpe in sacra scriptura ponitur. Ut Psalm: *Ecce concupivi mandata tua!* Et: *Ecce, elongavi fugiens.* Et: *ecce Deus adjuvat me.* Item Lucæ 2. *Ecce Angelus Domini adstitit juxta illos.* Ibidem: *Ecce ancilla Domini.* Psal. 118. 40 Ibid. 54. 8. Ibid. 53. 6.

Innuit autem tria, videlicet interioris conceptus inspiratam & interiorem significationem. Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam.* Vel occulti alicujus subitam manifestationem Lucæ 2. *Ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.* Vel propositi aut promissi alicujus actualem & præsentialem exhibitionem & adimpletionem ùt hic; *Mulier, ecce filius tuus*; & ad Discipulum: *ecce mater tua.* Quasi dicat: quod aliquando præcordialiter proposui, & certitudinaliter promisi, dicens Joannis 3. *Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea*, scilicet passionis & mortis meæ instantia: hoc nunc adveniente & instante ipsâ hora præsentialiter & effectualiter adimplere & exhibere volo. Ecce igitur filius tuus Joannes, pollens præcipua pietate, florens virginea puritate, & mihi adhærens proxima familiaritate & fidelitate, testis & custos & curator tibi datur juxta illud quod dicitur Eccl. 6. *Amico fideli nulla est comparatio; & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.* Deinde dicit Discipulo: *ecce Mater tua*; scilicet tibi filiali affectu & officio prosequenda, familiari obsequio custodienda, & fideli suffragio confovenda. Eccl. 6. *Qui timet Dominum, æquè habebit amici-*

micitiam bonam, quoniam secundùm Deum erit amicus illius.

Et ex illa hora, scilicet instantiæ passionis, & diligentiæ commissionis, & mutuæ ac fidelis connexionis novi filii & novæ matris, *accepit eam Discipulus in sua.* Discipulus scilicet ille præcipuè ad hoc electus & dilectus, & diligens ac magistro obediens, ac materteram ut matrem alteram recognoscens & amplectens: quia, ut dicitur Eccl. 6. *Decor vitæ est in illa, & vincula ejus sunt alligatura salutaris.* Ille, inquam, talis ac tantus Discipulus accepit & suscepit & excepit eam ut matrem cum gaudio, ut Dominam cum obsequio, ut fidei commissam cum fidei suffragio: quia de ipsa verum fuit, quod dicitur Sap. 8. *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tadium convictus ejus, sed lætitiam & gaudium.* Accepit itaq; eam *in sua*, id est, in suam curam & custodiam tanquam futurus custos & testis ipsius vitæ & castitatis, & tanquam subsecutor & assecutor & obsecutor sanctitatis, & tanquam executor & prosecutor & procurator temporalis necessitatis: quia sciebat Joannes, quòd versa vice sibi, sicut dicitur Sap. 3. *Dabitur à Domino fidei donum electum, & sors acceptissima in templo Dei; quia laborum bonorum gloriosus est fructus.*

CAPUT XXXIIX.

Unde Joannes Virginem sibi commissam procuraverit.

SEd quia tam textus quàm Glossa Evangelii hoc videtur dicere & intendere; quòd Joannes ex tunc Matrem Christi B. Virginem acceperit, ut sibi commissam ad procurationem & provisionem temporalis necessitatis ipsius virginis: dubitari potest; unde procuraverit, aut procurare potuerit, cùm ipse, sicut cæteri Apostoli, omnia reliquerit: ut dicitur Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia;* & nihil proprium habuerit; sicut nec cæteri Apostoli, sicut dicitur Act. 4. *Quòd nullus quidquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat.*

Ad hoc dicendum; quòd Apostoli post acceptionem Spiritus Sancti adhuc simul Jerosolymis commanentes nihil proprium habebant, nec aliquis conversorum & credentium, sed habebant omnia communia, & dividebant singulis, pro ut cuique opus erat, vel pro se vel pro suis; in quantum Apostoli de communibus unicuiq; dividebant Act. 4. Ea quoque, quæ mulieres fideles Apostolis ministrabant, per devotas & fideles viduas ad mensas singulas quotidie dispensabantur: donec, ùt legitur Act. 6. Factum est murmur Græcorum adversùs Hebræos pro eo; quòd viduæ eorum in ministerio hujusmodi quotidiano despiciebantur, id est, vitabantur, ùt dicit Glossa tanquam quibus ut extraneæ gentis non esset ab Hebræis contendum. Propter quod & Apostoli dixerunt, ut habetur Act. 6. *Non est æquum nos*, scilicet Apostolos, *derelinquere verbum Dei & ministrare mensis.* Unde consilio facto elegerunt septem Diaconos, scilicet Stephanum & reliquos sex ad hoc opus. Unde dicit Glossa super Joannem; quòd Apostoli de communibus dividebant Joanni pro se & pro beata Virgine suæ curæ commissa, quod opus erat.

Apostolis verò per orbem divisis & prædicantibus licebat victum accipere ab illis, quibus prædicabant; ut dicitur 1. ad Corinth. 8. Quòd Dominus ordinaverit his, qui Evangelium annuntiant, vivere de Evangelio. Et propter hoc etiam licebat eis, quamvis tamen non præciperetur istis, sed permitteretur eorum voluntati: ut mulieres fideles, sequentes & cupientes Apostolorum gratiam videre & percipere, & doctrinam audire, ministrarent eis necessaria. Sicut & Dominum sequentes mulieres à Galilæa in Judæam ministrabant ei: de qua pecunia Judas habebat loculos Domini; quia repositoria custodiebat, in quibus ad usum Domini & Apostolorum, & pauperum victum illa pecunia servabatur.

Deficiente autem ministratione & collatione necessariorum ex parte eorum, quibus Apostoli prædicabant, licebat eis in artibus & operibus licitis laborare manibus, unde viverent: sicut de se ipso dicit Apostolus 1. ad Cor. 4. *Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & laboramus operantes manibus nostris.* Unde ipse Apo-

postolus 2. ad Thessal. 2. dicit: *Denuntiamus vobis; quoniam si quis non vult operari, nec manducet.* Ubi etiam consequenter in litera otiositatem & curiositatem aliunde quærentium victum reprobat & condemnat.

* Ita Cod. Scot.

** Explicit Prima Pars Tractatus Engelberti Admontensis de Dignitate Virginis Gloriosæ.*

INCIPIT PARS SECUNDA TRACTATUS ENGELBERTI Abbatis Admontensis DE GRATIIS ET VIRTUTIBUS B. V. MARIÆ.

Proëmium. *

* Cod. Scot. Incipit Prologus ejusdem in secundam partem de eodem.

HActenus igitur expositionem & declarationem Evangelicæ Historiæ de conditione & conversatione & vita & virtutibus B. Virginis ab ipsius Domini nostri JEsu Christi annuntiatione & nativitate & conversatione & prædicatione & passione usque ad mortem ipsius JEsu Christi, quantum ipsa dignante & donante potui & scivi, sum ab initio sequens Evangelicam Historiam prosecutus. Deinceps itaque quæ post mortem Christi in resurrectione ipsius & apparitione per quadraginta dies, & ascensione ad cœlos, & Sancti Spiritus missione, & Apostolorum prædicatione usque ad ipsorum divisionem ad singulas singulorum provincias in sortem prædicationis acceptas; & usque ad beatum ipsius Virginis transitum de hoc mundo, circa ipsam & ab ipsa divinitùs gesta sunt in vita & virtutibus & gratiis & beneficiis ipsius, aliquid amodò, quod DEus inspiraverit, est dicendum.

Primò ergo quæritur, utrum DEus post resurrectionem Matri suæ, vel primò Mariæ Magdalenæ apparuerit.

Secundò, ubi & qualiter post ejus resurrectionem B. Virgo conversata fuerit usque ad ascensionem, cui ipsa, ut Lucas innuit, præsens interfuit.

Tertio, qualiter & cum quibus post ascensionem conversata fuerit.

Quartò, quanto tempore sub cura Joannis Evangelistæ manserit.

Quintò, utrum signa aliqua deinceps in vita ista adhuc manens fecerit.

Sextò, quare vita & virtutes & signa ejus per aliquam scripturam authenticam pro illo tempore declarata & scripta non fuerint.

Septimò, quid de ipsius transitu, & assumptione in anima & in corpore sentiendum sit, & tenendum secundùm sobriam & piam fidem Ecclesiæ & doctrinam.

CAPUT I.

Utrum Christus post resurrectionem primò apparuerit B. Virgini.

SEd quoniam ad dubia & incerta ostendenda convenientibus principiis & suppositionibus notioribus oportet uti, ex quibus secundùm assumpta media oportet ad conclusiones, quæ ex illis probabiliter vel necessariò evenire potuerint, inspiciendas attendere, & videre: propter hoc ad prædictas quæstiones discutiendas quædam principia & suppositiones ex textu Sacræ Scripturæ & ex dictis Sanctorum & Doctorum præponere est utile & necessarium.

Primum principium itaque convenienter & necessario ab Angelicæ salutationis

tionis verbo ad virginem est sumendum. Videlicet quòd secundùm verbum Angeli: *Ave gratia plena*, oportet concedere, quod in B. Virgine fuit, & est omnis gratiæ plenitudo.

Secundum; Quòd secundùm Anselmum ex omnibus, quæ gratiæ attribui possunt, nihil sibi conveniens & condignum defuit, quæ gratia plena fuit.

Tertium; Quod secundùm Damascenum in omnibus, quæ gratiæ & virtutis esse possunt, à nullo illustrium sive excellentium Sanctorum superatur juxta illud Cantic. 6. *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt.*

His igitur principiis præsuppositis ad primam quæstionem, utrum post resurrectionem Christus primò ante omnes Matri suæ B. Virgini apparuerit, respondeo dicendum: quòd Christi resurgentis apparitio tribus de causis fiebat.

Primò propter plangentium & dolentium consolationem & lætificationem. Et sic scribitur apparuisse primò Mariæ Magdalenæ, quæ plus aliis mortem suam luxit. Et intelligendum est *plus aliis* præter solam B. Virginem: quæ plùs incomparabiliter omnibus doluit, in quantum magis propinquas & arduas & urgentes causas doloris habuit, ut supra dictum fuit.

Secundò propter fugientium & in fide diffidentium reductionem & confortationem; & sic apparuit Petro ante alios Apostolos: quia plus aliis videbatur defecisse à Domino in passione; idcircò, quòd aliis solummodo fugientibus ipse inter alios non solùm fugit, sed etiam negavit. Unde super illud Marci ult. *Ite citò, & dicite Discipulis ejus & Petro, quia surrexit Dominus*, dicit Gregorius: Quòd in nomine expressus inter alios Petrus, eum in Galilæam præcedentem sequi ausus non erat, qui solus inter alios eum negaverat.

Tertiò, propter Resurrectionis manifestationem & testium advocationem. Et sic apparuit nunc illis, nunc istis singulariter: & demum simul multis generaliter; sicut dicit Apostolus 1. ad Corinth. 15. Quòd *apparuit quingentis fratribus simul & ultimò undecim Apostolis simul congregatis & recumbentibus ad cœnam*, ut dicitur Marci ult. Cùm quibus etiam tunc, antequam in coelos ascende- A. ret, cibum sumpsit, ut dicitur Act. 1. Quòd *convescens præcepit eis, ab Jerosolymis ne discederent.*

CAPUT II.

Quòd Christus resurgens primò apparuerit B. Virgini.

Licèt igitur non fuerit necessarium primò apparuisse Christum B. Virgini propter ipsius reductionem & confortationem in fide, quæ nunquam diffisa, sed plenè credula fuit & conscia mysteriorum Christi ab initio suæ nativitatis usque B. ad finem passionis & mortis, ùt dicit Anselmus. Nec etiam propter suæ resurrectionis manifestationem & attestationem; quia ipsa tanquam Mater Christi in causa filii testis induci non debuit: nec etiam ad restandum & prædicandum ejus resurrectionem per mundum eam discurrere decuit; sicut Apostolos, quibus dictum fuit Act. 1. *Eritis mihi testes in omni Judæa & Samaria & usque ad ultimum terræ.* Nihilominus tamen propter ipsius lætificationem & consolationem, quæ de sua passione & morte plus omnibus inæstimabiliter doluit, per consequens C. potiùs & priùs omnibus resurgentis filii apparitione & visione consolari debuit. Et hoc Sedulius etiam in suo paschali opere scribit, quòd Matri ante omnes primò apparuit; sicut dignum fuit: ut, quem super omnes fideliùs & firmiùs resurrecturum credidit, priùs omnibus resurgentem videret, in veritate illius corporis, quod de ipsa assumpsit. Quod Evangelistæ ideo non expresserunt, quia prædicatio & attestatio resurrectionis ad eam non pertinuit.

Unde, quia secundùm Anselmum nulla ei gratia defuit, quæ gratia plena D. fuit; & secundùm Damascenum à nullo Sanctorum & illustrium in aliqua gratia superatur in omni eo, quod suæ dignitati est conveniens & condignum: Sanè credendum est & tenendum; quod nec ista gratia apparitionis & consolationis Matri Christi præ omnibus conveniens & condigna ipsi defuerit & ea frustrata extiterit: Licet Augustinus in quodam Sermone de Resurrectione, qui incipit, *Pascha Christi*, videatur dicere, quòd Mariæ Magdalenæ priùs quam Matri suæ apparuerit. Hoc enim intelligendum est,

est, quòd Evangelistæ illam apparitionem A
Mariæ Magdalenæ factam priùs & potiùs scribere voluerunt; quia Maria Magdalena pro ferventi amore & frequenti visitatione sepulchri Dominici hoc præcipuè præ aliis meruit, quòd ipsius resurrectionis Apostolorum publica Apostola fuit facta. Quod Matri Christi tanquam Dominæ Apostolorum ipsorum conveniens & condignum non fuit, ut Domina ad servos nuntia existeret.

CAPUT III.

Qualiter, & ubi, & cum quibus B. Virgo post resurrectionem conversata fuerit. B

AD secundam quæstionem, videlicet qualiter & ubi &c. conversata fuerit usque ad ascensionem (cui ipsa, ùt Lucas refert, interfuit) planè & sanè dici potest; quòd, cùm Christus in cruce ipsam Joanni commendaverit; & Evangelium dicat, quòd ex illa hora acceperit eam Discipulus in sua: ipsa B. Virgo juxta Christi testamentariam dispositionem sub cura & custodia & obsequio & ministerio Joannis deinceps manserit in Jerusalem; sicut asserit Hieronymus in Sermone: *Cogitis me, ô Paula* &c. & erat cum mulieribus, quæ Dominum secutæ fuerant: & locum passionis Christi & sepulchrum ipsius pio desiderio & amore, ac devotionis studio & fervore una cum ipsa frequentiùs visitabant; ac Apostolos in Galilæam euntes & redeuntes in Jerusalem, & apparitiones Domini post resurrectionem ejus factas variè & in variis locis narrantes & attestantes exspectabant, & cum diligentia observabant usque ad ascensionem Christi. Post quam Apostoli deinceps usque ad ipsorum divisionem & dispersionem, simul in Jerusalem permanserunt: licet post lapidationem Stephani illi, qui in persecutione Ecclesiæ tunc dispersi erant, per diversa loca transirent prædicando verbum Dei. C D

Inter quos & Philippus descendens in Samariam ibi prædicabat, & in tantum proficiebat; quòd Apostoli Jerosolymis audientes, quod ad ejus prædicationem Samaria recepisset verbum DEI, miserunt illuc Petrum & Joannem: ad quorum manus impositionem, qui crediderant, recipiebant Spiritum Sanctum; ùt habetur Act. 8.

Non enim continuè in Jerusalem habitabant; sed per totam Judæam & Samariam transeuntes prædicabant, & populum convertebant; sicut scribitur Act. 9. Quòd Ecclesia per totam Galilæam & Samariam habebat pacem, & ædificabatur crescens & ambulans in timore DEI: & quòd Petrus pertransibat universos, donec perveniret ad eos, qui habitabant Lyddæ.

Veruntamen caput & sedes Ecclesiæ primitivæ tunc erat in Jerusalem; unde mittebantur ad vicinas provincias ad prædicandum. Ad quam etiam sedem in causis & quæstionibus per Jacobum & Apostolos decidendis recurrebant, beata Virgine & cæteris sanctis mulieribus in Jerusalem continuè manentibus, quas per Judæam ad prædicandum discurrere non licebat. Quia, ut dicitur Act. 13. *In Judæa oportebat primùm prædicari Evangelium* juxta præceptum Christi; ut habetur Matth. 10. *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis; sed potiùs ite ad oves, quæ perierunt, Domus Israël.*

Nam licèt Petrus Cornelium primum de Gentibus baptizavit, ut habetur Act. 10. & Philippus Eunuchum, ut habetur Act. 9. publicè tamen & generaliter extra terminos Judææ nondum fuerat Gentibus Evangelium prædicatum usque ad divisionem Apostolorum per universum orbem. Juxta quod Barnabas & Paulus dixerunt contestando Judæis Act. 13. *Vobis oportebat primùm prædicari Evangelium; sed quoniam repulistis illud, & indignos vos judicastis æternæ vitæ; ecce convertimur ad Gentes.*

Licèt autem beata Virgo in Jerusalem cum sanctis mulieribus manserit circa illa loca vallis Josaphat, & in vicino ejus loci, ubi Dominus operatus est salutem in medio terræ, ut scribit Hieronymus; tamen ille venerabilis cætus Apostolorum, cùm in Jerusalem adhuc consisteret, ipsam devota & condigna visitatione frequentabat: certatim singuli contendentes de ejus sanctissimo ore mysteria fidei, & secreta Christi (quorum ipsa super omnes conscia fuit) audire & discere ac tenere juxta illud Eccl. 24. *In Ecclesiis Altissimi aperiet os suum, & in multi-*

multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur.

Beata itaque Virgo in Jerusalem mansit usque ad beatum transitum suum de hoc mundo; sicut patet ex Epistolis Ignatii: quas misit in Jerusalem, B. Virgini unam, & Joanni duas. In quibus rogat & optat vocari & venire in Jerusalem ad videndam ipsam B. Virginem & Jacobum & Joannem, cujus Discipulus ipse erat, sicut infra patebit in eisdem Epistolis de verbo ad verbum subscriptis.

CAPUT IV.

Epistola prima Ignatii ad S. Joannem Evangelistam.

Joanni Sancto Seniori suus Ignatius. Si licitum est mihi apud te ad Jerosolymæ partes ascendere, & videre fideles & sanctos, qui ibi sunt; & præcipuè Mariam Matrem JEsu, quam prædicant universis admirandam, & cunctis desiderabilem. Quem enim non delectet eam videre, quæ DEum verum & hominem de se genuit, si nostræ sit fidei, & nostræ religionis amicus? Similiter & illum venerabilem Jacobum, qui cognominatur justus; quem referunt JEsu simillimum facie & vita & modo conversationis: ac si ejusdem uteri esset gemellus. Quem, dicunt, si videro, video & ipsum JEsum secundum omnia corporis ejus lineamenta. Præterea cæteros Sanctos & Sanctas. Heu quid moror? Quid detineor, bone præceptor? properare me jubeas & valeas.

CAPUT V.

Epistola Secunda ejusdem ad eundem.

Joanni Sancto Seniori Ignatius, & qui cum eo sunt fratres. De tua mora dolemus graviter, tuis allocutionibus & consolationibus roborandi. Si tua absentia protendatur, multos de nostris destituet. Properes igitur venire, quia credimus expedire. Sunt & hic multæ de nostris mulieribus, Mariam JEsu videre cupientes, & à nobis quotidie discurrere volentes: ut eam contingant, & ubera ejus tractent, quæ Dominum JEsum aluerunt, & ut quædam secretiora ejus percunctentur. Ipsam enim etiam Maria Salome, quam diligis, filia Annæ multum commendat, Jerosolymis quinque mensibus commorata apud eam. Et alii quoque quidam referunt, eam omnium gratiarum abundam, & omnium virtutum fœcundam, quòd in persecutionibus est hilaris, in conversationibus humilis, in penuriis & indigentiis non querula, injuriantibus grata, & molestata lætatur. Miseris & afflictis coafflicta condolet, & eis subvenire non pigrescit. B. *Contra vitiorum sectatores pestiferos in pugna fidei disceptans enitescit. Nostræ novæ religionis & pœnitentiæ est magistra; & apud fideles omnium operum pietatis ministra: & humilibus quidem devota, devotis devotiùs humiliatur, & nimiùm ab omnibus magnificatur, licèt à Scribis & Pharisæis ei detrahatur. Præterea multi multa de ea referunt, quibus tamen omnibus per omnia non audemus fidem concedere, nec tibi deferre: Sed, sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria JEsu humanæ naturæ natura sanctitatis Angelicæ sociatur.* C. *Et hæc talia excitaverunt viscera nostra, & cogunt valde desiderare aspectum ejus: tanquam, si fas est fari, cœlestis prodigii & sacramenti thesaurum gaudeamus nobis monstrari. Tu autem diligenti modo sic dispone cum nostro desiderio, & valeas. Amen.*

CAPUT VI.

Epistola Ignatii ad Beatam Virginem.

D. *Christiferæ Mariæ Ignatius suus. Me Neophytum Joannisque tui Discipulum confortare & consolari debueras. De JESU enim tuo multa dictu precepi, & stupefactus sum ex auditis. A te autem, quæ fuisti ei semper familiaris, & conjuncta, & secretorum ejus conscia, desidero ex animo certior fieri de auditis. Scripsi tibi etiam aliàs & rogavi de eisdem. Valeas, & Conneophytæ qui mecum sunt, ex te & per te & in te confortentur. Amen.*

CAPUT VII.

Epistola B. Virginis ad Ignatium.

IGnatio dilecto Discipulo humilis Ancilla JESU Christi. De JESU, quæ à Joanne audisti & didicisti, vera sunt. Illa credas, illis inhæreas, & Christianitatis votum firmiter teneas, & mores & vitam voto conformes. Veniam autem unà cum Joanne meo te, & qui tecum sunt, videre. Sta igitur, & viriliter age in fide; nec te moveat persecutionis austeritas: Sed valeat & exultet spiritus tuus in DEO salutari tuo. Amen.

CAPUT VIII.

Quòd B. Virginis vita quantum ad activam & contemplativam vitam perfecta fuerit.

EX prædictis Epistolis Ignatii patet evidenter, ubi, & qualiter, & cum quibus B. Virgo post Resurrectionem & Ascensionem Domini fuerit conversata: cui Ignatio utique fides indubia est adhibenda. Nam Hieronymus in libro Virorum illustrium & Eusebius in Historia Ecclesiastica ipsum, tanquam scriptorem & Doctorem Ecclesiasticum comendant: & in minori Comment: super Matth. Hieronymus eum introducit, & ejus sententiam de desponsatione B. Virginis approbat. Fuit etiam post S. Petrum tertius, qui Antiochenam rexit Ecclesiam; & doctrina & miraculis clarus, cùm multos ad fidem Christi convertisset, captus & Romam ductus fuit sub Trajano Imperatore: & ibi multis suppliciis cruciatus Martyrium consummavit.

Ad majorem autem declarationem vitæ & conversationis Beatæ Virginis notandum est; quòd, cùm, sicut dicit glossa super illud Lucæ 10. *Intravit JESUS in quoddam castellum;* Duæ sint vitæ, quibus in præsenti sancta Ecclesia communiter, & quilibet fidelis, & sancta anima singulariter exercetur; ut ad sanctitatis & gratiæ perfectionem veniat, in qua & per quam ad futuræ vitæ beatitudinem tendat & perveniat, videlicet *vita activa* & *contemplativa*: consequen-

A. ter Beata Virgo, quæ gratia plena fuit, in utraque vita prædicta summum gradum perfectionis attigerit & obtinuerit juxta illud Eccl. 24. *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Et Psalm. *Sancti-tas & Magnificentia in Sanctificatione ejus.* Psal. 95. 6.

Unde Anselmus causam convenientiæ assignans, quare illa lectio Evangelii, *intravit JESUS in quoddam castellum*, legatur in assumptione Beatæ Virginis ad Missam, dicit; quòd in illa duplici vita, scilicet activa, quæ significatur per Martham; & contemplativa, B. quæ significatur per Mariam sororem Marthæ, Beata Virgo omnes alios sanctos excellebat. Quia Martha sic nunquam Domino ministravit, nunquam Maria contemplationi sic vacavit & Christo adhæsit; sicut B. Virgo à nativitate Christi usque ad ipsius passionem, & post passionem & resurrectionem & ascensionem deinceps semper fecit.

Unde notandum; Quòd, sicut glossa ibidem exponit, utraque vita, activa scilicet & contemplativa, radicatur, perficit & perficitur in charitate DEI & C. proximi: In charitate quidem DEI propter ipsum DEum; in charitate verò proximi propter DEum: & hoc secundùm vitam activam quantum ad operis effectum, ordinatum ad utilitatem proximi: secundùm contemplativam autem quantum ad mentis affectum, ordinatum in dilectionem DEI. Quia, ùt dicit Augustinus in libro de quærendo DEO, contemplatio sancta est in eo; ut DEum cognoscamus, & cognitum diligamus: quem diligentes, ipsi adhæreamus, ut adhærendo Beati simus. Psalm. *Mihi autem adhærere DEO bonum* Psal. 62. 8.
D. *est.* Et Psalm. *Adhæsit anima mea post te; me suscepit dextera tua.*

CAPUT IX.

De perfectione B. Virginis, quantum ad vitam activam.

ACtiva igitur vita consistit in sex operibus misericordiæ, & in actibus & exercitiis eorum, quæ ad ipsa reducuntur. Quæ opera enumerantur Matth. 25. *Esurivi, & dedistis mihi manducare &c.*

Ad

Ad videndum autem, qualiter B. Virgo in illis sex operibus misericordiæ omnes justos & sanctos excellebat, sciendum, quòd in ipsis operibus unus alium ex una duarum causarum excellere potest; vel quia à digniori aut meliori ipsum opus impenditur circa personam digniorem & meliorem; vel quia ex majori charitate impenditur. A. Beata autem virgo omnibus dignior & melior fuit juxta illud Prov. ult. *Tu supergressa es universas;* & dignissimæ personæ scilicet ipsi JEsu Christo DEI Filio; & ex summa charitate omnia & singula prædicta opera misericordiæ impendit: ergo in officio B. & operibus vitæ activæ omnes alios antecessit.

Primò igitur filio DEI de sinu patris à regalibus sedibus in vallem miseriæ hujus mundi peregrinanti juxta illud Jerem. 14. *Quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum,* ipsa præbuit hospitium sui sanctissimi corporis & animæ ad ipsum recipiendum & Psal. 18. 5. sese inhabitandum. Psalm. *In sole posuit tabernaculum suum,* id est, in virgine posuit carnis de ipsa assumptæ obumbraculum.

Secundò ipsum filium DEI, quo dignior persona non erat, nec esse poterat, C. de suo sanctissimo corpore assumptæ carnis tegmine vestivit incarnandum, & pannis involvit incarnatum & de se natum. Lucæ 2. *Et pannis eum involvit;* & Isa. 62. *Induit me vestimento salutis, & indumento justitiæ circumdedit me quasi sponsum decoratum corona.*

Tertiò ipsum DEI filium esurientem & sitientem lacte suo cibavit & potavit Lucæ 11. *Beatus venter, qui te portavit; & ubera, quæ suxisti.* Ruth. ult. *Susceptum Noëmi puerum posuit in sinu suo; & nutricis ac gerulæ officio fungebatur.* Beata enim virgo (quæ verè Noëmi fuit, id est, pulchra tota intus & extra juxta illud Cant. 4. *Tota pulchra es, & macula non est in te*) puerum Jesum de se natum, non quæsita nec habita obstetrice & gerula vel nutrice, sola per se in sinu suo posuit, & tractavit, & lactavit, & potavit. Prov. 5. *Ubera ejus inebrient te, & in amore illius delectare jugiter.* Et Cant. 1. *Meliora sunt ubera tua vino.*

Quartò ipsum DEI filium, DEI virtutem & sapientiam, in assumpta humana carne infirmatum, juxta illud Psal. *Infirmata est in paupertate virtus mea;* Psal. 30. 11. quotidiana cura & custodia visitavit, fovit & conservavit Eccl. 4. *Non avertas faciem tuam ab egeno, & ab inope ne avertas oculos.* Ipse enim fuit egenus & pauper in hac vita Psal. *Ego verò egenus & pauper sum:* quia, Psal. 69. 6. sicut dicitur 2. ad Corinth. 8. *Propter nos egenus factus est, cùm esset dives: ut illius inopia nos divites essemus.*

Quintò DEI filium in triplici carcere positum visitavit, & ad eum venit, & sibi adfuit. Cùm enim carcer sit ad concludendum, & præcludendum incarcerato liberum motum & processum corporis ac membrorum; omnis ergo hujusmodi conclusio & præclusio carceris nomine appellatur. *Primò* B. Virgo Christum positum in carcere nostræ carnis; quam de ipsa assumpsit, ei semper præsens affuit visitando, procurando, consolando & compatiendo. Eccl. 4. *Animam esurientem ne despexeris, & non protrahas donum angustiati, & cogitationem contribulati ne abjicias.* *Secundò* positum in carcere præsepis. Quia, ùt dicit Augustinus, præsepis angustia Christum portavit infantem. Unde canit Ecclesia: *Vagit infans inter arcta conditus præsepia.* Lucæ 2. *Et reclinavit in præsepio.* Et Isa. 59. *Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* *Tertiò* positum in carcere crucis, cui erat affixus: ad quem carcerem eum secuta fuit; & dolens ac condolens secum ibi stetit, & in finem perstitit: quia JEsus & Maria, amabiles & decori valde in vita sua, in morte quoque non sunt divisi; sicut dicitur 2. Reg. 1. de Saule & Jonatha. Quia sicut filio patienti fuit compassa, ita mortuo fuit commortua: D. nam anima ejus liquefacta est, ut dilectus filius ejus locutus est in cruce illa verba; mulier, ecce filius tuus. Quasi diceret; jam non ego ero filius tuus: quia, sicut mortuus homo non est homo, ita mortuus filius jam non est filius; sed Joannes amodò erit filius tuus, te filiali affectu habiturus loco mei & tractaturus.

Sic ergo patet, qualiter B. Virgo in sex operibus misericordiæ filio impensis summum gradum officiorum vitæ activæ attigerit & possederit.

CAPUT X.

De Duodecim tribulationibus & laboribus præsentis Vitæ.

DE operibus verò misericordiæ impensis hactenus toti Ecclesiæ militanti, & filiis & fidelibus ipsius in miraculis & gratiis & beneficiis (sicut legitur in diversis libris de miraculis B. Virginis) & quæ ipsa adhuc quotidie impendit, & in perpetuum impendere non cessabit juxta illud Eccl. 24. *Non desinam in progenies illorum usque in ævum sanctum;* requiratur in prædictis scriptis & libris miraculorum ipsius Beatæ Virginis.

Super quibus signis & miraculis in genere considerandis & commendandis ad fidelium & devotorum ipsius spem confortandam & devotionem provocandam, & vitam ac salutem, præsentem & futuram, impetrandam notandum: quòd inter cæteras mysticas & magnificas significationes, quibus B. Virginis gratiæ & virtutes, & ipsarum laudes sunt præsignatæ in creaturis, præfiguratæ in figuris, & prophetatæ in scripturis, Beata Virgo est illud *lignum vitæ;* de quo dicitur Prov. 3. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam; &, qui tenuerit eam, beatus.* Quia per eam consequenter vitam, & beatitudinem vitæ præsentis & futuræ, qui apprehenderint eam per specialem devotionem: & tenuerint eam per devotionis continuationem & consummationem. De hoc ligno dicitur Apocal. 22. Quòd Angelus ostendit Joanni flumen splendidum, tanquam crystallum apud portam vitæ; & ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum.

Isti duodecim fructus sunt duodecim effectus misericordiæ, quas Regina misericordiæ suis devotis se invocantibus impendit per singulos menses; id est, in duodecim tribulationibus & tentationibus & laboribus, quibus præsens tota vita hominum variatur & mutatur, sicut annus duodecim mensium mutationibus variat & mutat tempora & dies suos.

Præsens ergo vita hominum, quæ non est aliud, nisi militia super terram, sive labor militandi & pugnandi contra miseriam, variè & diversè tentatur & tribulatur, ut in summa & in genere dicatur, istis duodecim tentationibus & tribulationibus.

Prima tentatio & tribulatio est indigentia necessariorum. Quia, cùm homo nudus sit egressus de utero matris suæ, ut dicitur Job 1. Propter hoc, sicut dicit philosophus, cùm homo non habeat arma nec victum à natura, totus natus & est datus prudentiæ & labori, quibus vitam suam sustentet & defendat.

Secunda est instantia negotiorum, quibus necessaria acquirat Prov. 6. *Vade ad formicam ò piger, & considera vias ejus; & disce sapientiam.*

Tertia est imminentia periculorum. Esth. 14. *Ecce periculum meum in manibus meis est.*

Quarta est angustia perplexorum. Daniel. ult. *Angustiæ mihi sunt undique; & quid eligam, ignoro.*

Quinta est conscientia delictorum. Psalm. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, id est, conscientiam meam. Psalm. 37.5.

Sexta est corporis languor. Psalm. *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ.* ibid. 4.

Septima, mentis mœror. Thren. 2. *Multi enim sunt gemitus mei, & cor meum mœrens.*

Octava, casûs timor. Ad Rom XI. *Noli altum sapere, sed time.* Et ad Eph. 8. *Videte, quomodo cautè ambuletis.*

Nona, malorum oppressio. Eccl. 4. *Vidi lacbrymas innocentum, & consolatorem neminem, nec posse resistere violentiæ cunctorum auxilio destitutos.*

Decima, desolatorum desperatio. Psalm. *Periit fuga à me, & non est: qui requirat animam meam.* Ps. 141. 5.

Undecima, miseriæ cumulatio & consummatio. Psalm. *Miser factus & curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.* Psalm. 37.7

Duodecima, precum & adjutorii frustratio. Thren. 3. *Cùm clamavero, & rogavero, exclusit orationem meam.* Et Ps. *Ut quid Domine repellis orationem meam? avertis faciem tuam à me?* Psal. 87.15.

CAPUT XI.

De duodecim beneficiis B. Virginis contra XII. tribulationes hujus vitæ.

SI quis igitur diligens lector solicitè perspexerit, & notaverit effectus gratiæ & misericordiæ, quos B. Virgo se devotè invocantibus in suis signis & miraculis legitur impendisse, inveniet & videbit: Quòd ipsa Regina misericordiæ est.

Pri-

Primò in necessariis largissima pro- A. curatrix; ut Joan. 2. *Vinum non habent:* Deinde dixit ministris: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Et impleverunt hydrias aqua usque ad summum; quæ conversa est in vinum. Unde de ipsa dicitur Sap. 6. *Dignos se ipsa quærens circuit, & in viis suis ostendit se illis hilariter.* Et Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Secundò ipsa est in negotiis diligentissima cooperatrix. Sap. 8. *In operibus manuum illius honestas sine defectione.* Et Sap. 10. *in fraude circumvenientium illum, affuit illi; & honestum fecit illum:* B. *custodivit illum ab inimicis, & à seductoribus tutavit eum.*

Tertiò ipsa est in perplexis prudentissima consiliatrix; quia, sicut dicitur Sap. 8. *Scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum, & eventus temporum & sæculorum.* Unde ipsa dicit Prov. 8. *Meum est consilium, mea est æquitas, mea est prudentia & fortitudo.*

Quartò ipsa est in periculis promptissima auxiliatrix. Quia apud filium interponit in nostris periculis manus & preces suas. Esth. 14. *Confugit itaque Esther* C. *ad Dominum pavens periculum, quod populo imminebat.* Et Judith 13. *Subvenisti ruinæ generis nostri ante conspectum DEI nostri.*

Quintò ipsa est pro delictis nostris efficacissima apud filium precatrix & impetratrix; sicut dicit mater Salomonis 3. Reg. 2. *Benè ego loquar pro te Regi.* Cui respondit filius: *Pete mater mea; neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.*

Sextò ipsa est mœrentium benignissima consolatrix. Isaiæ ult. *Sicut mater*
Psal. 93. 19. *consolatur filios suos, ita & ego consolabor vos.* Et Psalm. *Secundùm multitudinem* D. *dolorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

Septimò ipsa est languentium lenissima medicatrix. Eccl. 24. *Ego quasi fluvius Dorix, egressa sum de paradiso.* Dorix interpretatur *medicamentum generationis;* quòd medicamentum sanantis gratiæ ipsa abundanter quasi fluvius secum attulit, & adfert quotidie de paradiso delitiarum regni misericordiæ. Eccl. 38. *De terra creavit altissimus medicinam,* id est, de Virgine Maria. Unde de ipsa sub nomine sapientiæ dicitur Sap. 9. Quòd per eam *Sanati sint, quicunque placuerunt DEO à principio.*

Octavò ipsa est cadentium tutissima relevatrix. Ps. *Cadent à latere tuo mille,* Psal. 90. 7.
& decem millia à dextris tuis; tibi autem non appropinquabit. Et Prov. 3. *Erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum: ne cadas & capiaris.*

Nonò ipsa est oppressorum potentissima liberatrix Sap. 10. *Hæc populum justum & semen sine querela liberavit à nationibus, quæ illum deprimebant.* Ibidem *In vinculis non dereliquit justum, donec afferret illi sceptrum regni & potentiam adversùs eos, qui eum deprimebant.*

Decimò ipsa est desperatorum clementissima reconciliatrix. Daniel 9. *Avertatur furor tuus, obsecro, & ira tua à populo tuo: exaudi Domine, placare Domine, attende & fac.* Et Jerem. 18. *Recordare, quòd steterim in conspectu tuo: ut loquerer pro eis bonum, & averterem indignationem tuam ab eis.*

Undecimò ipsa est miserorum piissima miseratrix juxta illud Job 31. *Ab infantia mecum crevit miseratio, & de utero egressa est mecum.* De qua ejus misericordia infra dicetur.

Duodecimò ipsa est precum gratissima acceptatrix, & obtinendæ gratiæ fidelissima mediatrix. Unde ista possunt esse verba filii ad matrem miseris misericordiam implorantem. 1. Reg. 25. *Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me: ne ulciscerer in manu mea. Ecce audivi vocem tuam, & honorificavi faciem tuam.*

CAPUT XII.

De Duodecim virtutibus & gratiis Beatæ Virginis.

Quòd autem Beata Virgo suis devotis omnia prædicta beneficia gratiarum etiam in vita præsenti adhuc manens ferventer & excellenter impenderit; & circa se ipsam & circa alios in actibus & effectibus ipsarum gratiarum & virtutum se exercuerit, quæ gratia plena fuit: patet evidenter ex virtutibus & laudibus virtutum ipsius quantùm ad vitam activam; Specialiter ex quibus S. Ignatius in prædicta Epistola sua ad S. Joannem Evangelistam ipsam commendat & extollit.

Primò itaque circa ipsam & in ipsa commendat & extollit gratiarum abundantiam, cùm dicit; *Quod sancti & sanctæ, qui eam corporaliter viderunt, & cum ipsa præsentialiter manserunt, referant eam fuisse omnium gratiarum abundam.* Eccl. 24. *Inebriabo partus mei fructum; & ecce factus est mihi trames abundans, & fluvius meus appropinquavit ad mare.*

Secundò commendat in ipsa virtutum redundantiam; cùm asserit, eam fuisse omnium *virtutum fœcundam.* Psalm. *Multiplicalis in anima mea virtutem.* Et iterum; *Visitasti terram, & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam*, videlicet B. Virginem Mariam. De qua terra dicit Psalm. *Benedixisti Domine terram tuam.* Quia ex plenitudine & abundantia gratiarum causabatur in ea redundantia virtutum in actibus & effectibus earum: omnis enim actio ejus gratuita & meritoria fuit.

Psal. 137. 3.

Psal. 64. 9.

B.

Tertiò commendat in ea quoad DEum religionis observationem & defensionem, cùm dicit: quòd ipsa *novæ nostræ religionis & vitæ sit Magistra;* & quòd contra vitiosos & pestiferos ac infideles in pugna fidei disceptans enituerit juxta illud Psalm. *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis.* Unde in suo Cantico ipsa jubilando & gratulando dixit: *Fecit potentiam in brachio suo; dispersit superbos mente cordis sui: deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Quod qualiter de Judæis & incredulis sit intelligendum, infra dicetur in expositione Cantici ipsius.

Psal. 118. 42.

Quartò commendat in ipsa quoad proximos pietatis sectationem, cùm dicit: quòd ipsa *apud fideles fuit omnium operum pietatis ministra* juxta illud 1. ad Timoth. 4. *Exerce te ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia valet, promissionem habens est vitæ, quæ nunc est, & futuræ.*

Quintò commendat in ipsa compassionem ad afflictos, cùm dicit: quòd ipsa afflictis coafflicta condolet. Hanc compassionem causavit in ea summa dilectio ad proximum, qua affluxit ex summa dilectione in DEum. Sicut enim in corpore naturali quamdiu unum membrum cæteris membris est unitum, tunc dolente uno membro corporis cætera sibi tanquam unita condolent: Divisum verò & separatum membrum ab aliis membris illorum membrorum dolorem non sentit, & per consequens nec condolet: ita in corpore spirituali sive mystico quanta inter membra fuerit dilectio, tanta etiam est compassio: quia dilectio est medium vinculum unionis membrorum ad invicem; unio autem est causa compassionis juxta illud 1. ad Corinth. 12. *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Beata verò Virgo ad fideles filii sui veram & summam habuit dilectionem juxta illud 24. *Ego mater pulchræ dilectionis.* Et Prov. 8. *Ego diligentes me diligo:* ergo ad omnes fideles filii sui & sibi devotos habuit summam compassionem.

A.

Sextò commendat in ipsa subventionem ad miseros, cùm dicit: quòd *miseris & afflictis subvenire non pigrescit.* Ista virtus & ejus actus & effectus semper fuit in hac vita, & adhuc in patria manet in Beata Virgine. Duo enim sunt, quæ pertinent ad rationem misericordiæ, videlicet affectus compassionis & voluntas subventionis. Unde licet in sanctis jam glorificatis in cœlo non sit affectus compassionis (quia, ùt dicit Gregorius, quos cœlestis patriæ lætitia jam suscepit, nullius affectionis passio premit) est tamen in eis ex summa charitate, quam ad nos habent, voluntas subventionis, juxta illud Lucæ 15. *Dico vobis, gaudium est Angelis DEI super uno peccatore pœnitentiam agente.*

C.

Septimò commendat in ea hilaritatem in persecutionibus, cùm dicit: *In persecutionibus est hilaris.* Nam in initio nascentis Ecclesiæ post ascensionem Domini & Sancti Spiritus missionem & Apostolorum confortationem & attestationem & prædicationem surrexerunt persecutiones contra Ecclesiam & fidem Christi; Sicut legitur Act. 4 Unde & ipsa B. Virgo in sua Epistola ad Ignatium, quæ superiùs posita est de verbo ad verbum, ita scribit Ignatio: *Nec te moveat, inquit, persecutionis austeritas, sed valeat & exultet spiritus tuus in DEO salutari tuo.* Matth. 5. *Beati eritis, cùm persecuti fuerint vos homines; & dixerint omne malum adversùm vos mentientes.*

D.

Octa-

Octavò commendat in ipsa humili-A. tatem in conversationibus, cùm dicit: *Est humilis in conversationibus.* Lucæ 1. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Summa autem ejus humilitas in se ipsa & ad DEum & ad proximùm probatur, & patet ex ejus summa exaltatione. Quia, sicut dicitur Lucæ 18. *Omnis qui se humiliaverit, exaltabitur.* Sed ipsa est supra omnes homines & Angelos usque ad throni celsitudinem ad dexteram filii exaltata: ergo infra seipsam & omnes Angelos & homines fuit hìc à se & apud se humiliata.

Nonò commendat in ea in indigentiis continentiam, cùm dicit: *In penuriis* B. *& indigentiis non est querula.* Notandum autem, quòd inter continentiam & castitatem, in quantum sunt species temperantiæ, sit differentia. Quia castitas est virtus temperantiæ rectè utens licitis & concessis: Continentia verò est virtus temperantiæ abstinens, vel parcè utens & licitis & concessis. Unde in Glossa super illud Matth. 5. *Beati pauperes spiritu,* distinguitur paupertas spiritûs per duos actus & officia ipsius; quorum unus est rerum abdicatio, alius est spiritûs contritio: videlicet quando spiritus sub gratia C. dominio sic conteritur & subjicitur rationi; quòd in abdicatione rerum non solùm non læditur, sed etiam lætatur. Quod est beatitudo paupertatis juxta illud Eccl. 31. *Somnus sanitatis est in homine parco. Dormiet enim usque mane; & anima ejus delectabitur cum ipso.*

Decimò commendat in ipsa in injuriis patientiam, cùm dicit: *Injuriantibus est grata.* Hæc gratitudo sive gratia intelligitur Benevolentia vel Beneficentia ad malevolos & maleficos; videlicet Benevolentia quantum ad affectum, vel D. Beneficentia quantum ad effectum. De quibus actibus hujus virtutis dicitur Matth. 5. *Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos.* Quia, ut dicit Gregorius super Ezechielem, *vera patientia est eum amare, quem quis tolerat:* quia tolerare & odisse non est virtus, sed velamen furoris.

Undecimò commendat in ea in molestiis lætitiam, cùm dicit: *Molestata autem lætatur.* Super quo notandum, quòd inter tristari & gaudere, sive lætari in adversis, medium est non tristari. Tristari enim in agendo vel patiendo aliquod instabile vel adversum est infirmorum; ut dicitur Matth. 19. de illo, cui dixit JEsus: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes.* Quod cùm audisset, *abiit tristis.* Non tristari verò in adversis est proficientium Jerem. 17. *Non sum turbatus te pastorem sequens.* Psalm. *Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Psal. 118. 60 Lætari verò seu gaudere in adversis est perfectorum Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii; quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati.* Beata Virgo itaque, quia omnium sanctorum perfectionem transcendit, per consequens in molestiis & in adversis pro nomine & amore filii summè gaudens & læta fuit. Ad Rom. XII. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Et Psalm. *In tribulatione dilatasti mihi.* Psalm. 4. 2.

Duodecimò commendat in B. Virgine gratuitæ perfectionis universalem excellentiam, quam habuit respectu Angelorum & hominum; cùm dicit: Quòd in Maria JESU *humana natura naturæ Sanctitatis Angelicæ sociatur.* Excedit enim perfectiones omnium tripliciter, videlicet generalitate, singularitate & dignitate.

Primò quidem generalitate; quia gratia, quæ per partes aliis vel hominibus vel Angelis est distributa, Mariæ simul totaliter est infusa. Lucæ 1. *Ave gratia plena.* Anselmus: *ille spiritus, qui aliis sanctis singulis singula sua dona dedit, dividens singulis, pro ut voluit: nihil tibi divisit, nihil ex parte dedit, cui DEus totus totum se dedit.*

Secundò excellit singularitate; quia soli Mariæ singulari dono, respectu omnium mulierum, & omnium hominum & etiam Angelorum, Matrem DEI fieri & esse contulit: in quo privilegio sibi multas gratias singulariter hanc gratiam consequentes infudit. Bernardus: *Cui Soli DEus Pater ut Matri Filium suum dedit; Quomodo non cum illo omnia ei simul donavit?*

Tertiò excellit dignitate; quia secundùm Philosophum, quidquid est magnum in magno, est inter omnia magna maximum; ipsa verò Virgo Beata excellit omnes dignitates, quæ digna fuit Mater Dei esse, quod est omnibus donis dignissimum: ergo perfectio & plenitudo

nitudo gratiarum & virtutum ipsius excedit in dignitate perfectiones omnium Angelorum & hominum. Bernardus super illud Eccl. 24. *In plenitudine sanctorum detentio mea; meritò*, inquit, *in plenitudine sanctorum ejus erat detentio; cui nec puritas Angelorum, nec fides Patriarcharum, nec spes Prophetarum, nec zelus Apostolorum, nec constantia Martyrum, nec sobrietas Confessorum, nec castitas Virginum, nec fœcunditas Conjugatorum defuit.*

* Ex Cod. Seit.

** Explicit Secunda Pars Tractatus Engelberti Admontensis de Dignitate Virginis Gloriosæ.*

INCIPIT PARS TERTIA TRACTATUS ENGELBERTI Abbatis Admontensis DE GRATIIS ET VIRTUTIBUS B. MARIÆ Virg.

Proœmium.

De octo officiis & actibus vitæ contemplativæ.

Postquam ergo jam dicta sunt aliqua, licet pauca, de perfectione gratiarum & virtutum Beatæ Virginis quantum ad vitam activam specialiter, sicut Ignatius in Epistolis suis de vita* & conversatione ejus scribit, inducens etiam testimonium sanctorum & sanctarum, qui eam corporaliter viderunt & ei præsentialiter adhæserunt, de quibus meritò potest dici illud Eccl. 48. *Beati sunt, qui te audierunt, & in amicitia sua decorati sunt*: Et Cant. 6. *Viderunt eam filiæ Sion, & Beatissimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt eam*: Nunc de perfectione gratiarum & virtutum ipsius cum actibus & exercitiis earundem quantum ad vitam contemplativam specialiter aliqua, in quantum ipsa dignante & donante se facultas obtulerit, est dicendum.

Primò itaque dicendum in genere de actibus & officiis contemplationis; ut ex distinctione actuum & officiorum ipsius venire possimus ad distinctionem graduum contemplationis, & diversitatem modorum perfectionis singulorum graduum. *Secundò* de distinctione & diversitate perfectionum. *Tertiò* de diversitate & distinctione contemplationis & graduum ipsius, & perfectione ipsorum.

Sciendum itaque, quòd Beda super illud Lucæ 10. *Intravit JEsus in quoddam Castellum*, enumerat octo actus & officia contemplationis. Primum officium ipsius est charitatem DEI & proximi tota mente retinere; Secundum ab actione exteriori quiescere; Tertium soli desiderio conditoris inhærere; Quartum ad videndam faciem conditoris toto animo inardescere; Quintum carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare; Sextum toto desiderio appetere hymnidicis choris Angelorum interesse; Septimum cœlestibus civibus per desiderium admisceri; Octavum de æterna incorruptione in conspectu Dei gaudere.

Prædictorum officiorum & actuum contemplationis sufficientia & ordo sumi & assignari poterit in hunc modum. Quia, cùm in inchoatione, & profectu, & perfectione contemplationis sit quædam elevatio & ascensus animæ ad DEum, tanquam ad finem ultimum, ut ei conjungatur per visionem & fruitionem juxta

Psal. 83, 6. juxta illud Psalm. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco, quem posuit*: Elevatio autem & ascensus animæ fiat quasi ab inferioribus ad superiora per visionem & cognitionem, & per affectionem & delectationem; donec per gradus singulos perveniat ad conjunctionem sui cum summo cognoscibili ad videndum; & cum summo delectabili ad amandum, delectandum & fœlicitandum, quod est ipsa visio & fruitio DEI: Illud autem, quod est elevans animam in hoc ascensu, sit gratia: quia natura se per se & ex se non potest elevare in hoc ascensu, sicut dicit glossa super illud Lucæ 19. de Zachæo, quòd *quærebat videre JEsum, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat*; quia quòd natura non potuit, ascensu arboris supplevit, id est, adjutorio gratiæ elevantis: Hæc autem gratia est ipsa charitas & dilectio DEI. Quia sicut in naturalibus ipsæ formæ sunt principia ad fines, quos intendit natura: ita in Deiformibus processibus & actibus ipsa charitas sive dilectio DEI est quasi fundamentum & principium inchoationis & finis perfectionis. Propter hoc rectè ponitur primus actus & officium contemplationis in charitate DEI, quasi in primo fundamento & principio movente & elevante.

Secundò verò, quia ascensus in contemplatione ab inferioribus ad superiora est per considerationem Divinorum operum, ut considerando videat & cognoscat, quò ulteriùs proficiscatur & proficiat in creatorem admirandum & amandum juxta illud Isaiæ 41. *Levate in excelsum oculos vestros, & videte, quis creavit hæc*: illam verò considerationem exterior actio impediat vel avertendo vel ad inferiora à superioribus retrahendo: propter hoc rectè dictum est, quòd secundum officium & actus contemplationis sit ab exteriori actione quiescere juxta illud Psalm. *Vacate, & videte, quoniam ego sum DEus*. Quia non potest aliquid videre interiùs, nisi vacando & quiescendo ab exterioribus, sicut dictum est Marthæ Lucæ 10. *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima*.

Tertiò autem, quia cessantibus vel sopitis impedimentis exterioribus, jam ex consideratione Divinorum operum mens contemplantis consurgit in admirationem conditoris, sicut dicitur Sap. 13. *A magnitudine speciei creaturæ cognoscibiliter poterit Creator eorum videri. Quorum virtutem & opera mirati intelligerent ex ipsis; quoniam, qui fecit hæc, fortior est illis*. Propter hoc benè dictum est; quòd tertium officium & actus contemplationis sit soli desiderio Conditoris inhærere: videlicet, ut non sit status in consideratione & admiratione creaturæ; sed ex consideratione & admiratione hujusmodi mens elevetur ad conatum desiderii inhærendi soli Creatori. Unde dicit Bernardus in Serm. de Pentec. *In mundi opere tria considerare debemus, videlicet quid sit, quomodo & qualis sit, & ad quid constitutus sit: ut in rerum specie commendetur Conditoris tam inæstimabilis potentia in modo & forma; tam inscrutabilis sapientia in ordine & in fine; tam utilis benignitas, & tam benigna utilitatis gratia, quæ etiam ingratissimos multitudine & magnitudine beneficiorum possit obruere*.

Quartò verò, quia ex consideratione Divinorum operum & examinatione Divinæ potentiæ & sapientiæ & clementiæ, ac bonitatis relucentis in specie & modo & ordine creaturæ, surgit mentis quædam meditatio & meditationis delectatio juxta illud Psal. *Meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinventionibus tuis exercebor*. Item: *Memor fui DEI, & delectatus sum*: (Psal. 76, 13. ibid. 2.) In qua tamen meditatione & delectatione adhuc non est beatitudinis perfectio, sed aliqualis inchoatio: quia in solis essentialibus attributis, consideratis in operibus creationis, uti in omnipotentia & sapientia & bonitate Divina, non est perfecta Deitatis cognitio; sed in unitate essentiæ & trinitate personarum facie ad faciem contemplata; in qua visione consistit Beatitudo & vita æterna juxta illud Joann. 17. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEum, & quem misisti JEsum Christum*. Propter hoc congruè dictum est, quòd quartum officium & actus contemplationis sit ad videndam faciem conditoris toto animo inardescere. Ps. (Psal. 38, 4.) *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione exardescit ignis*; scilicet desiderii & amoris videndi faciem creatoris: in visio-

visione enim alicujus hominis facie ad faciem attenduntur tria, videlicet immediata visio; quia videt eum in se & non in alio: & speciei cognitio, quia videt hominem esse, non aliud animal quodcunque: & personæ distinctio, quia videt Petrum esse, non Paulum vel Joannem, non Petrum vel Paulum; ita est in visione DEI facie ad faciem; quia ibi est immediata visio: Quia contemplans in patria videt DEum per se & in se, non in alio, neque per aliud; & videt unius naturæ Divinæ communicationem ad tres personas Divinas, & trium personarum distinctionem.

Quintò autem, quia contemplatio, quæ est adhuc in via, non in patria, non potest esse continua nec perfecta; quia pondus carnis corruptibilis animam in contemplationem elevatam deorsum ad se retrahit & avertit, & contemplationem minuit & interrumpit juxta illud Sapient. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam: & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*: Quia, ùt dicit Augustinus in libro Soliloquiorum: *Dum in hoc corpore adhuc est anima, etiamsi plenissimè videat, hoc est, intelligat DEum: tamen quia sensus corporis adhuc utuntur suo opere, si nihil etiam valeant ad fallendum, tamen nonnihil valent ad ambigendum*; Ut magis possit adhuc visio talis dici fides de DEO quàm scientia vel cognitio: propter hoc rectè dictum est; quod quintum officium & actus contemplationis sit carnis

Ad Philip. 1. 23. corruptibilis pondus cum mœrore portare. Unde dicebat Apostolus: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*

Sextò verò, quia consideratio Divinorum operum, ex qua in contemplatione surgit admiratio & delectatio & meditatio de magnitudine Divinæ potentiæ, & pulchritudine sapientiæ, & multitudine bonitatis & clementiæ relucentis in vestigio creaturæ, adhuc versatur circa exteriora quædam corporalia & sensibilia, quæ illis cum incorporalibus & intelligibilibus communia sunt, ùt circa magnitudinem & pulchritudinem & multitudinem creaturæ, & circa speciem, modum & ordinem rerum creatarum; in quibus DEus videtur in vestigio, non in imagine, & eis, quæ pertinent ad imaginem DEI in substantiis spiritualibus, ut in Angelicis spiritibus & eorum virtutibus & proprietatibus & operationibus & præmiis & gaudiis eorum in cœlestibus, quibus tanquam nostris amicis & concivibus associari quandoque credimus & speramus & desideramus; propter hoc benè dictum est, quòd sextum officium & actus contemplationis sit toto desiderio appetere hymnidicis Angelorum choris interesse: videlicet nunc spiritu & mente, in futuro autem, spiritu & mente & corpore; quando in *resurrectione Electi nec nubent nec nubentur, sed erunt sicut Angeli in cœlis*; ut dicitur Matth. 22.

Septimò autem, quia toto desiderio appetere hymnidicis Angelorum choris interesse, nihil est, nisi desiderare Angelorum præmiis & gaudiis in futuro associari; præmium verò non contingit sine præcedenti merito adipisci: propter quod Dominus reprehendit Apostolos Jacobum & Joannem filios Zebedæi, & Matrem eorum, quia conabantur ad præmium non facta mentione de præmittendo merito, quibus dicitur: *Nescitis, quid petatis?* Unde Dominus petitionem eorum convertendo ad rectum ordinem insinuavit eis meritorum opus priùs esse exequendum, & postmodùm qualitatem & quantitatem præmii Divino beneplacito relinquendam: *Potestis*, inquit, *calicem bibere, quem ego bibiturus sum?* propter hoc benè dictum est; quòd septimum officium & actus contemplationis sit cœlestibus civibus per desiderium admisceri, id est, sanctitati & puritati Angelicæ per mundam vitam, laudes & preces continuas ad DEum fusas assimilari; quia hæc est vita & beatitudo Angelorum, DEum contemplando & videndo continuè venerari & laudare & adorare & gratias agere, juxta illud Isaiæ 6. *Clamabant Seraphim, alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum: plena est omnis terra gloria ejus.* Item Isaiæ 63. *Tota die & toto nocte non tacebunt laudare in perpetuum.* Et: *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, neque detis ei silentium.*

Matthæi. 20 21. / ibid.

Octavum verò officium & actus contemplationis illius, quæ est in patria secundùm rem, & in via adhuc secundùm solam spem & desiderium, & videndo Deum de æterna incorruptione in conspectu Dei gaudere. Iste actus jam non est gradus aliquis,

quis, quo ultra ascendatur, sed finis & A. terminus & status, æternæ jucunditatis & securitatis, qui consistit in ultima perfectione charitatis, quâ tunc DEO inseparabiliter conjungemur, ipsum fine medio videndo, & ex tota mente & ex omnibus viribus diligendo, & ipso fruendo. Quia, sicut dicit Augustinus super Exod. *Istud præceptum, Diliges Dominum DEum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua & ex omnibus viribus tuis, non potest impleri in via, sed solùm in patria.*

Gaudere verò in illo statu de incorruptione, est gaudere I. de nostra transformatione & liberatione à præsenti corruptione. Quia, ut dicitur ad Rom. 8. *Omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc, exspectans liberationem à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum DEI.* II. De charitatis Christi conformatione ad Philip. 5. *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum JEsum Christum; qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori charitatis suæ.* III. De summa Christi approximatione; quando omni impedimento sublato & corruptione deposita in anima & in corpore proximi erimus summæ incorruptioni gloriæ. Sap. 6, *Incorruptio facit esse proximum DEO.*

In summam ergò recolligendo prædicta dici potest, quòd quantum ad diversificationem actuum contemplationis respectu diversificationis objectorum, primus actus contemplationis est Dei & proximi dilectio; secundus Divinorum operum consideratio; tertius ab exterioribus vacatio; quartus cordis meditatio; quintus carnis depressio; sextus ad incorporalia & spiritualia mentis elevatio; septimus Angelicæ vitæ conformatio; octavus totius animæ conatus in DEum

Psal. 83, 3. & exultatio juxta illud Psalm. *Cor meum & caro mea exultaverunt in DEum vivum.*

CAPUT I.

De triplici perfectione sanctorum in hac vita.

AD videndum autem de perfectione, quæ attenditur circa contemplationem quantum ad diversum statum contemplantium, notandum, quòd triplex est perfectio; scilicet perfectio sufficientiæ, perfectio abundantiæ, & perfectio excellentiæ.

Perfectio sufficientiæ attenditur in his actibus & operibus vitæ contemplativæ & activæ, quæ sufficiunt ad salutem. Quæ perfectio est esse in gratia, & per consequens in via ad patriam, firmiter credendo & sperando & optando in ipsa gratia perseverare & crescere & proficere, ut in ea viator hujus vitæ ad patriam possit pervenire. Unde, quia gratia & peccatum mortale se simul non compatiuntur, nullus, qui est in mortali constitutus, est in gratia, & per consequens nec in via ad patriam. Et si objicitur, quòd multi sunt in mortali constituti, qui nihilominus tamen habent fidem in DEum, & per consequens aliquam spem & aliquam charitatem; minima autem charitas sufficiat ad salutem: Dicendum, quòd fidelis, qui est in mortali constitutus, licèt habet aliquam fidem, illa tamen fides est informis; quia non habet Charitatem, quæ est forma & finis omnium virtutum; & non est, nisi tanquam signum characteris, & aliquod memoriale suæ vocationis: & est idem, quod non negare solùm, quòd sit possibile; ut à mortali peccato aliquando revocetur per gratiam, & revertatur ad viam. Quem actum fidei informis non potest habere omnino infidelis; quia nullam fidem habet, nec formatam, nec informem.

Qualem autem & quantam unusquisque habet fidem, talem & tantam habet spem; quæ in eo, qui est in mortali constitutus, non est aliud, nisi de DEO non diffidere: & talem & tantam habet etiam charitatem; quæ non est aliud in ipso, nisi DEum non odisse. Quia penitus damnatorum est odisse DEum juxta illud Psalm. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Psal. 73, 23.

Istam perfectionem sufficientiæ causant gratiæ sacramentales, liberantes baptizatos à malo culpæ & pœnæ; unaquæque gratia suo modo & virtutum habitus inducentes & induentes animam, & in esse gratuito perficientes, & habitus ipsos in actum & in usum exire facientes, rectè credendo & vivendo, quamdiu in baptizatis jam adultis sine lapsu & macula conservantur.

Perfectio abundantiæ est; quando in eo, qui benè utitur gratia, cum perseverantia augmentatur & confortatur gratia quantum ad statum viæ circa perfectio-

ctionem vitæ activæ & contemplativæ. Secundùm quod contemplativa non solùm ad superiora ascendit; sed pro loco & tempore & causâ inferioribus secundùm superiorum regulam intendit, ita quòd cum Angelis in scala Jacob descendat & ascendat, ut dicitur Gen. 28.

Istam perfectionem abundantiæ supra perfectionem sufficientiæ addunt, & perficiunt septem Dona Sancti Spiritus, virtutibus addita & adjuncta, quæ enumerantur Isaiæ XI. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus* &c. Quæ dona virtutes gratia informatas dirigunt, & ad digniores & fortiores actus elevant & adjuvant, & fini ac ultimæ perfectioni magis approximant. De quibus Donis superadditis dicitur Lucæ 19. *Quòd omni habenti dabitur &c.* Quia habenti, & bene utenti, ac dispensanti ad salutem gratias & virtutes in sacramentis infusas addentur Dona spiritualia.

Perfectio excellentiæ est in virtutibus & donis elevantibus ad actus, qui sunt supra statum viæ quantum ad contemplationis perfectionem & refectionem interiorem per dulcedinis patriæ prægustationem. Quæ tamen in hac vita non potest adhuc esse continua & perfecta propter id, quòd carnis corporalis sensus utantur propria actione & passione. De qua prægustatione æternæ dulcedinis dicitur in Psalm. *Gustate & videte, quàm suavis est Dominus*; Et: *Suavis est Dominus universis.*

Psal. 33. 9. Ps. 144. 9.

Hanc perfectionem excellentiæ in viatoribus post actus & effectus donorum perficiunt & decorant fructus illi duodecim; quos enumerat Apostolus ad Gal. 5. *Fructus autem spiritûs est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Qui animam in virtutibus gratuitis & actibus earum in via reficiunt & delectant: ut in eis odorem & saporem dulcedinis patriæ prægustent, & contra fatigationem & tædium viæ eam consolentur & sustentent.

Istis duabus perfectionibus abundantiæ & excellentiæ, adjuvando & confortando in desiderio & spe patriæ contra tædium & labores viæ, concurrunt & cooperantur à latere octo Beatitudines, quæ ponuntur Matth. 5. *Beati pauperes spiritu* &c. Ut itaque viatores in cursu hujus vitæ bravium patriæ attingant & comprehendant, per istos gradus & passus procedunt. Primò enim gratiis sacramentalibus ad viam instituuntur; secundò virtutibus & virtutum habitibus induuntur: tertiò donis circa actus virtutum diriguntur; quartò fructibus, ne deficiant in via, reficiuntur: ut sine timore contra hujus vitæ & viæ pericula, & sine errore contra diverticula, & sine labore contra obstacula in via currant, & bravium attingant, & præmium ac gaudium patriæ comprehendant & percipiant.

CAPUT II.

De octo gradibus contemplationis, & duplici ipsius modo.

Est autem contemplatio purgatæ & illuminatæ animæ elevatio ab inferioribus ad superiora per mentis intuitum ad videndum DEum & delectandum in ipso. Unde patet, quòd ad contemplationem perficiendam requirantur ista sex: Videlicet, primò animæ purgatio; secundò purgatæ animæ illuminatio; tertiò illuminatæ animæ elevatio; quartò elevatæ animæ intuitus sive intentio; quintò intuentis & intentæ animæ visio; sextò visionis delectatio.

Et isti sunt sex gradus, quibus anima completè disposita & perfecta de inferioribus ascendit per media superiùs, donec perveniat ad supremum, scilicet ad ipsum DEum videndum & ipso fruendum. Quibus insuper adduntur duo gradus, ut fiant octo; videlicet primus, à quo est initium inchoationis hujus motus ascensionis & elevationis: qui est sensus sive imaginatio, sive ipsorum apprehensio, licèt Augustinus in libro de quantitate animæ in sensu & imaginatione ponat duos gradus pro eo, quòd primò anima res considerandas per sensum apprehendit in materia, deinde imaginatio à sensu abstrahit considerando formam præter sensibilem materiam. Sed quia sive formas rerum per sensum apprehendat in materia, sive per imaginationem præter materiam sensibilem: primum quasi fundamentum, unde anima pedem considerationis levat ad ascensum contemplationis, est ipsarum rerum non qua-

qualitercunque, sed tanquam Divinorum A
operum consideratio; propter hoc, ut ad octo gradus contemplationis ascensus perveniat, dicere possumus non incongruè: quòd primus gradus est consideratio; secundus animæ purgatio; tertius illuminatio; quartus elevatio; quintus intuitus sive intentio; sextus visio; septimus visionis fixio. Quibus septem gradibus, per quos quasi progreditur motus ipse ascensionis in contemplatione, additur octavus, qui non est propriè gradus, sed finis & terminus; in quo est status, qui est visionis fruitio & ipsam consequens delectatio. De quo dicit Psalm. B
Memor fui DEI, & delectatus sum; exercitatus sum, & defecit spiritus meus, id est, profecit. Quia, ut dicit Gregorius super idem Verbum, quantum tendendo & intendendo ad DEum & in DEum à nobis ipsis defecimus, tantum in DEO profecimus. Isti sunt octo gradus portarum atrii interioris, per quos ad viam orienralem est ascensus ad templum; ut dicitur Ezech. 40.

Et notandum, quòd contemplatio accipitur dupliciter, scilicet largè & strictè. Largè dicitur contemplatio totus C
ascensus sive elevatio mentis, incipiens à Consideratione divinorum operum, & per omnes medios gradus prædictos ascendens usque ad contemplandum DEum. Strictè verò accipitur contemplatio pro ulrimo illo actu, in quo mens jam stat fixa per intuitum in DEO & visionis DEI fruitione & delectatione.

Est etiam Contemplatio, alia continua & perfecta: de qua dicitur Sap. 5. *Justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud altissimum.* Alia verò est vel interrupta, vel imperfecta simul & interrupta D
propter conjunctionem & alligationem contemplantium cum impedimentis interrumpentibus, & contrariis avertentibus, ut non perveniat ad summum gradum; vel ut postquam pervenerit, in eo & stare permanere non possit; ut est contemplatio se habens per modum viæ.

Unde de illis contrariis & impedimentis, & sopitione & ablatione eorum aliquid breviter est videndum, ut de illa contemplatione, quam B. Virgo habuit in hac vita, & qua fruebatur & gaudebat in præsenti de visione DEI, consequenter aliquid dici possit: propter prod prædicta omnia de vita conremplativa & gradibus contemplationis sunt hìc introducta.

CAPUT III.

De triplici impedimento perfectæ contemplationis in hac vita.

SCiendum ergo; quòd illa contraria, quibus anima à perfectione contemplationis retrahitur & avertitur; & impedimenta, quibus gravatur & retardatur in hac vita, in genere assignanda sunt tria. Primum est peccatorum infectio; secundum temporalium affectio; tertium animæ ipsius & virtutum ejus extra se divisio & dispersio. Quia, ùt dicitur Sap. 1. *Spiritus Sanctus fugit fictum & aufert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu; neque habitat in corpore subdito peccatis.*

Unde ut anima completè disponatur & præparetur ad perfectionem contemplationis, oporter eam primò à peccatorum fæcibus mundari; secundò à temporalium affectionibus separari; tertiò ab his, ad quæ extra se divisa est & dispersa, ad se & in se recolligi & uniri.

Primum istorum impedimentorum, videlicet peccatorum infectio, removetur per gratiæ sacramentalis participationem, in quantum sacramenta ordinata sunt ad peccati & originalis & actualis deletionem, & conscientiæ emundationem & fomitis compressionem.

Secundum, videlicet temporalium affectio removetur tripliciter. *Primo* per opera carnalis castigationis; de quibus dicitur Eccl. 31. *Vigilia honestatis tabefacit carnes*, id est, carnales delectationes. Et Eccl. 12. *Frequens meditatio est carnis afflictio. Secundò* per opera spiritualis exercitationis. 1. ad Timoth. 4. *Exerce te ipsum ad pietatem. Corporalis enim exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia valet. Tertiò* per opera supererogationis in sequendis consiliis & exequendis votis. Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes* &c. Luc. 9. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* &c. Et Eccl. 5. *Si quid voveris, redde DEO: displicet enim ei stulta & infidelis promissio.*

Tertium verò, scilicet ipsius animæ & virtutis & operationum ejus extra se divi-

divisio & dispersio removetur tripliciter secundùm triplicem divisionem & dispersionem animæ extra se. Obligata enim & alligata est anima ex unione sui cum corpore corruptibili *primò* ad varias & vagas rerum sensibilium apprehensiones & imaginationes. Job. 20. *Cogitationes meæ variæ sibi succedunt, & mens in diversa rapitur.* Et idem 17. *Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum.* *Secundò* ad diversas operationes & corporis administrationes. Augustinus de spiritu & anima; *anima*, inquit, *secundùm diversas sui operationes in corpore variis etiam nominibus nuncupatur. Dicitur enim anima, dum vegetat; Spiritus, dum vivificat; dum sentit, sensus; dum sapit, animus; dum intelligit, mens; dum discernit, ratio; dum recordatur, memoria; dum intelligit, voluntas.* *Tertiò* ad diversas corporis passiones. Augustinus de anima & spiritu: *Quibusdam affectibus & quadam amicitia corpori anima conjungitur; ut amet corpus comitem suum, & ejus doloribus afficiatur, & delectationibus depascatur: licet illis ipsa in se non utatur.* Ad Ephes. 5. *Nemo unquam carnem suam odio habuit.*

Primum itaque prædictorum impedimentorum, scilicet obligatio & alligatio animæ ad vanas & vagas rerum sensibilium apprehensiones & imaginationes removetur per imaginabilium a sensibilibus, & intelligibilium specierum ab imaginabilibus perfectam abstractionem. Augustinus X. de Trinitate. *Oboritur in anima erroris dedecus, dum rerum sensitivarum imagines secernere à se non potest: ut se solam sine his videat.* Unde oportet, ut eas à se secernat, dum se solam nititur cogitare; quod tamen est valde difficile. Boetius de Trinitate; *Si à duobus corporibus diversis omnia activa animo separaremus, locus tamen eorum est diversus; quem unum fingere nullatenus possumus.*

Secundum impedimentum, scilicet divisio animæ ad diversas operationes & corporis administrationes removetur per actuum ipsius unionem, & inferiorum in superiores reductionem & conversionem. De qua dicit Augustinus in libro de quantitate animæ; *Sensus vertetur in imaginationem; imaginatio in rationem; ratio in intellectum; intellectus in intelligentiam;*

A. *intelligentia in DEum.* Hoc autem est difficillimum in hac vita, nisi fortè ad modicum momentum illius contemplationis, quæ in hac vita potest esse super statum viæ simillima statui patriæ, post quam cessationem virium inferiorum ab administratione corporis & recollectionem ipsarum in unum, necesse est iterum vires in diversum dividi, & ad singulas suas operationes reverti: sicut factum fuit de Paulo post raptum revertentem ad se ipsum.

Tertium impedimentum, scilicet
B. divisio virium animæ ad diversas corporis passiones, removetur per operationum sensitivarum cessationem. Ita Paulus in raptu nescivit, *utrum in corpore, vel extra corpus* fuerit; ut dicitur 2. Corinth. 12.

Et notandum; quòd, cùm ad ascensum perfectæ contemplationis tria requirantur in summa; primò ipsius animæ dispositio & præparatio; secundò gratiæ elevatio; tertiò DEI condescensio & attractio juxta illud Cantic. 1. *Trahe me post te*: Et Joann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui me*
C. *misit, traxerit eum*: idcirco quidam contemplantium sopiuntur, videlicet inferioribus viribus & eorum motibus quasi sopitis & clausis eorum sensibus; ita quòd nulla est in eis indispositio, nisi solus usus sensus corporalis absque omni contraria infectione & affectione: sicut fuit in Adam, sive in sopore Adæ in paradiso, sicut legitur Genes. 2. *Misit DEus soporem in Adam*; scilicet soporem contemplationis, ùt dicit Glossa, ut intrans in sanctuarium DEI anima ejus particeps fieret Angelicæ curiæ, & intelligeret novissima secretorum DEI. Unde in pro-
D. pheticam prorupit, dicens: *Hoc nunc os ex ossibus meis* &c.

Quidam verò trahuntur propter id, quòd in eis est modica resistentia ad gratiæ elevationem & ad divinam condescensionem & attractionem propter ipsorum summam munditiam & puritatem & DEI summam familiaritatem & conformitatem; sicut Joannes in Apocalypsi. Unde ipse dicit cap. 1. *Fui in spiritu Dominico die* &c. & non dicit, quòd fuerit sopitus neque raptus.

Qui-

Quidam autem non sopiuntur neque trahuntur, sed rapiuntur propter improportionalitatem luminis & claritatis suæ visionis, quasi gratia violenter elevante & DEO attrahente, sicut Paulus. De cujus raptu & visione dicit Glossa; quòd viderit DEum, sicut sancti in patria: & sub illa claritate, sicut illi Angeli vident, qui sunt de tertia Hierarchia.

CAPUT IV.

Quòd B. Virgo quantum ad sufficientem perfectionem habuerit omnes virtutes magnas Sacramentales.

Cum itaque, ut patet ex prædictis, ad perfectionem vitæ contemplativæ & actus contemplationis requiratur ex parte contemplantis completa dispositio, quæ consistit in perfectione excellentiæ, & quæ sibi præsupponit perfectionem sufficientiæ & abundantiæ: ad ostendendam ergo in B. Virgine perfectionem vitæ contemplativæ, excellentem in ipsa contemplatione sua statum omnium viatorum, videndum est primò de perfectione sufficientiæ, quam in viatoribus communiter constituunt & causant septem gratiæ sacramentales, & deinde septem virtutes, sive tres illæ theologicæ, fides, spes, & charitas; & quatuor cardinales, scilicet justitia, prudentia, temperantia, fortitudo.

De gratiis itaque sacramentalibus sciendum, quòd B. Virgo in sua plenitudine gratiarum, quam Angelus ei nuntiavit dicendo, ave gratia plena, innuatur omnes gratias sacramentales perfectiùs aliis percepisse vel in se unamquamque earum, vel in æquipollenti aut excellenti gradu. Cùm, sicut dicit Anselmus, nulla ei gratia deficere debuerit, quæ gratia plena fuit: cùm etiam gratiæ sacramentales sint quasi fundamenta & januæ omnium subsequentium gratiarum.

Hoc autem sic patet; quia cùm sacramenta sint instituta propter tres causas, ùt dicitur quarto Sentent: videlicet *primò* propter hominis humilitatem; ut homo discat in eis se DEO humiliare, ex Divina institutione quærit & percipit gratiam in rebus & ex rebus se inferioribus per naturam, ut Baptismi gratiam in aqua, confirmationis in Chrismate, & extremæ unctionis in oleo & sic de aliis sacramentis: propter quod dicitur 1. Petri 2. *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter DEum*: Item ibidem 5. *Humiliamini sub potenti manu DEI, ut vos exaltet. Secundò* propter eruditionem; ut homo in eis & ex eis doceatur per experientiam credere & sentire, quòd DEus potest, sicut vult & voluit, & in quibus & per quæ voluerit, gratiam conferre & salvare juxta illud Ps. *Statuit aquas quasi in utre*, id est gratias in vasa sacramentalia. Psal. 77. 13. *Tertiò* propter exercitationem; ut, cùm homo ad salutem & gratiam consequendam debeat esse operosus, & non otiosus, proposita sit ei & præparata in sacramentorum usu exercitatio utilis & salubris: quia operantibus, & non otiantibus redditur ultima merces salutis juxta illud Matth. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.*

Beata ergo Virgo percepit sacramenta eo modo, sicut infra dicetur: & hoc primò propter sui ipsius humilitatem, qua se DEO semper studuit humiliare in omnibus. Lucæ 1. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Secundò ad sui salutarem exercitationem, quia à bono opere & sancto nunquam otiosa fuit, quæ quolibet motu & opere meruit. Prov. ult. *Consideravit semitas Domus suæ, & panem otiosa non comedit.* Tertiò ad eruditionem, non suam sed nostram, ut ipsa esset nobis in sacramentorum perceptione, religionis & sanctitatis & humilitatis exemplum, percipiendo sacramentorum remedia & sanctificationem, quibus non indigebat, quæ in utero & ab utero deinceps sanctificata & sancta, & omni gratia plena erat.

Unde sciendum; quòd, cùm Baptismus & quædam alia sacramenta duas habeant & conferant utilitates & efficacias percipientibus, videlicet vel remedium contrà malum culpæ vel pœnæ, vel auxilium ad bonum gratiæ: Beata Virgo perceperit sacramenta, prout sunt instituta in signum vel auxilium ad bonum gratiæ; & non in quantum sunt remedium contra malum, & maximè contra malum culpæ; cùm ipsa omni culpa caruerit & peccato.

CA-

CAPUT V.

Quas gratias B. Virgo perceperit in Sacramentis Ecclesiæ.

QUod ut clariùs pateat, videndum est, quid in singulis & ex singulis sacramentis perceperit. Primò igitur, cùm Baptismus sit institutus ad tollendum reatum originalis culpæ, quæ in B. Virgine omnino deleta fuit & sublata in ipsius sanctificatione in utero, percepit in Baptismo characteris impressionem, virtutum exercitationem & meritorum augmentationem in eo, quòd, quantò major & dignior & sanctior fuit omnibus, tantò magis humiliavit se in omnibus. Unde sicut legalia sacramenta subiit & suscepit v. g. purificationem post partum, quæ nihil in se purgandum habuit: ita & Ecclesiastica sacramenta, ùti Baptismum, suscepit; quamvis nihil in se per Baptismum habuerit delendum vel abluendum. Sicut & Christus baptizatus fuit, non ut baptismo sanctificaretur; sed ut baptismum sanctificaret: &, sicut dicit Ambrosius, *contactu suæ mundissimæ carnis vim regenerativam conferret aquis.*

Licèt autem non habeatur ex scriptura Canonica, quòd B. Virgo baptizata fuerit, & quando, & à quo, sicut nec de Apostolis invenitur scriptum, quando & a quo fuerint baptizati, tamen ex scripturæ immediata consequentia trahitur & tenetur, quòd & ipsa & Apostoli fuerint baptizati propter illud Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto* &c.

Secundò verò in sacramento Confirmationis recepit secundi characteris impressionem & ampliorem meritorum augmentationem, & virtutum confortationem & manifestationem.

Tertiò in Sacramento Eucharistiæ percepit Dominicæ passionis præcordialem rememorationem, & actualis devotionis exercitationem, & de corporali filii absentia spiritualem & specialem consolationem.

Quartò in sacramento pœnitentiæ & confessionis, quia nihil mortale vel veniale confitendum habuit, nihilominus consecuta est in æquipollenti & excellenti pro contritione innocentiæ conservationem, & recognovit pro delictorum confessione suæ insufficientiæ & meritorum diminutionem; & de superabundanti gratia sibi collata, gratiarum actionem; & pro satisfactione exhibuit bonorum operum supererogationem. Et talem confessionem fecit sancto Joanni Evangelistæ, dato sibi in cruce à Christo curatori & custodi ac confessori.

Quintò in Sacramento Matrimonii percepit in excellenti omnia illa tria bona, quæ in illo attenduntur: quæ sunt fides, proles, & sacramentum. Potest autem non in congruè distingui duplex Matrimonium B. Virginis. *Unus* inter ipsam & Spiritum Sanctum mediante Gabriele Archangelo tractatum & contractum; quod fuit matrimonium verum, & sanctum ac perfectum. Unde Augustinus: *In illo conjugio Virginis Matris DEI prolem legalissimam cognoscimus ipsum Christum;* Et fidem purissimam, quia ibi nullum adulterium; & sacramentum ratissimum, quia nullus ibi defectus vel divortium habet locum. *Aliud* verò Matrimonium inter ipsam & Joseph; quod quantum ad carnalem copulam fuit solummodo putativum; sed quantum ad fidem & sacramentum, fuit verum, ratum & sanctissimum. Unde Augustinus: *Cùm conjugia sint sanctiora pari voto continentium, vos ô Maria & Joseph, tantò sanctiùs & sanctiores conjuges manebatis: quantò sanctiora castitatis placita concorditer servabatis.* Ex quo patet Joseph quoque Virginem fuisse & Virginem permansisse; quia si ante contractum Matrimonium cum Maria, mulierem cognovisset, tunc bigamus esset: & si post contractum matrimonium, tunc adulter fuisset. Quod absit suspicari de talis & tanti meriti viro, cui tanquam custodi & ministro & testi sacrariorum cœli & lilium paradisi & thesaurus divitiarum bonitatis Altissimi fuerat commendandus.

Sextò Sacramentum extremæ unctionis (quod est institutum pro morientibus ad venialium remissionem, ad corporalis infirmitatis alleviationem, ad vincendam ultimam tentationem, & ad transitus securitatem) sicut non fuit necessarium quibusdam etiam sanctis, quos Dominus sine infirmitate corporali & dolore mortis ab hac vita evocavit ùt Joanni Evangelistæ; de quo legitur, quòd Domino vocante descenderit in defossum sepulturæ suæ locum, & dormivit in pace tam à do-

à dolore mortis extraneus, quàm à corruptione carnis extitit alienus) sic etiam Beata Virgo ipsum non habuit necessarium. Videtur tamen, quòd propter consummationem summæ humilitatis, quam in vita tenuit, in obitu suo etiam istud sacramentum ex humilitate susceperit; & in ipso consecuta fuerit sanctitatis vitæ suæ consummationem, & corporalis doloris amotionem, & futuræ glorificationis plenam significationem & inchoationem.

CAPUT VI.

Quòd B. Virgo Sacramentum Ordinis non perceperit in se, sed in excellenti.

SAcramentum verò ordinis Beata Virgo non suscepit ex tribus causis. *Primò* propter muliebris sexus humilem conformitatem, quæ ab hoc sacramento removetur propter sexûs inhabilitatem, & naturæ fragilitatem, & prælationis incongruitatem. *Secundò* propter sui status majoritatem; quia, licet sacramentum ordinis præferat exteriùs quandam dignitatem & majoritatem, interiùs tamen habet secundùm se quandam servitutem & minoritatem, juxta illud Lucæ 22. *Qui major est in vobis, fiat sicut junior: & qui præcessor est, sicut ministrator.* Unde omnes ordines Ecclesiastici sunt introducti in ministerium, non in Dominium; propter quod ipse Papa, summus ministrorum in Ecclesia, non vocat se Dominum, *sed servum servorum DEI.*

Beata Virgo verò sicut exteriùs præferabat coram hominibus summam humilitatem: sic habuit interiùs apud DEum summam dignitatem. Unde non decuit eam poni in statum ministerii, quæ erat consors dominii & imperii in Republica filii sui; nec debuit servire aliis, ut servus servorum, quæ erat Domina Angelorum & Regina cœlorum. *Tertiò* propter actus & officii ordinum disparitatem; quoniam ordinati in Ecclesia pro sui officii executione necesse habent mutare loca, & per mundum discurrere ad prædicationes & consecrationes & alias Ecclesiasticas ordinationes. Hoc autem non congruebat B. Virginem facere pro suæ personæ dignitate, & muliebris sexus conformitate, & vitæ ac actionis suæ disparitate: quia in actibus & officiis corporalibus alia

A. sunt, quæ pertinent ad mulieres; & alia, quæ ad viros.

Licèt autem B. Virgo ex prædictis causis non susceperit sacramentum alicujus ordinis, quidquid tamen bonitatis & gratiæ singulis ordinibus confertur, ipsa in æquipollenti vel excellenti per spiritalem & specialem unctionem Spiritus Sancti totum habuit & possedit. Eccl. 24. *In plenitudine sanctorum detentio mea.*

In sacramento verò ordinis tria considerantur & commendantur, scilicet potestas spiritualis, dignitas ministerialis, &
B. executio actualis. Hæc tria Beata Virgo habuit in excellenti: *Primò* quidem spiritualem potestatem; quia cùm in ministris sit illa potestas uno trium modorum, vel ordinaria vel vicaria vel delegata: ipsa habuit altiorem potestatem, videlicet hæreditariam à filio, & cùm filio in collatione & distributione gratiarum & beneficiorum spiritualium, & temporalium, & æternorum juxta illud Eccl. 24. *Et sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi &c. Secundò* habuit excellentiorem dignitatem mi-
C. nisterialem. Dignitas enim Ministerialis, quæ attenditur in ministris sacramentorum ex collatione ordinum, consistit in tribus. I. In singulari separatione, de qua dicitur Num. 3. *Ego tuli Levitas à filiis Israël pro omni primogenito, eruntque mei.* Item ibidem: *Applica tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei.* Beata Virgo autem separata est ab omni genere humano, & à communi massa primæ damnationis generis humani, & à maledictione sexus muliebris, originali emundatione & sanctifi-
D. catione & gratiarum infusione & virtutum instructione & exercitatione in ministerium incarnationis Dominicæ: ubi summus sacerdos & verus Pontifex de ipsius Virginali carne & sanguine, sui corporis & sanguinis hostiam DEO Patri pro nobis offerendam assumpsit juxta illud Genes. 48. quod dixit Jacob ad Joseph, id est, Pater ad Filium: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* II. In sui speciali electione & applicatione. Numer. 17. *Notum faciet vobis Dominus mane, qui ad se pertineant; &*

Sanctos applicabit sibi, & quos elegerit, appropinquabunt ei &c.

Tria hic insignia in Ecclesia ministris ordinatis insinuantur: videlicet specialis appropriatio, ibi: *Qui ad se pertineant;* & familiaris approximatio, ibi: *Et sanctos sibi applicabit;* & corporalis conjunctio & associatio ipsorum ad Dominum: *Et quos elegerit, appropinquabunt sibi.* Beata Virgo verò quoad hæc tria excellit omnes ordinatos in Ecclesia: *Primò* speciali & personali appropriatione, quâ ipsa propriè referebatur & pertinebat ad DEum, tanquam ad Patrem filia dilecta: Judith 13. *Benedicta es tu filia à Domino DEO excelso præ omnibus mulieribus super terram.* Et tanquam ad sponsum sponsa electa Cant. 6. *Una est columba mea, perfecta mea, electa Matris suæ, dilecta genitricis suæ.* Et tanquam ad filium Mater prælecta & prædilecta. 3. Reg. 2. *Pete Mater mea; neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.*

Secundò familiari approximatione. Ministri enim & præcipuè sacerdotes Domino familiariùs, quàm plebs & vulgus in sacrorum ministerio & officio appropinquabant, ad hoc præ aliis præparati maculæ immunitate, vitæ sanctitate & operis sedulitate. Deut. 5. *Nec est enim alia natio tam grandis, quæ habeat DEos sibi appropinquantes, sicut adest tibi Dominus DEus tuus.*

Beata autem Virgo DEO præ omnibus appropinquavit ex triplici causa; videlicet ex summa sui puritate & munditia. Sap. 7. *Hæc est speciosior sole, & super omnem stellarum dispositionem luci comparata, invenitur prior:* Et Sap. 6. *Incorruptio DEO proximum facit.* Et ex percepta plena gratia. Prov. XI. *Mulier gratiosa inveniet gloriam,* Et ex superexcellenti gloria; de qua dicitur Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.*

Tertiò in Sacrorum corporali contrectatione. Unde Numer. 18. Dixit Dominus ad Aaron & filios ejus: *Tu & filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii: Levitæ verò cæteri ad vasa sanctuarii & ad Altare non accedant.* Beata Virgo autem sola inter omnes ut digna & prælecta fuit ad hoc & consecrata, ut super omnem sacerdotalem potestatem & gratiam, ipsa per se, non de pane & vino, sed de corpore Virgineo & sanguine suo, corpus Dominicum conciperet operante Sancto Spiritu, & compingeret, & formaret, & Verbo indueret, & pareret, & tractaret, & pannis involveret, & nutriret, ut tandem stans juxta crucem simul cum filio, ipsum corpus filii DEO Patri pro nobis offerret; & suum proprium corpus & animam compatiendo superadderet, juxta illud Lucæ 2. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

Ex his patet, quòd nihil dignitatis, aut potestatis aut gratiæ spiritualis, quæ confertur in ordinibus Ecclesiasticis, illi defuerit, quæ gratia plena fuit.

CAPUT VII.

Qualiter Beata Virgo habuerit virtutes Theologicas & Cardinales.

Inter septem verò virtutes, videlicet tres Theologicas, fidem, spem, & charitatem, & quatuor cardinales, prudentiam scilicet, justitiam, temperantiam & fortitudinem (quæ integrant perfectionem sufficientiæ) primò videndum est de fide: qualiter Beata Virgo in suarum gratiarum plenitudine istam virtutem excellenter habere potuerit; quia fides & certitudo scientiæ opponuntur. Quæ enim credimus, illa nescimus: & quæ scimus, illa non credimus. Si autem scire omnia, est aliqua gratia in præsenti (quod utique patet ex eo, quia inter septem dona connumeratur spiritus scientiæ) ergo & illius gratiæ Beata virgo plena fuit. Et si omnia scivit, ergo nihil credidit; & ita non habuit donum fidei. Si autem aliqua credidit, illa per consequens non scivit, & ita spiritum scientiæ quoad omnia scienda non habuit.

Eadem ratio dubitationis potest induci de cæteris virtutibus & donis & bonis, quæ ad invicem videntur habere aliquam repugnantiam, quò minus possint simul inesse eidem ut de gratia charitatis, quæ, ut videtur, excludit donum timoris: *Quia perfecta charitas foras mittit timorem:* & 1. Joan. 4. 18. de virtute justitiæ, quæ videtur secum non compati virtutem misericordiæ: *Quia misericordia & veritas obviaverunt sibi.* Psal. 84. 11.

Similiter virtutes quædam ordinantur principaliter contra malum, uti temperan-

perantia contra motus illicitos & contra A. superfluitatem: fortitudo verò contra metum & mentis infirmitatem. In B. autem Virgine non videtur fuisse aliquis motus illicitus, in qua fomes omnino fuit extinctus; nec aliqua mentis infirmitas, quam virtus Altissimi totam obumbravit, & spiritus fortitudinis in omnibus & contra omnia confortavit. Et ita videri potest, quòd prædictas gratias & virtutes non habuerit in numero plenitudinis gratiæ, quam ei Angelus annuntiavit.

Super hoc ergo sciendum est & notandum, quòd virtutes & dona, secundùm diversum statum percipientium & B. habentium ipsas virtutes & dona ad diversos fines & effectus ordinentur. Unde cùm secundùm statum viæ, & secundùm statum patriæ, alii sint viatores & alii comprehensores, propter hoc inter dona & virtutes (secundùm quod habentur in via) quædam cessabunt in patria quantum ad habitum & actum, uti scientia & fides & prophetia & hoc, in quantum secundùm exigentiam status viæ important imperfectionem juxta illud 1. ad Corinth. 13. *Sive prophetia evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia de C. struetur.* Cujus causam statim assignat dicens: *Quia cùm venerit quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* Vel in quantum ordinantur contra aliquam defectionem cum pugna & resistentia ad contraria; uti prudentia contra errorem, fortitudo contra timorem, justitia contra iniquitatem, temperantia contra superfluitatem, quæ virtutes & dona cessabunt in patria, non quantum ad habitum; sed quantum ad illos actus, ordinatos contra viæ defectionem & mentis dejectionem. Unde dicit Augustinus lib. 16. de Civitate DEI, quòd D. Beatis in patria justitiæ opus, est amore rectitudinis summè delectari; fortitudinis, nihil adversi timere; prudentiæ, nihil sciendum propriè ignorare; temperantiæ, divinæ suavitatis quiete perfectè gaudere.

Unde notandum, quòd prædictas virtutes & dona, & deinceps fructus & beatitudines differenter habeant viatores & comprehensores, sive quantum ad habitum & actum, sive quantum ad actum tantùm: quia viatores habent eas cum actuum imperfectione sub merendi conditione; comprehensores verò cum actuum perfectione sine merendi conditione.

Ut igitur ista materia de excellenti perfectione Beatæ Virginis, ipsam disponente & præparante in hac vita ad summum gradum contemplationis, & intimæ degustationis æternæ beatitudinis, generaliter concludatur: hoc de B. Virgine sentiendum & tenendum est; quòd in plenitudine gratiæ, quam ei Angelus annuntiavit, omnes gratias sacramentales & prædictas virtutes & dona, & fructus & beatitudines statum viæ perficientes, ex eo, quòd ipsa fuerit viator simpliciter & comprehensor secundùm quid, medio & meliori modo habuerit inter viatores & comprehensores: quia cessante actuum imperfectione habuit eas sub merendi conditione; & cum actuum perfectione cum excellentia super omnes.

CAPUT VIII.

Qualiter B. Virgo excedebat omnes alios in perfectione suæ Contemplationis.

REvertendo igitur ad perficiendum sermonem de perfectione & excellentia Contemplationis B. Virginis in hac vita, propter quam prosequendam prædicta omnia sunt inducta, notandum, quòd circa hoc primò videndum est, circa quid, & secundùm quid, & usque ad quid B. Virginis contemplatio se extenderit. Ad cujus majorem declarationem & intelligentiam prænotandum est, quòd, cùm B. Virgo inter Christum DEum & hominem, & inter puros homines cæteros, non solùm secundùm plenitudinem gratiæ, sed etiam secundùm perfectionem naturæ, medium statum habuerit: in cæteris hominibus sic se habebat, quòd actus & operationes potentiarum seu virtutum inferiorum cùm prævaluerint, impediant actus & operationes superiorum, sicut vehemens sensus minuit imaginationem & rationem; propter quod actiones vel passiones, quibus est annexa delectatio, secundum sensum impediunt rationem, sicut facit delectatio carnis in opere veneris, apud quam, ùt dicit philosophus, ipse intellectus quasi totaliter absorbetur: & è converso quoque operationes & actus virtutum superiorum, cùm fuerint vehementes, debilitant & obfuscant actus & vir-

virtutes inferiorum, ùti patet in eis, qui A. patiuntur mentis extasim & excessum, in quibus diminuitur vel impeditur perceptio secundùm sensum. In Christo verò ex unione animæ ad Deitatem hoc fuerit speciale; quòd virtutes superiores & inferiores ad perfectionem suorum actuum se invicem non diminuebant nec impediebant. Quam virtutem appellat Damascenus virtutem *Theandricam* in Christo, sive Deivirilem, secundùm quam in passione habuit simul summum gaudium & summum dolorem, licèt non respectu ejusdem: & summam constantiam patiendi cum summo horrore naturæ B. refugientis animam à corpore separari.

Beata igitur Virgo ex plenitudine gratiæ hoc habuit cum Christo commune; quòd in ipsa virtutes superiores non impediebant nec diminuebant virtutes inferiores quo ad perfectionem suorum actuum; nec è converso virtutes inferiores impediebant superiores. Propter quod ipsa quolibet actu & motu potuit mereri, ita quòd quælibet ejus actio & operatio gratuita fuerit & meritoria. Et hoc est, quod dicit Hieronymus in Serm. *Cogitis me*, quòd in Mariam totius gratiæ plenitudo, quæ in Christo est, descendeC. rit, quanquam aliter & aliter: Quia in Christo fuit plenitudo gratiæ ex unione Deitatis: in Maria verò ex infusione divinæ largitatis; quantum fuit possibile communicari puræ creaturæ: propter quod etiam omnem actionem & passionem suam actualiter in DEum, ut in finem retulit juxta illud ad Coloss. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo & opere, omnia in Nomine Domini JEsu Christi facite.* Et iterum 1. ad Corinth. 10. *Sive manducatis, sive bibatis, omnia in gloriam DEI facite.*

Unde cùm in cæteris Viatoribus aD. ctio contemplationem vel impediat, vel interrumpat; & perfecta & pura contemplatio ab actione se abstrahat & quiescat (quia non possunt continuè simul esse, sed secundùm vices juxta illud 2. ad Corinth. 5. *Sive mente excedimus, DEO; sive sobrii simus vobis. Charitas enim Christi urget nos*) idcirco utraque vita est meritoria, scilicet activa & contemplativa, sive currant simul mixtim, sive per tempus ab invicem separentur: Quia, ut supra dicebatur, charitas est utriusque fundamentum, à qua manat causa & virtus merendi.

Beata Virgo igitur in plenitudine suæ gratiæ hoc quoque habuit, quòd ejus activa non impediebatur à contemplativa; nec è converso quantum ad actus perfectionem & quantum ad merendi completam rationem.

CAPUT IX.

De differentia cogitationis, & considerationis, & meditationis, & contemplationis.

PRimò itaque videndum, circa quid versabatur contemplatio B. Virginis in hac vita. Sciendum ergo; quòd, cùm, sicut priùs dicebatur, duplex sit contemplatio: una, in qua est descensus in scala Jacob à contemplatione superiorum & divinorum ad considerationem & dispositionem inferiorum, sicut dicit Glossa super illud Exod. 25. *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi monstratum est in monte*: & alia, in qua fit ascensus à consideratione inferiorum ad contemplationem superiorum, quæ secundùm Richardum in primo libro de Contemplatione surgit ab inferiorum sensibili visione & imaginatione conjuncta & copulata cum mentis cogitatione, & cogitationis discursione, quam discursionem Bernardus vocat *considerationem*; Richardus verò appellat simpliciter *cogitationem*, videndum est primò de ista diversitate, & differentia cogitationis sive considerationis, & meditationis & contemplationis generaliter, quantum ad statum viatorum simpliciter, ut possimus consequenter videre de gradu & statu contemplationis B. Virginis in hac vita, quæ fuit in statu viatoris simpliciter, & in statu comprehensoris secundùm quid.

Cùm igitur in illa communi contemplatione viatorum simpliciter fit ascensus ab inferioribus ad superiora, idcirco quòd omnis humana cognitio secundùm philosophum oritur à sensibilibus & à sensu; & potentiæ seu virtutes animæ, secundùm quarum actus fit ipse ascensus, sint in homine & humana anima secundùm ordinem superioris & inferioris ad invicem copulatæ & conjunctæ, ita quod supremum inferioris pertingat ad infimum superioris; & è converso infimum superioris attingat supremum inferioris: propter hoc, sicut

in

in anima humana sensus & imaginatio copulantur & conjunguntur sursum cum cogitatione secundùm Richardum, sive cum consideratione secundùm Bernardum, & cogitatio sive consideratio cum meditatione: ita & meditatio copulatur & conjungitur sursum cum contemplatione, hoc modo & ordine; quòd, licet sæpe cogitatio meditationis partem aliquam attingat, non tamen perfectè in ipsam transeat; & similiter meditatio, licet aliquid contemplationis apprehendat, non tamen in ipsa perficiatur totaliter & quiescat. Quod secundùm Gregorium dicitur relapsus in contemplatione; quia dum mens propriis viribus, non juvante nec elevante gratia supra se conatur, suo pondere depressa infra se relabitur: quod fit propter destitutionem naturæ, propter culpam & indispositionem animæ, propter pœnam & absentiam gratiæ & meritorum carentiam.

Et talis fuit contemplatio philosophorum; qui dum solo conatu naturæ *ascenderunt usque ad cœlos*, ex carentia gratiæ *descenderunt usque ad abyssos; & anima eorum in malis tabescebat; quia turbati sunt & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est.* E converso verò, sicut natura conante & operante sensus vertitur & transit in imaginationem, ita gratia adjuvante & elevante imaginatio tota transit in considerationem, & meditationem: donec meditatio compleatur & ad perfectum terminetur in Contemplatione juxta illud Psalm. *Cogitatio hominis confitebitur tibi; & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.*

Ps. 106. 26. & 27.

Psal. 75. 11. & 12.

CAPUT X.

De differentiis & convenientiis sex graduum contemplationis.

AD majorem itaque evidentiam dictorum & dicendorum, & maxime, ne erretur aut dubitetur in vocabulis, dicendum est per singula, quid sit sensus, quid imaginatio, quid cogitatio vel consideratio, quid ratio vel ratiocinatio, quid meditatio, quid intelligentia, quid contemplatio.

Sensus est virtus animæ, quæ apprehendit & percipit rerum sensibilium formas & figuras & numeros & motus; ut in materia existentes & præsentes.

Imaginatio est virtus animæ, quæ formas sensibiles à sensu acceptas & à materia abstractas apprehendit: & præter materiam apud se volvit diversimodè, & revolvit vel visas imitando, vel visis similes fingendo aut componendo.

Cogitatio secundùm Richardum est, quæ nascitur ex imaginatione; & est quidem animi improvisus respectus, ad vagandum inter varia & diversa pronus juxta illud Job. 20. *Cogitationes meæ variæ sibi succedunt, & mens in diversa rapitur.*

Consideratio verò est discursus cogitationis de uno ad aliud, de eodem ad diversum, & de uno oppositorum super reliquum.

Meditatio verò est providus & subtilis animi intuitus in rerum discussione & veritatis inquisitione distentus.

Ratio est virtus mentis similia & dissimilia discernens; & similia similibus jungens: & dissimilia separans & disjungens.

Ratiocinatio est actus rationis de certis ad incerta, de cognitis ad ignota, via inquisitionis tendens & perducens.

Intelligentia est vis animæ in DEum nitens, & intendens, & ei adhærens.

Contemplatio verò est libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula cum admiratione & delectatione mentis suspensa.

Commune itaque est contemplationi & meditationi circa recta & utilia sapienter & scientialiter versari. Commune quoque est contemplationi & cogitationi libero quodam motu in res videndas & perspiciendas undique circumferri. Differt autem meditatio à cogitatione; quia cogitatio versatur circa exteriora rerum perspicienda; meditatio autem circa interiora perquirenda.

Sunt itaque secundùm prædicta, uti dicit Richardus, sex genera contemplationum. *Primum* est in imaginatione secundùm imaginationem, videlicet, quando nihil adhuc argumentando mentis aspectus circa rerum formas imaginatas huc & illuc admirando discurrit. *Secundum* est in imaginatione secundùm rationem; quando ad ea, quæ in imaginatione conspicimus, formata cum discussione rationem & causam inquirimus, & inventam cum admiratione in considerationem adducimus. *Tertium* est in ratione secun-

secundùm imaginationem; quando per rerum visibilium similitudinem in considerationem invisibilium elevamur. *Quartum* est in ratione secundùm rationem; quando facta abstractione ab imagine rerum sensibilium solis illis animus intendit, quæ ratiocinatione colligit, & ratione comprehendit. *Quintum* est in ratione supra rationem, sed non contra rationem neque præter rationem; quando fide vel inspiratione aut revelatione mens illis acquiescit, quæ ratione humana comprehendere non sufficit: ut sunt ea, quæ de DEO apprehendimus & Divinis, uti de omnipotentia, & sapientia, & providentia, & gratia Divina, & judicio, & justitia. *Sextum* & altissimum genus contemplationis est supra rationem, & præter rationem; quando mens ex Divini luminis irradiatione talia apprehendit, quibus omnis humana ratio repugnando contradicit; uti de Divinæ essentiæ Unitate in personarum Trinitate, & de partu Virginis, & de conversione panis & vini in substantiam Dominici corporis & sanguinis, & de similibus.

CAPUT XI.

De differentia contemplationis, circa opera creationis & reparationis & glorificationis.

EX prædictis igitur patet; quòd cum apprehensio rerum per imaginationem absque eo, quòd conjungatur cogitationi, sit per omnia inutilis & vaga tanquam solis irrationabilibus animalibus appropriata; cogitatio verò sine meditatione sit incerta & laboriosa idcirco, quia versatur circa rerum exteriora, non ingrediens adhuc ad interiora, ubi sunt prima veritatis vestigia; Meditatio verò sine contemplatione sit imperfecta & inquieta, tanquam finem & terminum, quem inquirit, nondum completè adepta: circa contemplationem B. Virginis, qua beatificabatur & consolabatur & delectabatur in hac vita, hoc dicere possimus sanè & piè sine præjudicio sententiæ melioris; quòd, licet ipsa, ut dicit Hieronymus, adhuc in hac vita posita uteretur non carnalibus sed carnis sensibus præter carnem, gratiâ, quâ plena erat, ipsam ducente in omnibus & regente ac perficiente; ideo sensuum ipsius apprehensio & imaginatio

A. non erat curiosa, sed officiosa; non vaga, sed fixa; non fortuita, sed gratuita; non frustratoria, sed meritoria: mundæ & sanæ & sanctæ cogitationi & meditationi ac contemplationi semper innixa & infixa, & vinculo summæ charitatis Filio affixa. Cujus ardore movebatur & fovebatur & delectabatur, nunc in nostræ reparationis operibus, nunc in se ipso ipsius potentiam venerando, sapientiam admirando, & gratiam amando, ac justitiam & misericordiam magnificando tota anima, tota mente, & ex omnibus viribus suis plenitudine gratiæ informatis & confortatis & confirmatis; ut in ejus meditatione jugiter exardesceret ignis amoris; & in ejus contemplatione splenderesceret ipse fons Divinæ lucis, omnia DEI Mysteria ipsius aspectibus castissimis & purissimis irradians & illustrans, & eam flumine divinæ largitatis inebrians; secundùm quod sanctus in patria psalmista promisit, dicens: *Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ &c.* P....

Cùm igitur contemplatio ab inferioribus ad superiora ascendens juxta exigentiam status viæ incipiat in sensibili visione, & interiori imaginatione in operibus Divinis; quia DEum in hac vita primò quærimus in rebus, & invenimus ut principium & causam universalem in suis effectibus; opera autem Divina alia sint opera creationis, quibus mundus & homo in mundo est constitutus primò; alia verò opera reparationis, quibus mundus in homine & homo cum mundo est restitutus & reparatus; alia denique sint opera consummationis & glorificationis, quibus mundus & homo in mundo & cum mundo renovabitur, ut sit in æternum consummatus & perpetuatus: D. Opera quidem conditionis, quibus Divina potentia nondum existentia fecit, spectanda primò ad sensum, proposita sunt incipientibus juxta illud Isaiæ 41. *Levate oculos vestros in excelsum, & videte, quis creaverit hæc*: Opera vero reparationis, quibus Divina misericordia omnia destructa refecit, speculanda proposita sunt proficientibus juxta illud Ps. *Noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis &c.* Psal. 102. 1. Opera vero consummationis & glorificationis, quibus Divinæ largitatis abundantia omnia restituta & refecta perficit in ultimo & optimo

optimo statu & perpetuavit, proposita sunt speculanda & contemplanda electis & perfectis juxta illud: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus; Qui redimit de interitu vitam tuam. Qui replet in Bonis desiderium tuum, ut renovetur ut aquila juventus tua.* Ibid. 4

Quia igitur B. Virgo fuit in statu viatoris simpliciter, & in statu comprehensoris secundùm quid, proinde in sua contemplatione circa opera primæ conditionis ex eo, quòd omnia scivit, quæ ipsam scire decuit & licuit; & hæc plene cognovit, qualiter & secundùm quid mundus factus fuerit & omnia in mundo: attentiùs tamen in hoc genere contemplationis versabatur ejus intentio, ad quid & propter quid mundus constitutus sit, & omnia in mundo. Quia quærere & invenire, qualiter & secundùm quid mundus constitutus sit, & quæ in mundo; plùs habet curiositatis quàm utilitatis: & ulteriùs non tendentibus occurrit circa hoc plus vanitatis quàm veritatis, sicut de philosophorum contemplatione factum fuit, quia in illa contemplatione plùs excercetur ingenium, in ista verò plùs obtinet & percipit meritum.

CAPUT XII.

Quòd B. Virginis contemplatio versabatur quotidie circa opera reparationis & glorificationis.

Circa opera verò Reparationis & glorificationis summè & præcipuè versabatur intuitus contemplationis ipsius, gratulando & exultando de revelato mysterio, & de collato Beneficio, & ea mediante exhibito, & de oblato præmio humanæ redemptionis & salvationis, quam DEum ex ipsa & in ipsa & per ipsam humano generi præparâsse & contulisse certissimè & plenissimè per scientiam & experientiam recognovit.

Perfectio verò & excellentia sanctæ meditationis, & altissimæ considerationis & contemplationis B. Virginis circa magnificentiam & gratiam & gloriam mysterii incarnationis & cæterorum operum humanæ reparationis, ac singulariter circa largitatem & liberalitatem Divinæ dignationis sibi exhibitam, & ostensam in gratia suæ electionis & assumptionis in Matrem DEI, & mediatricem & cooperatri- A cem nostræ redemtionis & reconciliationis ac restaurationis omnium, quæ sunt in cœlo & in terra: patet excellenter in cantico seu hymno illo, quem B. Virgo in exultatione & jubilo sui cordis decantâvit; ut legitur Lucæ 1. *Magnificat anima mea Dominum* &c.

Hujus autem Cantici occasionem sive causam, ac gratiam sive efficaciam Lucas innuit acceptam & subsecutam esse ex eo; quòd Angelus Virginem salutans, ei revelaverit conceptum Elisabeth, quæ ob senilem ætatis verecundiam, ùt dicit Ambrosius, occultaverat suum conceptum B. quinque mensibus. Videlicet per Octobrem, in quo Joannes fuit conceptus, & per Novembrem & Decembrem & Januarium & Februarium usque in mensem Martium, qui fuit sextus ab Octobri: in quo missus est Angelus Gabriel ad Virginem juxta illud: *Et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis.*

Cùm autem B. Virgo post annuntiationem & conceptum Filii DEI, jam non solùm gratia, sed authore omnis gratiæ DEO plena pro charitatis officio, & familiaritatis obsequio, & humilitatis C. exemplo abiisset in montana, & salutâsset ipsa prior & præveniens Elisabeth, tanquam vicina Domestica, & cognata propinqua, & junior seniorem, Virgo Uxorem: plenitudo gratiæ, qua repleta erat in anima & in corpore, in mente & in ventre, se intra eam non poterat continere; sed mediante voce, & vocis verbo erupit, & prorupit, & irrupit in ipsius Elisabeth aurem, mentem, prophetico spiritu eam illustrando; in ventrem, sanctum ipsius conceptum in sensum & motum gaudii suscitando.

Primò enim Elisabeth ipsa innuit An- D. gelici oraculi sibi per Virginem fuisse factam revelationem in eo; quòd exclamaverit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui;* & expresserit, de quo & quali fructu diceret: *& unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me?* Ubi innuit, quòd ille fructus erat DEus, homo factus, Virginis Filius. Bernardus: *Poterat dicere Beata Virgo ad hæc verba Elisabeth: Quis tibi indicavit me Matrem Domini, Mulier sancta? Unde me nosti? & illa; ex quo, inquit, facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo.* Ergo vox Mariæ, cùm

cum in voce verbum significetur, & ope- A. retur virtute verbi (quod ipsa gerebat in corde & in corpore, in mente & in ventre) in eo & ex eo, quod in mentem Elisabeth spiritum propheticum inspiravit, & in ventre ipsius sanctum illius conceptum in sensum & motum gaudii suscitavit, & ipsam Mariam Matrem DEI jam factam declaravit: & hoc merito & virtute fidei & obedientiæ, qua se voto & voluntati DEI & oraculo Angeli humiliaverat Angelo sic respondendo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Quod cùm Elisabeth exprimeret, dicens: *Et Beata, quæ credidisti*; mox Bea- B.

ta Virgo rememorando hæc omnia ita esse & facta fuisse circa se, Sancti Spiritus gratia & virtute, qua plena erat, in exultationem & gratiarum actionem, & Divinorum mysteriorum revelationem & commendationem prorupit, ita dicens: *Magnificat anima mea Dominum* &c.

Et ut aliquis devotus B. Virginis & cupiens hujus Cantici expositionem extra hujus tractatus continentiam & contextum per se & specialiter habere possit, ipsam Expositionem, quam DEus inspiraverit, duxi cum adjuncto sibi speciali prooemio sic ponendam.

EXPOSITIO
Cantici Beatæ VIRGINIS,
quod in sua Contemplatione decantavit.

PROLOGUS, aliàs in ordine CAPUT X.

AD *locum, unde fluunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant* Eccl. 1. Sicut sunt flumina aquarum, quæ de quodam certo & fixo loco terræ effluunt, & diffunduntur ad irrigandam & fœcundandam & fructificandam totam terram: ita sunt flumina gratiarum, quæ de quodam consimili loco effluunt & diffunduntur ad irrigandum vel fœcundandum vel totam Ecclesiam generaliter, vel aliquam personam præcipuam; ut puta Beatam Virginem, aut aliam quamlibet sanctam animam specialiter, ad irrigandam ipsam & fœcundandam, ut fructificet in germine virtutum & profectu bonorum operum.

Locus autem iste est ille altus puteus & abyssus immensi pelagi Divinæ Bonitatis; ubi est initialis origo, & fontalis plenitudo, & universalis scaturigio omnium gratiarum & virtutum: unde effunditur, & diffunditur, & infunditur omnis Divina gratia in cœlo & in terra.

Ad istum itaque locum, videlicet Divinæ bonitatis & largitatis abyssum, unde fluunt flumina gratiarum per libe-
Psal. 103. 28 ralem collationem Psalm. *Aperiente te* C. *manum tuam omnia implebuntur bonitate,* dignè & justè revertuntur per humilem gratiarum actionem juxta illud Psalm. Psal. 102. 2.
Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus: ut iterum fluant per superfluentem gratiarum multiplicationem. Psalm. *Rivos ejus inebria,* Psal. 64. 11.
multiplica genimina ejus: in stillicidiis ejus lætabitur germinans.

Beata igitur Virgo, Mater DEI, quæ plenitudinem gratiæ & virtutis de illo alto puteo & profunda abysso largitatis & bonitatis Divinæ supra omnem puram creaturam hausit (quia ab ipso fonte, in quo hauriret, accepit) ne ei D. sicut cæteris dici posset; *Neque in quo hau-* Joan. 4. 11.
rias, habes, & puteus altus est, ad congratulationem Elisabet Sancti Spiritus instinctu & impulsu exclamantis ad ipsam: Luc. 1. 42.
Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: & unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me; & alia magnifica, quæ sequuntur, mox tantæ gratiæ collationem & declarationem subsecuta & prosecuta est per gratiarum actionem in virtute animæ & exultatione spiritus elevata in hæc verba: *Magnifi-* ibid. 64.
cat anima mea Dominum &c. ut recognoscens

gnoscens & rememorans tantæ gratiæ collationem per gratiarum actionem & animæ & spiritus exultationem, mereretur iterum gratiarum multiplicationem & confirmationem & conservationem juxta
Psal. 117. 3. illud Psalm. *Multiplicabis in anima mea virtutem*. Ut sic ad locum, unde in ipsam tam largiter confluxerunt & influxerunt tantarum flumina gratiarum per tam liberalem collationem, reverterentur per humilem gratiarum actionem & recognitionem; ut iterum refluerent per superefluentem gratiarum multiplicationem jux-
Psal. 67. 29 ta illud: *Confirma hoc DEus, quod operatus es in nobis*.

Hanc igitur tam profundam meditationem, & tam altam contemplationem B. Virginis in hujus cantici sui modulatione & jubilatione, quantum ipsa donante possumus, attendamus, si fortè nobis circa illam suæ gratiæ & alicujus intelligentiæ sinum pandat.

CAPUT I. aliàs XIV.

Divisio seu Distinctio Hymni sive Cantici Magnificat.

MAgnificat anima mea Dominum &c. Canticum istud secundùm Distinctionem Cantus & usus Ecclesiæ in cantando habet duos quinarios versuum, hoc est, Decem versus. Primi Quinarii duo versus continent ipsius Virginis in contemplatione Mysterii Incarnationis jubilationem & exultationem, cùm incipit: *Magnificat*; & subjungit: *Et exultavit spiritus meus in DEO salutari meo*. Ejusdem verò quinarii tres sequentes versus exprimunt ipsius jubilationis & exultationis causam & rationem, cùm addit: *Quia respexit humilitatem*; Et iterum; *Quia fecit mihi magna &c.*

Secundi quinarii primi tres versus declarant & commendant circa bonos & malos subsecutam incarnationis verbi efficaciam, cùm dicitur: *Fecit potentiam in brachio suo*; Et: *Deposuit potentes*; Et: *Esurientes implevit bonis*. Ultimi verò duo versus annuntiant per incarnationem verbi exhibitam & persolutam divinæ promissionis gratiam, cùm concluditur: *Suscepit Israël puerum suum*; Et: *Sicut locutus est ad Patres nostros*.

Principalis itaque intentio hujus Cantici in ipsa meditatione B. Virginis videtur

A. versari circa tria cum gratiarum actione & summa mentis exultatione insinuanda & commendanda circa mysterium incarnationis. *Primò* enim B. Virgo circa se ipsam insinuat & extollit Divinæ dignationis & gratiæ largitatem: & hoc in primis quinque versibus. *Secundò* insinuat & commendat circa Synagogæ dejectionem & Ecclesiæ erectionem Divinæ dispensationis & sapientiæ profunditatem: Et hoc in illis tribus versibus subsequentibus: *Fecit potentiam, Deposuit potentes, Esurientes implevit*. *Tertiò* insinuat & col-
B. laudat circa Patrum promissiones Divinæ miserationis & misericordiæ veritatem; & hoc in ultimis duobus versibus: *Suscepit*; Et: *Sicut locutus est*.

Prima pars hujus Cantici secundùm prædictas distinctiones innuit circa incarnationis gratiam magnitudinem beneficii cùm dicitur: Psalm. *Magnificentiam glo-* Psal. 144. 5.
riæ sanctitatis tuæ loquentur & mirabilia tua narrabunt. Secunda pars innuit circa Divinam sapientiam altitudinem consilii, cùm dicitur: *Fecit potentiam* &c. Et Isa. IX. *Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius*. Ibidem XLI. *Consilium tuum an-*
C. *tiquum verum fiat*. Et Psalm. *Consilium* Psal. 32. 11.
Domini in æternum permanet. Tertia pars innuit circa Divinam misericordiam & veritatem certitudinem promissi, cùm concluditur: *Suscepit Israël*. Ps. *Fidelis* Psal. 144. 13.
Dominus in omnibus verbis suis. Et ad Rom. 4. *Quæcunque promisit DEus, potens est & facere*.

CAPUT II. aliàs XV.

Quæ sit occasio & Materia hujus Cantici.

AD prædictarum verò distinctionum intelligentiam diligenter est notan-
D. dum; quod B. Virgo, ut apparet ex sensu literæ hujus cantici, prima fronte videtur præcipuè commendare & extollere in mentis suæ jubilo magnitudinem Divinæ potentiæ & sapientiæ ac clementiæ circà incarnationis mysterium & consilium ac beneficium ex respectu Divinæ dignationis ad ipsius Virginis humilitatem, in talem & tantam gratiam & gloriam exaltatam, ut per eam & propter eam humilitatem meruerit fieri Mater DEI; & ad humilitatem eorum exaltandam, qui, Christum pauperem & humilem de paupere & humili matre natum,

recipiendo per fidei simplicitatem ùt verum DEI Filium, meruerunt fieri filii DEI. Juxta illud Joan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios DEI fieri*: Et per consequens ùt verum Regem & Dominum restauraturum verum veri Israël regnum, & in eo regnaturum in æternum super populum humilem credentium & electorum juxta illud Luc. 1. *Dabit ei Dominus DEus sedem David Patris sui, & regnabit in Domo Jacob in æternum* &c. Superbis & potentibus & divitibus humilitatem & infirmitatem & paupertatem humanitatis Christi despicientibus, & eum negantibus, & ei contradicentibus, in perpetuum depositis & dejectis à sede superbiæ & potentiæ carnalis & literalis, & abundantiæ temporalis: in qua gloriando superabant & Psal. 17. 28. exultabant; juxta illud Psalm. *Populum humilem salvum facies: & oculos superborum humiliabis.*

Hoc autem patere potest clariùs tali ratione. Quia cùm Lex & Prophetæ de Christo Salvatore venturo, & regnum Israël restituturo, & super Judæos in perpetuum regnaturo promitterent & prophetarent ad litteram sub nomine magni & potentis alicujus Regis de semine David nasciturí juxta illud Jeremiæ 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & suscitabo David germen justum; & regnabit Rex & sapiens erit* &c. Ipsi Judæi & præcipuè eorum Principes & Scribæ & Pharisæi maximè circa tempus adventus Christi, gentium jugum & potestatem, quibus tunc fortiùs opprimebantur, non ferentes, sed restitutionis temporalis regni sui cupidi, & voluptatum fervidi, & novitatum avidi, Regem aliquem nasciturum & surrecturum de David semine ad litteram putabant & optabant, qui divitiarum & armorum potentia & bellorum, restitueret & restauraret illud temporale regnum Israël de manu potestatis gentium recuperatum. Nescientes neque scire volentes, alium Regem & aliud regnum spirituale & cœleste ac æternum esse prophetatum & promissum in lege & prophetis. Qui Rex hujusmodi regnum non per divitias & superbiam & potentiam hujus mundi, sed per paupertatem & humilitatem & infirmitatem humanitatis assumptæ, hostes veri Israël expugnaret, & spirituale & æternum

A. regnum cœlorum Electis & salvatis suis præpararet & donaret juxta illud Zachariæ IX. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator, ipse pauper & ascendens super asinam & super pullum asinæ: & disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Jerusalem; & dissipabitur arcus belli.* &c.

Tales igitur Judæorum principes & Scribæ eorum & Pharisæi superbi in litera legis, & potentes & avari secundùm sensum carnis, talem etiam Regem liberatorem suum sperabant & optabant & exspectabant. Et proinde Humanitatis B. Christi de Maria nati humilitatem & infirmitatem ac paupertatem despicientes, indignando & detrahendo dixerunt Matth. 13. *Unde huic tanta sapientia & hæ virtutes? Nonne hic est filius fabri, & Mater ejus dicitur Maria?* Ut impleretur, quod Simeon de eo prophetaverat Lucæ 2. *Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur.*

Christus igitur, quia de paupere & humili matre humanitatis nostræ assumpsit paupertatem juxta illud: *Pauper sum* Psal. 87. 16. C. *ego, & in laboribus à juventute mea.* Et Psal. 30. 11. infirmitatem juxta illud: *Infirmata est in paupertate virtus mea*; & humilitatem juxta illud: *Humiliatus sum usquequaque*: ideo positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël. Quia reprobi ipsius paupertatem & infirmitatem & humilitatem despicientes, propter infidelitatem corruerunt & dejecti sunt in damnationem. Electi verò non indignitati, sed dignationi Divinæ adscribentes assumptam à Christo paupertatem & infirmitatem ac humilitatem nostræ humanitatis propter nostram salutem, per fidei D. credulitatem erecti sunt & positi in salvationem juxta illud Psalm. *Ipsi obligati sunt,* Psal. 19. 8. *& ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus.*

Hanc ruinam reproborum, & resurrectionem electorum Beata Virgo, ut conscia divinorum mysteriorum, commendando judicia Divinæ justitiæ in reprobis, & beneficia Divinæ misericordiæ in electis, in sua meditatione & consideratione recognoscit, dicens: *Fecit potentiam in brachio suo &c. Deposuit potentes &c. Esurientes implevit bonis &c.*

Præ-

Prædicta verò causa ruinæ & resurrectionis multorum in Israël, non solùm intelligenda est de Judæis tunc Christo detrahentibus; sed etiam de omnibus reprobis Christo in suis actibus contradicentibus. Propter quod Simeon addidit dicens: *Et in signum, cui contradicetur.*

Positus est enim Christus in signum assumptæ voluntariè paupertatis, cui signo contradicunt hodie avari & divites; & in signum assumptæ voluntariè infirmitatis, cui signo contradicunt potentes; & in signum assumptæ voluntariè humilitatis, cui signo contradicunt superbi & arrogantes, habentes & prætendentes sua signa contraria signis Christi; videlicet signa cupiditatis & avaritiæ, & vanitatis ac superbiæ, & iniquæ potestatis & calumniæ: quæ signa in Christo & in Christum perfectè credentibus non vident,
Psal. 73. 9. 4. nec inveniunt. Psalm. *Signa nostra non vidimus; jam non est propheta, & nos non cognoscet amplius*: & ideo, ut dicitur in eodem Psalm. *posuerunt signa sua signa; & non cognoverunt, sicut in exitu super summum.*

CAPUT III. aliàs XVI.

De sex speciebus superbiæ.

SEcundùm prædicta igitur dicere possumus, quòd Beata Virgo hic primò insinuat, & gratulando collaudat Divinæ dignationis gratiam circa respectum suæ humilitatis, subjungens de hoc Magnificationis Divinæ & exultationis suæ causam & rationem: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.*

Unde ad sciendum, de quo modo & genere respectæ in se humilitatis Beata Virgo gratuletur: notandum est quòd humilitas sit multiplex. Est enim *humilitas status* se humiliantis indebita & indigna & pro tanto gratissima, ùt, cùm Dominus humiliat se servo, aut Magister Discipulo, vel quilibet superior suo inferiori. De qua dicitur Eccl. 3. *Quantò major es, humilia te in omnibus.* Et est *humilitas illi*, cui quis se humiliat, debita & condigna, ùt, cùm aliquis se humiliat suo superiori, se respectu illius recognoscens inferiorem; ùt cùm servus se humiliat Domino & Discipulus Magistro. De qua dicitur 1. Petr. 2. *Subjecti estote* A *omni humanæ creaturæ propter DEum; sive Regi tanquam præcellenti; sive Ducibus tanquam ab eo missis.* Et hæc quantò plùs debita, tantò minùs grata: quamvis tamen justa sit & meritoria. Et est *humilitas socialis* & grata, ùt cùm quis humiliat se suo pari & socio. De qua dicitur ad Roman. 12. *Charitatem fraternitatis diligentes, honore invicem prævenientes.*

Distinguitur & aliter humilitas quoad intentionem se humiliantium. Et secundùm hoc est alia humilitas *vera & sincera*, de qua dicitur Eccl. 7. *Humilia spiritum tuum; quoniam vindicta carnis impii, ignis* B *& vermis.* Et est humilitas *falsa & simulata*, de qua dicitur Eccl. 19. *Est, qui nequiter se humiliat: & interiora ejus plena sunt dolo.* Et est humilitas *fatua & nociva*, ùt, cùm quis inutiliter & indebitè & indignè se alicui ex ignavia humiliat. De qua dicitur Eccl. 13. *Attende, ne seductus in stultitiam humilieris; & noli esse humilis in sapientia tua: ne humiliatus in stultitiam seducaris. Sed humiliare DEO, & exspecta manum ejus.*

Notandum ergo; quòd cùm opposita sint circa idem, & superbia & humi- C litas opponantur; sicut superbia est respectu boni, quod quis habet, vel vult sibi ipsi vel aliis videri se habere: sic humilitas est respectu boni, quod quis habet, & non curat, vel non vult sibi ipsi vel aliis videri se habere. Superbis enim quantùm ad hoc apparentiam intendit, quam humilis despicit & fugit, sive existentia sibi subsit, vel non subsit. Quoniam autem, quoties dicitur unum oppositorum, toties & reliquum dici debet vel potest; idcirco quot possunt assignari species superbiæ; tot contingit esse oppositas species humilitatis.

D Species ergo superbiæ sic sumuntur; quia primò & principaliter duplex est superbia, videlicet interior & exterior. Exterior superbia est signum & effectus superbiæ interioris, quæ ostenditur exterius in motu & gestu & habitu corporis, & in verbis & factis ad se ipsum & ad alios: sicut latiùs de talibus habetur in auctoribus & scriptis moralibus. Interior verò superbia consistit in motu & habitu mentis, & hoc dupliciter vel in intellectu vel in affectu.

Si in intellectu consistit, cùm superbia sit habitus & motus inordinatæ mentis circa

circa bonum, quod quis habet vel cupit videri habere; & inordinatus amor sui ipsius sit causa omnis malæ affectionis in mente rationali; qui amor in vitio superbiæ est amor propriæ excellentiæ ultra conveniens & condignum; Excellentia autem consistit in eo, quòd aliquis ita sit superior, quòd alios omnes habeat se inferiores & nullum superiorem: *Prima species* superbiæ est bonum, quod quis habet pro sui excellentia æstimare se non habere ab aliquo superiore, ut à DEO, sed à se ipso. Contra quorum superborum æstimationem dicitur 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quare gloriari, quasi non acceperis?* *Secunda species* superbiæ est bona, quæ quis habet, recognoscere quidem à DEO se habere, sed sibi pro suis meritis collata esse, & non ex Divinæ gratiæ liberalitate. Contra quos dicitur ad Rom. XI. *Si enim ex operibus, jam non ex gratia.* *Tertia species* superbiæ est bonum, quod quis non habet, sibi quasi habeat à se ascribere. Contra quos dicitur in Psalm.
Psal. 26, 12. *Mentita est iniquitas sibi.* Et Isaiæ 5. *Va qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Et Prov. 26. *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit insipiens.* *Quarta species* superbiæ est de bono, quod quis habet, reputare plus omnibus vel pluribus se habere. Contra quos dicitur ad Rom. 14. *Tu quis es, qui judicas servum alienum? suo*
Psal. 100, 5. *Domino stat aut cadit.* Et Psalm. *Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar: Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc non edebam.*

Si verò est superbia interior in affectu, hæc erit duplex. Aut quia bonum, quod non habet, appetit se habere vel videri habere, ut videatur excellere. Et hæc est superbia ambitionis (*Quinta species*) contra quam dicitur Eccl. 18. *Fili, post concupiscentias tuas non eas.* Aut quia bonum, quod non habet, confidit se habere. Et hæc est superbia præsumptionis (*Sexta species*) contra quam dicitur ad Rom. XI. *Noli altum sapere, sed time.*

Et notandum, quòd tam superbus quàm humilis appetunt se bonum habere: sed differunt in fine & in intentione. Quia superbus appetit propter apparentiam & vanitatem, sive habeat vel non habeat; sed humilis propter existentiam & veritatem. Et iterum superbus propter gloriam famæ; humilis propter testimonium conscientiæ juxta illud 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est testimonium Conscientiæ nostræ.*

CAPUT IV. aliàs XVII.

De quatuor speciebus Humilitatis oppositis Supperbiæ.

Ex opposito prædictarum sex specierum superbiæ sumuntur sex species humilitatis in hunc modum. Quia sicut superbus infirmitatem aut indignitatem propriam non recognoscens, omnia bona sua non ascribit nisi propriæ dignitati & excellentiæ juxta illud Psalm. *Linguam nostram magnificabimus; labia nostra à nobis sunt; Quis noster Dominus est?* Ita humilis aut suam infirmitatem aut indignitatem attendens, nihil sibi ipsi, sed totum bonum, quod est, & quod potest, non nisi DEO attribuit juxta illud Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es Domine.* Juxta hæc igitur *prima species* humilitatis est bonum, quod quis habet, non à se ipso sed à DEO recognoscere se habere. Psalm. *Quæ est expectatio mea, nonne Dominus? & substantia mea apud te est.* Et 1. Paral. 29. *Omnis Copia nostra de manu tua est, & tua sunt omnia.* *Secunda species* humilitatis est bonum, quod quis habet, non ex suis meritis, sed ex gratia DEI perpendere se habere juxta illud 1. ad Cor. 15. *Gratia DEI sum, id quod sum.* Psal. 115. Psal. 38. 8.

Tertia species humilitatis est bonum, quod quis non habet, sibi non arrogare: sed bonum quod habet, potiùs vel non jactare, vel pro causa & tempore occultare. Psalm. *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Et 1. ad Cor. 2. *Non judicavi me aliquid scire inter vos.* Psal. 130, 1.

Quarta species humilitatis est nulli se præferre, sed alicui se submittere pro causa & loco & tempore secundùm illud 1. ad Corinth. 15. *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.*

Beata ergo Virgo sui existimatione in se ipsa attendens naturæ humanæ infirmitatem (Ps. *Homo, sicut fœnum dies ejus; tanquam flos agri sic efflorebit*) & personæ humilitatem (2. Reg. 7. *Quæ Domus mea, Domine DEus meus, quia adduxisti me usq; ad huc*) & suorum meritorum improportionalitatem (Job 12. *Quid dignum poterit esse ejus beneficiu*) Gratiæ plenitudinem, qua redundavit, soli DEO attribuit juxta illud Psal. 102. 15.

illud 2. Reg. 7. *Propter verbum tuum Domine DEus meus, & secundùm cor tuum fecisti mihi omnia magnalia hæc*: Et nihil suis meritis, sed totum gratiæ DEI ascripsit juxta illud Gal. 1. *Segregavit me ex utero matris meæ*: Et nihil, quod non habuit, sibi arrogavit: sed totum, quod habuit gratiæ & virtutis, non jactavit, sed potiùs occultavit juxta illud Eccl. XI. *In die honoris tui ne extollaris*: Et ibidem 20. *Homo sapiens tacebit usque ad tempus*. Unde per totum Evangeliorum textum nisi septies legitur fuisse locuta juxta illud Prov. 27. *Sileat os tuum, laudet te os alienum*: Et nulli se prætulit, sed se DEO humiliavit Lucæ 1. *Ecce Ancilla Domini*: Et Angelo, quem reverenter audivit: & hominibus, sicut supra scribit S. Ignatius; Quòd ipsa omnibus *humilitatis Magistra* extiterit, juxta illud, quod dixit Abigail ad servos David 1. Reg. 25. *Ecce famula tua sit in Ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei*.

Et sic patet, quod in quatuor prædictis humilitatis speciebus Beata Virgo excellentis gratiæ & Virtutis super omnes fuerit.

CAPUT V. aliàs XIIX.

Utrum humilitas B. Virginis in summo gradu fuerit.

SEd in contrarium alicui posset videri, quòd humilitas B. Virginis in summo gradu humilitatis non posset poni. Quia, ut dicit Bernardus, non est magnum esse humilem in statu humili & abjecto: sed magna & rara est potiùs humilitas honorata, id est, in honoribus constituta. Sed Beata Virgo fuit in statu humili, quia sponsa & conjunx fabri, ut puta, hominis pauperis & plebei: ergo ejus humilitas non poterat esse summa & in summo gradu.

Ad hoc dicendum est, quòd status humilis vel altus consideratur secundùm duas vias: videlicet vel secundùm bona spiritualia & interiora; quæ sunt virtus & gratia juxta illud Ps. *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*: Vel secundùm bona corporalia & exteriora; quæ sunt bona corporis, ut sanitas, fortitudo, pulchritudo & similia; vel bona fortunæ & quæ ex ea proveniunt, ùt divitiæ, potentia, & dignitates & honores sæculares: quæ bona in sæcularibus, commendantur sæculariter juxta illud Lucæ 16. *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt*.

Psal. 44. 15.

Status igitur hominum secundùm prædicta variantur, & diversificantur in hunc modum. Quia aliquis potest esse in alto statu quantùm ad bona spiritualia & interiora juxta altitudinem habitæ gratiæ & virtutis; & abjectus & despectus esse quantùm ad bona corporalia & exteriora, ut puta, pauper in rebus & ignobilis & invalidus. Secundùm quod David sollicitatus ut fieret gener Regis Saulis, quia erat vir fortis & bellicosus, respondit humiliter: *Nunquid parum*, inquit, *vobis videtur esse generum Regis? ego verò sum vir pauper & tenuis*, ùti legitur 1. Reg. 18.

Vel è contrario aliquis potest esse in alto statu & reputatione quantùm ad bona exteriora; & abjectus & despectus esse quò ad bona interiora, sicut legitur Dominus dixisse de Eliab primogenito Isai, fratre David 1. Reg. 16. *Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus: quoniam abjeci eum; neque secundùm intuitum hominis ego judico. Homo enim videt ea, quæ apparent: DEus autem intuetur cor.* Vel potest esse aliquis in alto statu quoad bona interiora simul & exteriora: sicut videtur fuisse Saul pro illo tempore, ut legitur 1. Reg. 10. Quod altior fuerit universo populo ab humero sursum. Unde Samuel dixit de ipso. *Certè videtis, quem elegerit Dominus: quoniam non est similis ei in omni populo*.

Secundùm prædictam igitur diversitatem statuum interiorum & exteriorum in hominibus, diversificatur in eis vitium superbiæ, & virtus humilitatis, ita quòd aliqui abundantes bonis interioribus, sed deficientes in exterioribus, gerant se humiliter; quod est in illis virtus prudentiæ & discretionis. Quia, ut dicitur Eccl. 25. *Dominus odit pauperem superbum, & divitem mendacem*. Alii verò abundantes bonis exterioribus, sed privati bonis interioribus, gerunt se vanè & superbè juxta illud Job II. *Vir vanus erigitur in superbiam, & sicut pullum onagri, se liberum natum putat*.

Quidam autem deficientes in utrisque, scilicet in bonis interioribus & exterioribus, vel gerunt se humiliter; quod est in illis exigentia indigentiæ & necessitatis. Quia sicut non habent, unde suum paupertas pascat amorem, ita etiam non habent, unde sibi paupertas poscat honorem Vel gerunt se superbè & inaniter; quod est opus stultitiæ & fatuitatis: de quibus dicitur

citur Eccl. 22. *Luctus mortui septem dies; fatui autem & impii, omnes dies vitæ eorum.* Et infra ibidem: *Arenam & salem & massam ferri est ferre faciliùs quàm hominem imprudentem & fatuum & impium.*

Abundantes autem bonis interioribus & exterioribus, simpliciter & semper sunt humiles & humiliter se gerentes. De qualibus dicit Bernardus; quòd in alto positum non alta sapere, sed humilibus consentire, nihil DEO charius, nihil in mundo rarius invenitur. Nec ista differentia habet locum, quòd aliquis abundans bonis interioribus possit esse superbus: quia sic superbus non abundaret bonis interioribus; cùm humilitas sibi deficeret, quæ in bonorum meritorum numero summa est.

Videndum igitur est nunc, in quo gradu prædictarum differentiarum sive diversitatum Beatæ Virginis humilitas rectè valeat collocari.

CAPUT VI. aliàs XIX.

Utrum humilitas stare possit cum nobilitate & potentia & divitiis.

Sciendum; quòd cùm B. Virgo quantùm ad bona interiora, quæ sunt virtus & gratia, hominibus omnibus & Angelis simpliciter in majori & excellentiori statu fuerit, circa statum ipsius quantùm ad bona exteriora perfectio & excellentia potest attendi dupliciter; videlicet vel secundùm vulgarem æstimationem, vel secundùm ipsius rei naturam & veritatem.

Secundùm vulgarem itaque æstimationem solent homines reputari & æstimari Nobiles & divites & potentes, qui sunt de genere divitum & potentum, habentes multas & magnas rerum divitias & dignitates, vel sibi à parentibus dimissas, vel per se adauctas vel acquisitas; sive bene sive malè utantur dignitatibus & divitiis suis.

Secundùm rei verò naturam & veritatem nullus est dives, nisi cui satis est, quod habet. Quia secundùm Senecam ut verè aliquis sit dives, non est rebus attendendum, sed cupiditati plus habendi detrahendum. Nec aliquis est verè potens aliorum vel super alios, nisi qui potentior fuerit sui ipsius juxta illud Prov. 16. *Vir, qui dominatur animo suo, fortior est expugnatore urbium.* Nec verè est aliquis nobilis ex abundantia bonorum exteriorum; quia nobilis est ille, quem nobilitat sua virtus.

Cùm itaque B. Virgo simpliciter secundùm rei naturam & veritatem fuerit no-

A. bilis, tanquam de Regali & Sacerdoti ac Prophetali prosapia nata, & imitatione virtutis suorum progenitorum excellentissimè dotata & ditata & decorata (secundùm quem modum gens hebræorum nobilitatem olim consueverat æstimare) & naturali ac morali & gratuita virtute perfecta: proinde bonis exterioribus plus abundavit, superflua contemnendo quàm cupiendo & habendo, & mediocribus continenter & castè utendo potiùs, quàm immoderatè & illicitè abutendo. Unde cùm virtute mentis ipsa Virgo verè nobilis & dives & potens esset secundùm æsti-
B. mationem veritatis potiùs quàm secundùm reputationem mundanæ vanitatis, proinde ipsius paupertas & impotentia aut infirmitas secundùm exteriorem hominum reputationem non potuit excludere summam ipsius humilitatem: imò ipsam fovebat & augmentabat abundantia bonorum meritorum secundùm istum modum & æstimationem: quoniam etiam de veris virtutibus & bonis interioribus potest aliquis superbus esse, plus reputans se de talibus habere, quàm habeat; aut à se ipso & non à DEO se habere, & ascribere propriæ virtuti & merito, & non Divinæ gratiæ &
C. dono.

Et proinde, cùm verè major sit, qui circa bona exteriora (sive ea habeat vel non habeat;) majori virtute animi utitur, vel rectè habendo & utendo, vel despiciendo & relinquendo (quod fortiori & altiori virtuti attestatur, cùm difficilius sit à delectationibus abstinere quàm ipsis rectè uti) B. Virgo in eo, quòd circa bona exteriora & interiora, vera & perfecta animi virtute super omnes excellentiùs abundavit, cum hoc humiliter se habendo in omnibus & gerendo, pro tanto ejus humilitas in summo gradu super alios omnes fuit.

D.

CAPUT VII. aliàs XX.

Qualiter B. Virginis Humilitas in summo magna fuerit.

Quia igitur de necessitate ipsa B. Virginis humilitas magna, imò maxima fuit, quam DEus in tam magnis imò maximis donis & bonis respexit, sicut ipsa infra dixit: sciendum est, quod ipsa magnitudo humilitatis B. Virginis perpendi potest ex tribus. *Primò* ex ejus, quo remuneratus est, præmii magnitudine. De qua dicit Anselmus, quòd tantam gratiam recepit, quanta pura Creatura DEO faciente capax fieri po-

potuit. Unde super illud: *Quia fecit mihi magna*, dicit Augustinus; quòd eam Deus magnam tantò, quantò ipsa se parvam & humilem, fecerit, & quòd meritò ipsius tam magna in ea & per eam perfecerit. *Secundò* ex gratiarum & virtutum ipsius plenitudine. Unde sciendum; quòd, quia vacuitas est receptiva plenitudinis; quia plenum nihil potest capere; sed solum vacuum est capax repletionis: ergo ubi est major plenitudo, ibi præcessit major vacuitas, quia major capacitas. Humilitas autem est de natura vacuitatis; quia humilis evacuat & exinanit se ipsum juxta illud Philip. 2. *Exinanivit semetipsum*, id est, humiliavit; ergo humilitas est illa vacuitas, quæ receptiva est & capax plenitudinis. Sed B. Virgo *gratia plena* fuit: ergo ad ipsius plenitudinis receptionem seipsam per summam humilitatem exinanivit, quam DEus in tot & tantis donis & bonis collatis respexit; sicut dicitur Isaiæ ultimo: *ad quem respiciam, nisi ad humilem & quietum?* *Tertiò* ex ipsius sui status altitudine. Quia sicut quantò mons est altior, tantò vallis est profundior, & è converso: ita etiam quantò status altior, tantò humilitas profundior. Unde etiam tantò major est humilitas, quantò est in habente statum altiorem. Hieronymus. *Nihil est, quod hominibus ita gratos, & DEO faciat acceptos, quàm ut quis vita merito sit magnus, & humilitate infimus.* Sed B. Virginis status post DEum est altissimus juxta illud Eccl. 24. *Ego in Altissimis habito, & thronus meus in columna nubis.* Ergo humilitas ipsius fuit maxima, quia infima apud semetipsam, & a se ipsa fuit reputata. Unde B. Virgo inter tot gratias & virtutes sibi collatas semper & plus humiliando se, semper se plùs ampliavit & dilatavit, & semper plenitudinis majoris capacem se fecit: & propter hoc meritò gratulatur de respectu suæ humilitatis; per quam in se respectam gratiæ super gratiam, & gratiæ pro gratia capax facta fuit.

CAPUT VIII. alias XXI.

Ingressus expositionis primi versus Magnificat.

MEritò igitur Beata Virgo, suæ humilitatis donum & meritum ac præmium contemplando, & in jubilo sui cordis in vocem & canticum erumpendo, memoriam abundantiæ divinæ suavitatis erga se eructavit dicens: *Magnificat anima mea Dominum* &c.

Quia autem sententiæ pondus est in verbis, videnda est differentia verborum; & quid intersit inter *animam* & *spiritum*, & inter *magnificare* & *exultare*, & inter *Dominum* & *DEum*, ac *salutare*: quia dicit, quòd *anima* sua *Magnificat Dominum*, & quod *spiritus* suus *exultavit* in *DEO salutari* suo; ut secundùm suam aptitudinem & convenientiam singula singulis reddantur.

Sciendum ergo; quòd licèt anima & spiritus in homine dicantur unum in re, differant tamen ratione: quia *anima* dicit totam substantiam ipsius animæ cum omnibus potentiis & viribus suis, in unam ipsius animæ substantiam, tanquam in sui fontis unitatem & plenitudinem, recollectam. *Spiritus* verò dicit superiorem partem rationis, qua Divinis & æternis rationibus & legibus contemplandis intendit & inhæret. *Magnificare* verò aliquid, de quo sermo fit, est in magno magnitudinem perpendere & ostendere & admirari & venerari. Secundùm quod dicit philosophus; quòd laus est sermo elucidans magnitudinem virtutis in aliquo, ut in magno. *Exultare* verò est motu gaudii vel extra se ferri, vel supra se elevari. Propter quod dicit Augustinus in libro de præsentia & templo DEI: quòd motus exultationis non solùm est animæ rationalis, sed etiam animæ sensitivæ non utentis ratione. Propter quod & Joannes in utero Elisabeth motum gaudii ad vocem Mariæ ante sensit, quàm intellexit. Unde *exultare* dicitur, quasi extra se saltare, hoc est, extra vires & metas proprias moveri in exuberatione gaudii. *Dominus* verò propriè est in DEO nomen pietatis illud 1. Reg. 3. *Dominus est: quod bonum est in oculis ejus, faciat.* Et est nomen timoris, juxta illud Malachiæ. *Si ego Dominus, ubi est timor meus? DEus* verò est propriè nomen Divinæ sapientiæ & scientiæ juxta illud ad Rom. XI. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI.* Et est nomen Divinæ bonitatis & charitatis juxta illud Luc. 18. *Nemo bonus, nisi solus DEus.* Et 1. Joan. 4. *DEus charitas est* &c.

Quatuor autem sunt per ordinem, de quibus B. Virgo in suæ contemplationis jubilo Dominum Magnificando, & in DEO exultando gratulatur. *Primò* de respectu suæ humilitatis, cùm dicit: *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ. Secundò* de effectu Divinæ potestatis; de quo

quo subdit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est.* A. *Tertiò* de profectu sanctitatis, cùm addit: *Et sanctum nomen ejus.* *Quartò* de fructu Divinæ bonitatis & charitatis nobis collato in opere & mysterio incarnationis, cùm subjungit: *& misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Quem fructum & profectum deinceps explicat & exponit subjungendo: *Fecit potentiam in brachio suo* usque illuc: *Suscepit Israël puerum suum.*

CAPUT IX. aliàs XXII.
Qualiter anima B. Virginis Dominum Magnificaverit.

Dominum igitur ùt magnum *Majestate* B. juxta illud Habuc. 3. *Operuit cælos gloria ejus, & laudis ejus plena est terra;* Psal. 112. 5. & magnum *dignitate* juxta Psalm. *Quis sicut Dominus DEus noster, qui in altis ha-* Psal. 88. 9. *bitat?* & magnum *potestate*: Psalm. *Potens es Domine & veritas tua in circuitu tuo;* B. Virgo in sua contemplatione *Magnificat*: id est, considerat ut magnum *existen-* Psal. 47. 2. *tem* Ps. *Magnus Dominus & laudabilis ni-* Psal. 70. 18. *mis;* & ut magna *potentem* Ps. *potentiam tuam & justitiam tuam DEus usq; in altissima, quæ fecisti magnalia;* & ùt magna *facientem*. Ps. *Quàm magnificata sunt opera* C. *tua Domine, omnia in sapientia fecisti:* & Baruch ultimo: *Quam magna est Domus Domini, & ingens locus possessionis ejus magnus & excelsus & non habens consummationem.*

Anima igitur B. Virginis, id est, omnis & tota virtus animæ ipsius in sua jubilatione & contemplatione in unum recollecta *Magnificat Dominum*: id est, ut magnum considerat admirando, amando & venerando juxta illud Esther 15. *Conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua ple-* D. *na est gratiarum.* Quia magnitudo Divinæ *essentiæ* excedit omnem sensum & ima- Psal. 138. 8. ginationem juxta Ps. *Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero ad infernum, ades.* Job XI. *Excelsior cælo est & profundior inferno* Magnitudo vero *potentiæ* excedit Psal. 76. 15. omnem intellectum & rationem. Ps. *Quis DEus magnus, sicut DEus noster? tu es DEus, qui facies mirabilia.* Magnitudo autem *efficientiæ* excedit omnem virtutem & æstimationem Isaiæ 41. *Levate in excelsum oculos vestros, & videte, quis creavit* Psal. 91. 6. *hæc.* Et Ps. *Quàm magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ sunt cogitationes tuæ.*

Magnum igitur Dominum, ut magnum in se existentem, ùt magna potentem, & ùt magna facientem & perficientem in operibus creationis potuit anima B. Virginis magnificare; id est, magnum considerare; & considerando admirari, amare & venerari: quia sic consideratus est utique *magnus Dominus & laudabilis nimis.* Sed Psal. 47. 2. multò eminentiùs & dulciùs & delectabiliùs, propriè & specialiter in hoc Cantico *Magnificat*, id est, magnum considerat & collaudat Dominum, ùt magnum se parvificantem, & in illa sua parvitate, magna imò maxima facientem & patientem, & efficientem & perficientem, quantùm ad Divinam sapientiam & justitiam & gratiam ac misericordiam ostensam in operibus humanæ reparationis & recreationis, in quibus & ex quibus consideratus ille magnus Dominus & laudabilis nimis, factus est nobis, in nobis, & pro nobis parvus Dominus & amabilis nimis. Pro qua parvitate de se assumptæ humanitatis propriè, & specialiter hic, exultavit spiritus ejus in DEO salutari suo; sicut ipsa Beata Virgo infra per istam parvitatem gratulatur magnificatam suam esse humilitatem, cùm dicit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, scilicet in eo, quia *fecit* sibi *magna, qui potens est.*

CAPUT X. aliàs XXIII.
Qualiter spiritus B. Virginis exultaverit in DEO.

Subjungit ergo ad animæ suæ magnificationem, qua ipsa Dominum magnificavit, etiam sui spiritus exultationem, qua in DEO suo salutari præcordialiter exultavit, dicens: *Et exultavit spiritus meus in DEO salutari meo.*

Spiritus igitur B. Virginis, id est, superior pars rationis (quâ sancta ipsius anima Divinis & æternis rationibus intendebat & inhærebat circa considerationem & contemplationem operum humanæ reparationis, & quæ non sine ipsa, imo cum ipsa & ex ipsa fuerunt Divinâ magnificentiâ præparata & patrata & perfecta ac consummata) meritò exultavit in DEO salutari suo in ipsis, & ex ipsis operibus salutem exhibente & conferente toti mundo.

Spiritus igitur ille B. Virginis in consideratione bonitatis & charitatis ac suavitatis Divinæ, exhibitæ & ostensæ sibi & toti humano generi in operibus humanæ repa-

reparationis *exultavit*; id eſt, extra ſe & A. ſupra ſe ſaltavit in ſaltu contemplationis: Ubi conatu naturæ, & elevatione gratiæ, & condeſcenſione & approximatione illuminationis divinæ, ipſius ſibi ratio extra ſe cedens elevata fuit in admirationem, & admiratio in contemplationem, & contemplatio in jubilationem de magnitudine *Divinæ ſapientiæ* quantùm ad prædeſtinationis conſilium, de quo dicitur Iſaiæ 19. *Conſilium tuum antiquum verum fiat*: & de magnitudine *Divinæ juſtitiæ* quantùm ad

Pſal. 118. 40. æquitatis judicium. De quo dicit Pſ. *In æquitate tua vivifica me*; & de magnitudine *Divinæ miſericordiæ* quantùm ad ſalutis & Salvatoris beneficium. Quod, ſicut dicit Apoſtolus 1. ad Tim. 3. ut magnæ pietatis ſacramentum *manifeſtatum eſt in carne*, id eſt, in verbi incarnatione.

Super horum igitur magnitudine & multitudine ac pulchritudine in eorum numero & pondere ac menſura, & modo & ſpecie ac ordine (quo per ſapientiam & ſcientiam DEI ſolam *fortiter* quantùm ad potentiam, & *ſuaviter* quantùm ad miſericordiam omnia ſunt diſpoſita & præparata ac patrata *uſque ad finem* & effectum ſalvationis humanæ, ipſa Virgine mediante) meritò exultavit ſpiritus ejus in DEO ſalutari ſuo juxta illud Judith. 13. *Laudate Dominum DEum noſtrum, qui non deſeruit ſperantes in ſe, & in me ancilla ſua adimplevit miſericordiam, quam promiſit Domui Iſraël.*

CAPUT XI. aliàs XXIV.

De Diſtinctione hujus nominis: Salutare.

HOc verò Nomen, *Salutare*, hìc & in pluribus locis ſacræ ſcripturæ tenetur ſubſtantivè, non adjectivè; & exprimit propriè & ſpecialiter nomen & perſonam Chriſti. Quia Chriſtus eſt nomen perſonæ verbi, ut incarnati; & executoris officii & beneficii incarnationis; quod eſt humana ſalvatio. De quo nomine dicitur Act. 4. quòd *non eſt aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

Chriſtus igitur dicitur Salutare ſubſtantivè, non adjectivè: quia ex ipſo & per ipſum & in ipſo eſt tota ſubſtantia ſalutis

Pſal. 38. 8. noſtræ. Pſalm. *Et ſubſtantia mea apud te eſt.* Quia humanæ ſalvationis & ſalutis originalis emanatio, & fontalis plenitudo, ac univerſalis derivatio & diffuſio de ipſius latere in cruce, quaſi de puteo divinæ largitatis, & de profundo ſummæ pietatis, & abyſſo æternæ charitatis in totam cœli & terræ latitudinem effluxit, profluxit, & influxit. Unde miſericordiâ Domini plena facta eſt terra; & miſericordia Domini exaltata eſt ſuper cœlos: & miſerationes Domini magnificatæ ſunt ſuper omnia opera ejus. Pſ. *Videbunt omnes fines terræ* Pſal. 97. 3. *ſalutare DEI noſtri.* Et: *Veniat ſuper me* Pſal. 118. 41. *miſericordia tua Domine, ſalutare tuum ſecundùm eloquium tuum.* Et: *Expectabo ſa-* Ibid. 166. *lutare tuum Domine.* Et: *Concupivi ſalutare tuum Domine.* Ibid. 174. Lucæ 2. *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*, id eſt, Chriſtum: quod ſalutare *paraſti ante faciem omnium populorum* &c.

In hoc ergo Salutari exultavit Spiritus Mariæ, gratulando in ſe ipſum allatum & oblatum & collatum eſſe mundo, ſuæ humilitatis virtute & merito ac reſpectu. Unde ſubjungit: *quia reſpexit humilitatem*; & quæ gratia & gratiæ efficacia & abundantia ſecuta ſit illum divinum reſpectum, declarat dicens: *Ecce enim ex hoc* ſcilicet reſpectu, *Beatam me dicent omnes generationes*: & ideo beatam dicent; *quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Cujus videlicet *nomen* eſt *ſanctum*, & cujus *miſericordia* C. *eſt à progenie in progenies timentibus eum.*

CAPUT XII. aliàs XXV.

Qualiter Dominus reſpexerit humilitatem B. Virginis.

DIcit ergo valde conſequenter ad prædicta reddens cauſam divinæ magnificationis & ſuæ exultationis; *quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Nota quòd reſpectus DEI & ejus effectus ſuper eos, quos reſpicit, ſit multiplex. Eſt enim reſpectus Divinæ *providentiæ* ad gubernandum. Pſ. *De cœlo reſpexit Dominus, vidit omnes filios* Pſal. 32. 13. *hominum.* Et: *Quis ſicut DEus noſter, qui in altis habitat & humilia reſpicit?* Eſt etiam Pſal. 112. 5. D. reſpectus *complacentiæ* ad acceptandum, Gen. 3. *Reſpexit DEus in Abel & ad munera ejus: quia ei complacuerunt, & acceptavit ea.* Eſt quoque reſpectus *vindictæ* ad vindicandum Exod. 14. *Factum eſt in vigilia matutina; & reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum, ſubvertit rotas curruum, ferebantur Ægyptii in profundum.* Eſt etiam reſpectus *miſericordiæ* ad miſerendum Pſ. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt.* Pſal. 10. 9. Eſt quoque reſpectus *veniæ* ad indulgendum Luc. 22. *Converſus Dominus reſpexit Petrum; & egreſſus Petrus foras, flevit amare.* Eſt etiam reſpectus *gratiæ* ad gratiam dan-

dandum & datam augendum. Sap. 4. *Gratia DEI & misericordia ejus est in sanctos, & respectus in electos illius.*

Potest ergo dici, quòd iste respectus Dei in humilitatem B. Virginis fuit respectus divinæ providentiæ ad nostræ salutis opus
Psal. 89. 16. inchoandum Ps. *Respice Domine in servos tuos & in opera tua.* Et *Respexit in oratio-*
Psal. 101. 18 *nem humilium, & non sprevit preces eorum.* Est etiam respectus divinæ gratiæ ad gratiam super gratiam Virgini cumulandam. Isa. ult. *Ad quem respiciam, nisi ad humilem & contritum spiritu?* 1. Petr. 5. *Superbis DEus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et est respectus divinæ complacentiæ ad ipsam Virginem spiritualiter & corporaliter inhabitandum. Isa. 62. *Complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur*, id est, corpus tuum & caro tua. Unde sequitur: *Habitabit enim juvenis cum Virgine*, id est, Christus in Virgine Matre per carnem de ipsa assumptam, & cum Virgine per gratiam Virgini infusam. Eccl. 24. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.*

Respexit igitur *humilitatem ancillæ suæ.* *Ancilla* nomen accipitur tribus modis. Est enim aliquando *nomen servilis conditionis*; & secundùm hoc privat libertate. ad Gal. 4. *Abraham habuit duos filios, unum de libera, & unum de Ancilla.* Aliquando verò est *nomen officii*; & secundùm hoc indicat obsequiosam virtutem: quæ ancilla propriè vocatur famula à famulando. Esth. 15. *Assumpsit Esther duas famulas; super quarum una innitebatur, altera autem sequebatur Dominam.* Aliquando autem est *nomen voluntarii obsequii*, & secundùm hoc insinuat gratuitam humilitatem. 1. Reg. 15. *Dixit Abigail ad servos David, petentes eam ipsi David in uxorem: ecce inquit famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei.*

Beata itaque Virgo vocat se *ancillam Domini*, non pro servili conditione (nisi ista servitus intelligatur servitus justitiæ, de qua dicitur ad Rom. 6. *Liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ.* Quæ servitus est regnum gratiæ; quia servire Deo, est regnare) sed vocat se ancillam Domini quoad obsequiosam servitutem intellectus in credendo, juxta illud Lucæ 1. *Et Beata, quæ credidisti*: & quoad officiosam promptitudinem affectus in obediendo; Judith 12. *Omne quod erit ante oculos Domini mei bonum & optimum, hoc faciam*:

A. Et quoad operosam humilitatem consensus, corpus suum & animam ad ministerium & obsequium verbi de se incarnandi, Divinæ dispositioni & voluntati exhibendo. Lucæ 1. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.*

CAPUT XIII. aliàs XXVI.

De singulari Beatitudine Virginis Gloriosæ.

DEinde cùm subjungit in genere: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes*: illud, quod dicitur *Ecce enim ex hoc*, intelligendum est causativè; id est, propter hoc. Et potest referri vel
B. ad præcedentia, ut sit sensus: Quia magnificat anima mea Dominum, recognoscendo in me & ex me facientem: & exultavit spiritus meus in DEO salutari meo, illa magna ad salutem omnium intendentem & dirigentem, ut non solùm sint magna quantùm ad justitiam & potentiam
(Psalm. *Potentiam tuam & justitiam tuam* Psal. 17. 18.
DEus usque in altissimu, quæ fecisti magnalia) sed etiam magna quantùm ad gratiam & misericordiam Domini moventem
& inducentem. Ps. *Magnificentiam gloriæ* Psal. 144. 5.
sanctitatis tuæ loquentur. Quam poten-
C. tiam suæ Divinitatis in hominis liberatione ostendere voluit & implere per obsequium humilitatis meæ: quia ad hoc, inquam, respexit & elegit humilitatem ancillæ suæ; ecce ex hoc, videlicet merito humilitatis, beatam me dicent omnes generationes præmio dignitatis & gaudio jucunditatis.

Vel potest referri ad sequentia, ut sit sensus. Ex hoc beatam me dicent omnes generationes; *quia fecit mihi magna, qui potens est* &c. ut hoc, quod subdit: *Quia fecit mihi magna* &c. sit quasi specificatio & declaratio & causæ redditio, quare e-
D. jus anima Dominum magnificaverit; videlicet ideo, quia magna sibi fecit & in ea & ex ea, uti infra dicetur.

Quia uterque sensus est sibi invicem consequens & continuus, sicut effectus & profectus, narratio & causæ assignatio: *Beatam me dicent*; videlicet *primò* omnis & perfectæ beatitudinis totali adeptione, quam in se concepto & ex se orto ipso fonte beatitudinis est adepta. *Ex gratiæ repletione*, quam ei Angelus annuntiavit dicens: *Ave gratia plena*: & ex *DEI inhabitatione*, cùm Angelus dixit: *DOMINUS tecum*

& ex

A. & *ex singulari, & excellenti benedictione*, cùm addidit: *Benedicta tu in mulieribus.* Hanc Beatitudinem in ipsa commendavit Elisabeth dicens: *& Beata, quæ credidisti.* *Secundò* fontis ipsius beatitudinis corporali productione, quam mundo tanquam vena viva & vera pariendo produxit. Gen. 2. *Fons egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandam totam terram.* Hæc beatitudo commendatur in ea Lucæ XI. *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti.* *Tertiò* ipsius fontis beatitudinis generali diffusione & derivatione Jo. 7. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Et Isa. 56. B. *Omnes sitientes venite ad aquas*, scilicet gratiæ productas de Maria Virgine ab ipso & cum ipso fonte omnis gratiæ: qui in humilitate assumptæ humanitatis abluit sordes nostræ culpæ, & extinxit in nobis sitim omnis indigentiæ, & sanavit infirmitatem miseriæ, & satiavit nos delitiis gloriæ juxta illud Ps. *Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ.* Hæc Beatitudo ipsius Virginis significatur, & commendatur, ubi dicitur Esther XI. *Quòd fons parvus crevit in fluvium maximum, & in aquas plurimas redundavit; & lux & sol ortus est, & humiles exaltati sunt, & devoraverunt inclytos* C. *terræ.*

Hæ sunt illa sex magnalia & magnifica, quæ fecit Dominus sua potentia & misericordia cum ipsa & in ipsa & ex ipsa Virgine Beata, de quibus Dominum magnificavit in suo jubilo dicens: *Magnificat anima mea Dominum* &c. In verbis enim istis insinuatur in fonte beatitudinis scilicet Christo de Matre Virgine nascente *primò* humanæ naturæ humiliatio, ubi dicitur:
Ps. 118. 107. *Fons parvus.* Ps. *Humiliatus sum usquequaque.* *Secundò* personæ Christi exaltatio, ibi: *crevit in fluvium maximum.* Ad Philip. 3. *Propter quod & DEus exaltavit illum.* D.
Esth. 11. 10. Et Ps. *exaltata est usque ad cælos misericordia tua.* *Tertiò* gratiarum multiplicatio & distributio, ibi: *& in aquas plurimas redundavit.* Ad Ephes. 4. *Unicuique nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* *Quartò* Humanitatis & Deitatis ipsius Christi manifestatio, ibi: *& lux*
Psal. 96. 11. *& sol ortus est.* Ps. *lux orta est justis & rectis corde lætitia.* Malach. 3. *Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ.* *Quintò* fi-
Esth. 11. 11. delium exaltatio & salvatio, ibi: *Et humi-*
Psal. 33. 19. *les exaltati sunt.* Ps. *& humiles spiritu salvavit.* *Sextò* infidelium dejectio & damnatio, ibi: *& devoraverunt inclytos terræ*, id est, superbos, qui sibi inclyti videbantur. Thren. 3. *Filii Sion inclyti & amicti auro primo, quomodo reputati sunt, ùt vasa testea?*

Prædicta sex constituentia & integrantia beatitudinem ipsius Virginis (quibus in ipso & per ipsum fontem beatitudinis, Christum videlicet de se ortum, est beatificata) ipsa Beata Virgo in Hymno isto & jubilo sui cordis recognoscit & exprimit, licèt sub alio ordine verborum, eodem tamen sensu mysteriorum. *Primò* enim in gratiatum actione recognoscit & insinuat meritum suæ humiliationis, cùm dicit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* *Secundò* præmium suæ exaltationis, cùm dicit: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent.* *Tertiò* gaudium multiplicationis gratiarum & præceptionis earum, cùm dicit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est.* *Quartò* judicium dejectionis & damnationis superborum & infidelium, cùm dicit: *Fecit potentiam in brachio suo; dispersit superbos mente cordis sui; Deposuit potentes de sede; & divites dimisit inanes.* *Quintò* beneficium exaltationis & salvationis humilium & fidelium; cùm dicit: *Et exaltavit humiles; & esurientes implevit bonis.* *Sextò* mysterium incarnationis Christi, & adimpletæ Divinæ promissionis; cùm dicit: *Suscepit Israël puerum suum* &c.

Ex prædictis itaque omnibus in ea, & ex ea, & cum ea taliter adimpletis circa manifestatam Divinam potentiam & Sapientiam ac justitiam in Christi incarnatione, & circa collatam sibi gratiam in ipsius Christi conceptione & generatione; & circa perceptam Christi misericordiam in humani generis salvatione & in Divinæ promissionis adimpletione, rectè recognoscit & trahit totam causam Beatificationis & beatitudinis suæ & congratulationis totius creaturæ dicens: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.*

Circa hoc ergo, quòd dicit: *Omnes generationes*, notandum, quòd in Scriptura Sacra aliquando nominatur generatio singulariter. Luc. XI. *Generatio hæc generatio nequam est.* Aliquando pluraliter. Gen. 2. *Istæ sunt generationes cæli & terræ.* Aliquando Universaliter, ut hìc: *Beatam me dicent omnes generationes.* Aliquando cum re-
duplicatione; Psalm. *Generatio & gene-* Psal. 144. 4.
ratio laudabit opera tua. Et Psalm. *In* Psal. 118. 90
gene-

generationem & generationem veritas tua.

Quod ergo dicitur hic *Omnes generationes*, videtur dici collectivè & universaliter, ut extendatur ad omnem diversitatem generationum. Unde cùm generatio sit ductio sive productio in esse (quia finis & terminus generationis est esse; & ad hoc & in hoc generantur generata, ut per generationem sint & existant) sicut triplex est esse, videlicet esse naturæ, & esse gratiæ & esse gloriæ: ita potest distingui triplex generatio, videlicet *prima* in esse naturæ, quæ est per creationem; de qua dicitur Gen. 2. *Istæ sunt generationes cæli & terræ.* *Secunda* in esse gratiæ, quæ est B per justificationem; de qua dicitur Jac. 1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis suæ, ut simus initium aliquod Creaturæ ejus.* *Tertia* in esse gloriæ, quæ est per glorificationem, quæ dicitur propriè regeneratio, sive secunda vel iterata generatio, cùm post corruptionem per mortem corruptibile hoc induerit incorruptionem. Matth. 19. *In regeneratione cùm sederit filius hominis in sede Majestatis suæ.*

Respectu verò status culpæ & pœnæ æternæ non potest propriè dici generatio, cùm per illos status non tendatur, nec pro- C ducatur ad esse; sed potius ad non esse.

Omnes igitur *generationes*, id est, omnia ducta in esse naturæ, gratiæ & gloriæ, hic possunt intelligi *primò* cœtus Angelorum, qui per Divinam potentiam sunt conditi in natura, confirmati in gratia, & beneficiati in gloria; ut sint effecti filii DEI per glorificationem Job. 1. *Factum est quadam die, ut assisterent filii DEI coram Domino.* *Secundò* populus salvandorum; qui per divinam misericordiam sunt conditi, per baptismum insuper & regenerati, & per gratiam renovati, & ad gloriam prædestinati, ut sint filii DEI effecti per gratificatio- D nem. Joan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri.* *Tertiò* universitas creaturarum, quæ per benedictum ventris Virginalis fructum liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum DEI, ut dicitur ad Rom. 8.

Omnes igitur *generationes*; id est, Angeli in cœlis, homines fideles & devoti in terris, & ipsa creatura liberanda per Christum à servitute corruptionis, clamant & dicunt eam meritò Beatam, per quam & ex qua, ut dicit Bernardus, *accepit pecca-* A *tor veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, filius DEI humanæ carnis substantiam, & tota trinitas gloriam, Angelorum ruinæ restaurationem, cœlestis numerus adimpletionem, & corporalis mundus renovationem.*

Secundùm Glossam *omnes generationes* intelliguntur prophetæ & patres veteris testamenti, quia in mysterio & figura Beatæ Virgini & ipsius conceptioni & partui alludebant in spe & gaudio de futuro: & Evangelistæ & Apostoli & eorum successores sibi congratulabantur de præsenti & præterito in fide incarnationis, & factæ per ipsam humanæ reparationis. Ps. *In generationem & generationem veritas tua*; Psal. 118. 90 Videlicet, quia veritas promissionis de Christo permansit in generatione Patrum per fidem firma & rata; & in generatione Apostolorum & successorum ipsorum per exhibitionem demonstrata & declarata. Quia, ut dicit Ps. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*; Psal. 44. 17 videlicet pro patribus veteris testamenti Christum annuntiantibus & exspectantibus de futuro nati sunt ex ejusdem fidei patrum semine filii, scilicet Apostoli Christum suscipientes & habentes in præsenti. Lucæ 10. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.*

CAPUT XIV. aliàs XXVII.

Quæ magna fecerit Dominus cum Beata & in Beata Virgine.

Quia fecit mihi magna, qui potens est. Postquam B. Virgo in suæ mentis jubilo in gratiarum actionem recogitavit gratiosum respectum suæ humilitatis, nunc ordine consequenti ex illo respectu recognoscit in se fructuosum effectum Divinæ potestatis, subjungens: *Quia fecit mihi magna, qui potens est.* Et est sensus: DEus, qui potens est; quia posse æqualiter consequitur ad esse: Unde qui simpliciter est, etiam potens est simpliciter: DEus autem est simpliciter sine determinatione & coarctatione ad aliquod determinatum genus entis secundùm aliquem determinatum & restrictum modum essendi juxta illud Exod. 3. *Qui est, misit me ad vos*: ergo & potens est simpliciter potentia non coarctata neque limitata ad aliquem determinatum actum & effectum: sed simpliciter & universaliter omnia potest. Eccl. 8. *Sermo illius plenus est potestate.* Ille, inquam, taliter *potens* omnia, *fecit mihi magna.*

DEus enim Pater fecit opus incarnatio-

nis

nis filium mittendo tanquam Auctor ope-A ris. Isa. 6. *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Et Filius: *ecce ego, mitte me.* Ad Galat. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit DEus Filium suum.* Spiritus S. vero effecit ipsum opus tanquam causa efficiens & prosecutor operationis. Luc. 1 *Spiritus S. superveniet in te.* Filius verò perfecit ipsum opus carnem induendo tanquam executor & minister perfectionis operis & operationis. Lucæ 1. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius DEI.*

Ille itaque *potens* omnia DEus *fecit mihi magna*: mihi scilicet & in me & ex me B. mihi, inquam, tanquam sibi ad hoc electæ & complacenti. Cantic. 6. *Una est columba mea, formosa mea, electa Matris suæ, dilecta genitricis suæ.* Mihi, inquam, fragili

Pf. 102. 14. in natura pro sexu muliebri; Ps. *Ipse cognovit figmentum nostrum:* & Humili in persona, quia sponsæ fabri Matth. 13. *Nonne hic est fabri Filius & Mater ejus dicitur Maria?* & insufficienti in merito & gratia, re-

Psalm. 8. 5. spectu digni & condigni. Ps. *Quid est homo quòd memor es ejus, aut Filius Hominis, quoniam visitas eum?* Fecit magna in me tanquam in domo & habitatione sibi ele-

Psal. 25. 8. cta. Ps. *Dilexi decorem domus tuæ & locum C. habitationis gloriæ tuæ*: Et ex me, id est, ex mea carne & sanguine tanquam ex materia pura & perfecta fecit, effecit & perfecit magna. Ezech. 43. *Majestas Domini ingressa est in templum, & repleta est gloriâ Domus Domini.*

Fecit ergo DEus B. Virgini magna, *primò*, inquam, *magna potestate* quantùm ad virtutem operantis, in qua relucet summa potentia, & hoc tripliciter. *Primò* quia conjunxit in ea summè distantia, scilicet Deitatem & humanitatem in unam Christi personam, per quam DEus factus est homo juxta illud: *Sicut anima rationalis & D. caro unus est homo, ita DEus & homo unus est Christus. Secundo* quia genitus ab æterno, est in tempore natus ex ea; generatione nova in eo, quòd in ipsa & ex ipsa filius Dei factus est filius hominis, in humana natura manens una & eadem persona. Luc. 1 *Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus JEsum*: ergo JEsus Christus est filius hominis. Et sequitur: *Hic erit Magnus & Filius Altissimi vocabitur*; ergo JEsus Christus est filius DEI, ipse idem & unus. *Tertio* quia conjunxit in una & eadem persona Virginis summè

disparia & contraria, ut eadem esset Mater & Virgo: Mater scilicet fœcunditate sibi collata; & Virgo integritate servata; ut consequenter ejus conceptus esset sine pudore corruptionis, & portatio sine fatigatione laboris, & partus sine dolore parturitionis. Exod. 3. *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare rubus ardeat & non comburatur.* Et Isa. ult. *Antequam adveniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquam tale? & quis vidit huic simile?* Unde Bernardus super Cantica Serm. 17. *Duo privilegiata miracula considerantur in Christo & Maria: quia in Maria concepit & peperit Virginitas; in Christo vero unita est Deitati humanitas.*

Secundo fecit ei *magna novitate* & hoc quantùm ad modum operationis, in quo resultat summa sapientia: & hoc tripliciter. *Primo* materiam Dominici corporis separando à Virgine sine omni culpa & corruptione. Daniel. 2. *Abscissus est lapis de monte sine manibus*; id est, materia Corporis Christi de Virgine sine humanis seminibus. *Secundo* materiam ipsam in corpus Dominicum subitò formando supernaturali operatione. Jerem. 31. *Novum faciet Dominus in terra; fœmina circumdabit virum*, scilicet perfectione, non magnitudine corporis virilis. *Tertio* Deitatem & humanitatem in Christo adunando ad personalem unionem sine naturarum confusione vel conversione Gen. 18. *Accelera, misce tria sata farinæ.*

Tertio fecit ei *magna utilitate* quoad causam ipsius operis scilicet incarnationis: in quo refulget summa misericordia, & hoc tripliciter. *Primo* misericordia summæ dignationis, quia sine detrimento Majestatis occultavit dignitatem; & dignationem Divinitas manifestavit in eo, quòd, cùm Verbum caro factum est assumpsit Deitas humanitatem, æternitas temporalitatem, immortalitas mortalitatem. Jerem 14. *Quare quasi colonus futurus es in terra & quasi viator declinans ad manendum? quare futurus es velut vir vagus; ut fortis, qui non potest salvare. Secundo* misericordia divinæ dilectionis; quia quantùm ad affectum causantem effectum dilectio divina & causa miserationis & misericordiæ ipsius. Isa. 63. *In dilectione sua & in indulgentia sua ipse redemit eos, & levavit cunctis diebus sæculi.* Et Oseæ 14. *Diligam eas spontanee, quia aversus est furor*

meus ab eis. *Tertio* misericordia humanæ salvationis; quia ex nulla justitia, sed ex sola misericordia sunt salvati electi: cùm essent omnes in primo homine condemnati. Psalm. *Salvum me fac in misericordia tua Domine.*

Unde etiam B. Virgo omnia ista magna, quæ fecit omnipotens cum ea & in ea & ex ea circa sui electionem in DEI Matrem, & circa Verbi incarnationem, & circa humani generis redemptionem, attribuit divinæ misericordiæ, dicens: *Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Et in fine: *Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Ut ita meritò in ipso opere incarnationis quantùm ad virtutem operationis commendet
Psalm. 8. 2. B. Virgo ipsius operis magnificentiam. Ps. *Exultata est magnificentia tua super cœlos*:
Et quantùm ad modum operationis insi-
Psal. 16. 7. nuet ipsius operis mirificentiam. Ps. *Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis spe-*
Psalm. 4. 4. *rantes in te*: Et Ps. *Scitote, quia mirificavit Dominus sanctum suum*, scilicet Christum incarnatum: & quantùm ad causam & utilitatem operis laudet ipsius operis beneficentiam: Ps. *Benignè fac in voluntate tua Domine.* Et Ps. *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.*

Et sanctum nomen ejus. Sensus & continuatio litteræ secundùm sensum talis est. Qui potens est, & cujus nomen sanctum est; & cujus misericordia à progenie in progenies timentibus eum; fecit mihi magna ista; ita videlicet, ut B. Virgo mysterium incarnationis factum & perfectum cum ipsa & in ipsa & ex ipsa non solùm commendet & extollat quantùm ad operantis potestatem dicens: *Quia fecit mihi magna, qui potens est*, sed etiam quantùm ad operis sanctitatem & suavitatem, cùm addit: *& sanctum nomen ejus*; & quantùm ad causæ & finis bonitatem & utilitatem, cùm subjungit: *& misericordia ejus à progenie in progenies.* Et propter hoc dicit Glossa super Lucam, quòd istud canticum juxta prædicta tria, de quibus gratulatur Beata Virgo, habeat tres partitiones.

Notandum ergo circa hoc quod dicit: *Et sanctum nomen ejus*, quid sit sanctitas propriè loquendo. Sanctitas, ut dicit Dionysius de Divinis Nominibus cap. 12. est ab omni immunditia libera & perfecta & immaculata munditia. Ad cujus descriptionis intelligentiam videndum est, quid

A. sit munditia. Munditia est puritas omnem excludens immunditiam & abhorrens. Sicut autem est duplex immunditia generaliter distinguendo scilicet corporis & animæ: ita est & duplex munditia videlicet corporis & animæ. Immunditia igitur corporis consistit in eis, quæ corpus vitiant & deturpant, ita ut alienus sensus ea ad videndum abhorreat & tractandum; quæ sunt duo scilicet vitium corporis, & macula vel defectus membrorum. Immunditia animæ consistit in eis, quæ ipsam vitiant & deturpant quantùm ad intellectum: & sunt duo scilicet error & ignorantia; vel quan-
B. tùm ad effectum; & sunt duo, scilicet concupiscentia in virtute concupiscibili, & malitia in virtute irascibili.

Munditia verò corporis est carere macula & vitio vel defectu in membris. Munditia verò animæ est esse purgatam in affectu à concupiscentia & malitia, & illuminatam in intellectu ab errore & ignorantia, ut affectu velit & desideret bonum non repugnante concupiscentia vel malitia; & intellectu videat & intelligat verum, non obscurante nec obstante errore vel ignorantia. Quia, ut in summa dicatur, turpitudo vel fœditas animæ, opposita mun-
C. ditiæ ipsius consistit in duobus videlicet in sapientia & virtute. Unde rectè dicit Glossa super illud Matth. 5. *Beati mundo corde*; quòd *mundi corde sunt, quos non arguit conscientia peccatorum.* Et hoc verum est quantùm ad munditiam affectus à concupiscentia & malitia; & quantùm ad munditiam intellectus per fidem & cognitio- DEI ab errore & ignorantia. Quia ad videndum DEum requiruntur isti duo oculi; videlicet oculus affectûs, quem oportet esse purgatum à sordibus; & oculus intellectûs, quem oportet esse illuminatum ab erroribus.

D. Munditia igitur, quæ est sanctitas secundùm Dionysium, nihil aliud videtur importare in sua significatione principali, quàm puritatem ab impuritate elongatam & separatam, sicut est in sanctis Angelis & animabus beatificatis: vel puritatem simpliciter ex se ipsa, nulla impuritate permixtam, qualis est in solo DEO. Et hæc puritas sive munditia est illa sanctitas, secundùm quam ipse DEus dicitur *Sanctus Sanctorum*, ùt dicit Dionysius de Divinis Nominibus cap. 12.

Nomen autem illud, de quo hic dicitur, *& san-*

& sanctum nomen ejus; non est aliud, nisi hoc nomen *Dominus*. Isa. 43. *Ego Dominus, hoc est nomen meum.* De quo B. Virgo præmisit incipiendo : *Magnificat anima mea Dominum.* Et hoc nomen, *DEus*, de quo subjunxit, & *exultavit spiritus meus in DEO.* Et hoc nomen, *Salutare*; in quo conclusit dicens: *salutari meo.* Hæc autem tria nomina, *Dominus, DEus, Salutare*, licèt sint diversa quoad vocem & modum significandi, sunt tamen unum nomen quo ad ipsum significatum. Et propter hoc rectè dixit : *& sanctum nomen ejus* : & non dixit: *& sancta nomina ejus.* Sicut etiam Ecclesia dicit : *In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti* ; & non in nominibus. Unicuique autem illorum nominum, & omnibus simul rectè attribuitur sanctitas, ut dicatur, *Sanctus Dominus, Sanctus DEus, Sanctum salutare.*

Unde sciendũ, quod secundùm prædictã diffinitionem Dionysii, qui dicit quòd sanctitas est ab omni immunditia sive impuritate libera & perfecta & inmaculatã munditia: tres sint conditiones sanctitatis. Quarum *prima* est nullius servitutis subjectio : quæ innuitur in eo, quod dicit, *libera*. Verè enim sanctus est verè liber nulli subjectus. 2. Cor. 3. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*: quòd præcipuè convenit DEO sive Divino dominio. Libertas autem est esse sui juris & suæ voluntatis, quòd summè est ipse DEus. 1. Reg. 3. *Dominus est; quod bonum est in oculis ejus, faciat*: quia secundùm philosophum libertas est vivere ad se ipsum, non ad alium. *Secunda* est universalis dominatio, quæ insinuatur in eo, quod dicitur; *perfecta*. Verè enim sanctus perfectè dominatur sibi ipsi & omnibus suis motibus & affectionibus, & per consequens aliis omnibus. Seneca: *Si vis omnibus aliis imperare, primò impera tibi ipsi.* Prov. 16. *Vir, qui dominatur animo suo, melior est expugnatore urbium.* Universalis autem dominatio summè convenit divino dominio : à cujus dominatione ni-
Psal. 23. 1. hil excipitur in mundo. Ps. *Domini est terra & plenitudo ejus.* Esth. 13. *Dominus universorum tu es.* *Tertia* est irreprehen-
Psal. 44. 7. sibilis regiminis directio. Ps. *Virga directionis Virga regni tui*: quæ directio insinuatur in eo, quod dicitur; *immaculata*. Hoc enim pertinet ad sanctos irreprehensibiliter & sine macula regere subjectos. 1. Thess. 2. *Vos testes estis & DEus, quàm sancte*

A. *& justè & sine querela vobiscum fuimus.* Hoc autem summè invenitur in regimine Divinæ dominationis. Ps. *Lex Domini im-* Psal. 18. 8.
maculata, convertens animas; quod alia translatio expressiùs dicit: *Lex Domini irreprehensibilis.* Sic ergo benedictum est, quòd sanctum est nomen *Domini*, quantùm ad rationem divinæ potestatis propter nullius servitutis subjectionem, & propter universalem dominationem, & propter irreprehensibilis regiminis directionem.

Eodem modo rectè dicitur, quòd *Sanctum est nomen DEI.* Deitas enim secundùm Dionysium de Divinis nominibus
B. cap. 12. dicitur ab eo, quod est omnia videre; & omnibus providere, & omnia se ipsa implere & continere. In quibus verbis tres conditiones insinuantur circa Deitatis nomen, quod est DEus. Videlicet *primò* universalis providentia in eo, quod dicit: Quòd *Deitatis est omnia videre*; Juxta illud ad Hebr. 5. *Omnia nuda & aperta sunt oculis ejus*; & *omnibus providere.* Luc. 12. *Nonne quinque passeres veneunt dipondio & unus ex illis non est in oblivione coram DEO? Secundò* generalis influentia in eo, quod dicitur : quòd *Dei-*
C. *tatis est omnia implere.* Isa. 49. *Cœlum & terram ego impleo. Tertiò* totalis continentia in eo, quod dicitur: quòd *Deitatis est omnia continere.* Esth. 13. *Tu fecisti cœlum & terram, & universa, quæ cœli ambitu continentur.*

Sanctitas igitur Deitatis, secundùm quod nomen DEI dicitur sanctum, attenditur *primò* in eo, quòd omnibus providet liberaliter sine sui defectione sive diminutione. Ps. *Aperis tu manum tuam, & im-* Psal. 144. 16
ples omne animal benedictione. Secundò in eo, quòd omnia implet & replet condecenter sine sui inquinatione. Sap. 7. *Nihil*
D. *inquinatum incurrit in illam.* Quia secundùm philosophum causa prima regit omnia, præter quod commisceatur cum eis. *Tertiò* in eo, quòd omnia continet & sustentat potenter sine sui fatigatione. Sap. 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quomodo, quod à te factum non esset, conservaretur?*

Simili quoque modo dici potest, quòd sanctum est nomen *Salutaris* : quod innuit, cùm dicit : *Salutari meo.* Nomen verò *Salutaris* ubique in Sacra Scriptura ponitur in neutro genere & substantivè; & significat personam JEsu Christi sub ratione

tione Salvatoris & salvationis substantia- A. liter, non accidentaliter: quia ipse est tota substantia salutis nostræ. Ps. *Substantia mea apud te est*; sicut superiùs dictum fuit, & exemplicatum ex multis locis Sacræ Scripturæ. Sicut Luc. 2. *Viderunt oculi mei salutare tuum*, id est, JEsum Christum. Et hic: *exultavit spiritus meus in DEO salutari meo*, id est, in Domino & DEO meo JEsu Christo.

Unde notandum, quòd secundùm Dionysium de Div. Nomin. cap. 8. Salus sive salvatio est divina bonitas omnia existentia in propriis suis bonis salvans, & conservans, & à casu ab ipsis bonis liberans. B. Unde Dionysius ibidem ponit differentiam inter salvationem & liberationem in eo; quòd salvatio propriè dicitur conservatio in bonis habitis & existentibus: liberatio verò dicitur ereptio à malis bona diminuentibus.

In DEO igitur nomen salutaris est sanctum; quia ipsa divina salvatio & liberatio est libera, perfecta & immaculata: quæ tria sunt conditiones sanctitatis, ut superiùs dictum fuit. Est enim Divina salvatio *primò* libera; quia non dependet ab aliqua causa, præterquam à sola sua misericordia. C. 1. Pet. 1. *Secundùm magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam. Secundo* est perfecta; quia salvat in corpore & anima, & liberat ab omnibus malis & defectibus animæ & corporis. Joann. 7. *Totum hominem sanum feci in sabbato. Tertio* est irreprehensibilis & immaculata; quia non salvat nec liberat ex nostro merito vel justitia, sed pro sola sua gratia &
Psal. 78. 9. gloria. Ps. *Propter gloriam nominis tui Domine libera nos; & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.* Et; *Salvavit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam.* D.

Beata itaque Virgo in sua gratulatione de incarnationis mysterio, & de Divinæ dignationis circa se beneficio, & de humanæ redemptionis auxilio Magnificat Dominum, insinuando circa hoc in no-
Psal. 88. 9. mine *Domini* Deitatis potentiam; Ps. *Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo*: & in nomine *DEI* nostræ necessitatis providentiam; Matth. 6. *Scit enim Pater vester cœlestis, quid vobis necesse sit*: & in nomine *salutaris* humanæ salvationis gra-
Psal. 43. 8. tiam. Psalm. *Salvasti nos de affligentibus nos.*

CAPUT XV. aliàs XXVIII.

De misericordia Divina promissa & exhibita Patribus in filiis.

ET misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Sicut prædictum est, istus versiculi sensus & continentia vel potest referri ad præcedentia sub hoc sensu (qui potens est ad omnia facienda etiam sola voluntate; & cujus nomen sanctum est ad confidendum in ipsius bonitate; & cujus misericordia est à progenie in progenies ad sperandum de suæ promissionis veritate, fecit mihi magna) vel potest secundùm Glossam referri ad sequentia sub hoc sensu. Ille, cujus misericordia permanet ad salvandum electos à progenie patrum usque in progenies filiorum, fecit potentiam in brachio suo: scilicet dispersit superbos mente cordis sui, & deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles in progeniebus Patrum & Filiorum; secundùm illud Ps. Misericordia Domini ab æterno & usque in æternum, scilicet timentibus eum: & justitia illius in filios filiorum his, qui servant testamentum ejus.

Ad intellectum ergo hujus versiculi secundùm sensum & continuationem Glossæ notandum est; quòd triplex est misericordia, quantum distinguere convenit ad præsentem intentionem, videlicet misericordia *propositi & promissionis*. Qua misericordia DEus proposuit & promisit humano generi in primo Adam damnato, ipsum reparare & salvare in secundo Adam, id est, in Christo. Ad Ephes. 1. Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per JEsum Christum secundùm propositum voluntatis suæ. Et est misericordia *Complaciti & exhibitionis*: Qua complacuit DEO; ut, quod proposuerat & promiserat circa salvationem humani generis, suo tempore exhiberet. Luc. 12. Nolite timere, pusillus grex; quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et est misericordia *Beneplaciti & adimpletionis*: Qua DEus salutem, quam in Christo omnibus obtulit, & exhibuit; solis electis, per Spiritum Sanctum contulit & confirmavit. Ad Ephes. 1. In Christo credentes, signati estis spe promissionis in Spiritu Sancto: qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis nostræ, in laudem gloriæ & gratiæ ipsius.

Notandum etiam, quod duplex est progenies; scilicet *secundùm carnem* solùm:

Sicut

ſicut Iſmaël eſt de progenie Abraham; Jacob & Eſau de progenie Jacob. Et progenies *ſecundùm promiſſionem & fidem promiſſionis*: ſicut Iſaac eſt de progenie Abraham, & Jacob de progenie Iſaac & Abraham.

Omiſſa ergo progenie ſecundùm carnem ſolùm (quia, ut dicitur ad Gal. 3. *Qui ex fide ſunt, hi ſunt filii Abraham*) notandum: quòd diſtingui poſſunt tres progenies ſecundùm promiſſionem & fidem promiſſionis de ſalute in Chriſto juxta tria tempora; videlicet juxta tempus ante legem, & ſub lege, & ſub gratia. Miſericordia itaque propoſiti & promiſſionis de ſalute in Chriſto permanſit Patribus ante legem in ſua veritate firma & rata juxta
Pſal. 118. 10. illud Pſal. *In generationem & generationem veritas tua*; & hoc ſub teſtimonio & ſignis Divinæ apparitionis & allocutionis: ſicut legitur de Enos, quod *iſte incepit invocare nomen Domini* Gen. 4. & de Enoch, qui *ambulavit cum DEO, & tranſtulit eum DEus*, ut legitur ibidem, & de Noë, quòd *erat vir juſtus & perfectus in generationibus ſuis; & ambulavit cum DEO: & apparuit ei DEus, & ſibi* diluvium indicavit; & de arca facienda & de præceptis judicii & juſtitiæ, & ſacrificiis & oblationibus dedit mandatum. Et deinceps Abrahæ fuit ipſa promiſſio ſub fœdere circumciſionis cum juramento renovata, ùt dicitur Gen. 22.

Eadem quoque miſericordia propoſiti & promiſſionis de ſalute in Chriſto permanſit in ſua veritate firma & rata Patribus ſub lege; & hoc ſub ſignis & teſtamento datæ legis juxta illud ad Rom. 15. *Dico JEſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem DEI ad confirmandas promiſſiones Patrum.*

D. Miſericordia verò complaciti & exhibitionis de ipſo Chriſto reſervata eſt & opere adimpleta in tempore gratiæ Apoſtolis & credentibus in Chriſto jam de Virgine Maria nato; & illis, qui eum viderunt, exhibito & manifeſtato. De qua exhibitione & adimpletione gratulatur B. Virgo in figura Judith 13. *Laudate Dominum DEum noſtrum, qui non deſeruit ſperantes in ſe: & in me Ancilla ſua adimplevit miſericordiam ſuam, quam promiſit Domui Iſraël.*

Miſericordia autem beneplaciti & adimpletionis ſive conſummationis ad ſalutem in Chriſto & per Chriſtum finaliter obtinendam eſt in electis & juſtificatis conſummata. Pſal. *Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui; viſita nos in ſalutari tuo ad videndum in bonitate electorum tuorum.* Pſ. 105. 4. 5.

Et quia, ùt prædictum eſt, progenies antiquorum ante legem & ſub lege æſtimata eſt & computata à generatione in generationem dupliciter; videlicet vel ſecundùm carnem tantùm, ſecundùm quem modum etiam illi, qui declinaverunt ad ritum gentilitatis, & DEum Iſraël neſcierunt nec coluerunt, in genere Abra-
B. hæ computati ſunt & diviſionem terræ in ſortem a Domino acceperunt, ùt legitur Deut. 3. *Non dabo vobis de terra filiorum Eſau, quantum poteſt unius pedis calcare veſtigium: quia in poſſeſſionem Eſau dedi montem Seir.* Vel ſecundùm promiſſionem & fidem promiſſionis illius; de qua dicitur Gen. 21. *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Et 22. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*; ſcilicet in ſemine Iſaac & Jacob, & filiorum ejus; qui permanſerunt in cultu & timore unius DEI cœli & terræ ante legem & in circumciſione & in
C. lege: de quibus intelligitur, quod addit, *timentibus eum.* Quia illi ſoli de ſemine Abrahæ venientes ſecundùm promiſſionem coluerunt & timuerunt DEum juxta illud Deut. 5. *Congrega ad me omnem populum, ut audiat ſermones meos, & diſcat me timere omni tempore.*

Timentes igitur DEum dico hìc generationem ſive progeniem illorum, qui ſive ante legem ſive ſub lege in ſpe & fide Patrũ de Salvatore venturo in cultura & timore Domini Dei Iſraël finaliter permanſerunt (Qualis fuit ille Simeon, de quo dicitur Luc. 2. *Quòd erat homo juſtus & timoratus, expectans redemptionem Iſraël*) quibus promiſſio & exhibitio & adimpletio cum effectu reſervabatur, tandem efficaciter exhibenda & adimplenda patribus in filiis; ſcilicet in Apoſtolis & credentibus Pſ. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii*: ſcilicet pro patribus ante legem & ſub lege nati ſunt filii ſcilicet Apoſtoli de patrum ipſorum progenie ſecundùm carnem & ſecundùm fidem: quia patribus facta fuit promiſſio, Apoſtolis verò exhibitio & adimpletio juxta illud Act. 13. *Quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt, hanc DEus adimplevit filiis veſtris.* Pſal. 44. 17

CAPUT XVI. aliàs XIX.

Qualiter Christo nato dispersa est superbia Synagogæ.

F*Ecit potentiam in brachio suo.* Qualiter juxta sensum versiculi præcedentis misericordia propositi & promissionis de Christo factæ Patribus DEum colentibus & timentibus adimpleta sit in Christo & per Christum; ita quòd DEum verè colentes & timentes sint de sua humilitate elevati & exaltati, & de paupertate sua ditati & satiati (de qua vera cultura DEI dicitur Jo. 4. *Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate*) & e contrario DEum nec verè colentes nec timentes pro sua superbia sunt dispersi, & à sua potentia dejecti & vacui inanes relicti; B. Virgo ordine consequenti spiritu prophetico & sensu mystico declarat, dicens: *Fecit potentiam in brachio suo &c.* Unde videndum est, de quibus superbis & potentibus sive divitibus loquatur, & de quibus humilibus & esurientibus.

Notandum ergo; quòd, sicut superiùs dicebatur, B. Virgo in hac parte hujus Hymni sive cantici in suæ contemplationis jubilo, spiritu prophetico & sensu mystico ostenderit subsecutam ad verbi incarnationem Synagogæ dejectionem & Ecclesiæ erectionem & exaltationem: de
Psal. 34. 18. qua dicit Psalmista; *Confitebor tibi in Ecclesia magna: in populo gravi laudabo te.* Unde sciendum, quòd ille carnalis populus Israeliticus de lege sibi data & ab eis secundùm solam literam accepta & intellecta, de ipsa & in ipsa lege carnaliter gloriatur dicens: quòd *notus* esset *in* sola *Judæa*
Psalm. 147. 19. 20. *DEus*, juxta illud Psalm. *Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias & judicia sua Israël; non fecit taliter omni nationi.* Spiritualem verò & mysticum sensum legis sciebant, nec quærebant; nec, sicut etiam hodie, recipere volebant: & propter hoc de lege & in lege ad literam superbiebant. *Primò* superbiebant de perfectione scientiæ ad docendum, qualiter ultra literam nihil restaret in lege ad intelligendum juxta illud: Deut. 4. *Ecce populus sapiens & intelligens magna. Secundò* gloriabantur de perfectione potentiæ ad faciendam legem, putantes sine gratia omnia ex lege & per legis literam se posse ad salutem perficere. Deut. 4. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat DEos appropinquantes sibi; sicut adest nobis DEus noster. Tertio* exultabant de sufficientia justitiæ

A. ad merendum, putantes sua legalia & cæremonialia sufficere ad salutem. Deut. ibidem. *Quæ est alia gens tam inclyta, ut habeat cæremonias, & justa judicia, & universam legem?* Sed litera sola erat defectiva quantùm ad intellectum veritatis. Unde dicitur 2. Corinth. 3. *Usque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum.* Augustinus contra Faustum: *Tolle Christum à legis intelligentia; Quid tam stultum & insipidum, sicut legis litera?* Similiter sola legis opera erant defectivà quantùm ad profectum justitiæ & virtutis, ut intelligamus de opere operato, non de opere operante. Quia de legis opere operato intelligitur illud Roman. 3. *Ex operibus legis non justificatur omnis caro coram DEO.* De opere verò operante dicitur Rom. 2. *Non auditores, sed factores legis justificabuntur apud DEum.* Eodem modo legalis justitia erat defectiva quantùm ad meritum salutis. Rom. 3. *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.* Matth. 6. *Nisi abundaverit justitia vestra, plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*

B.

C. Talis igitur erat superbia; & tales erant illi superbi gloriantes in sola legis littera de sufficientia suæ scientiæ secundùm literam ad docendum; quæ nulla erat sine spirituali intelligentia; & de sufficientia virtutis humanæ ad opera perficienda, quæ erat infirma sine gratia; & de sufficientia legalis justitiæ ad merendum, quæ non proficiebat nec sufficiebat ad præmia cœlestia.

Ipse itaque DEus Legislator *fecit potentiam*, id est, opus potentiæ in brachio suo, scilicet in Christo Filio suo: in quo opere potentiæ, in Christo & per Christum dispersit prædictorum superborum superbiam. Ast notandum, quòd illud opus potentiæ fuit triplex. *Primo* opus potentiæ dantis intelligentiam ad legem exponendam & supplendam. Unde dicitur Matth. 8. quòd Pharisæi & legis Doctores *mirabantur super doctrina* Christi; quia erat docens in Synagoga, sicut *potestatem habens.* Glossa; non sicut Doctores Judæorum legem ad solam literam exponentes: sed sicut Dominus legis, habens potestatem interpretandi legem & supplendi & addendi; quia interpretando addidit spiritalem intelligentiam. Lucæ ultimo: *Et incipiens à Moyse & omnibus* Pro-

D.

Prophetis interpretabatur illis scripturas de A. *omnibus, quæ de ipso erant.* Et supplendo addidit perfectionem & sufficientiam. Matth. 6. *Audistis, quia dictum est antiquis, non occides: Ego autem dico vobis &c.* *Secundò* opus potentiæ dantis gratiam ad perficiendam legis observantiam. Quia, ut dicitur Roman. 4. *Lex iram operatur.* Glossa; quia lex sine gratia ad faciendum non constituit factores legis, sed transgressores. *Tertiò* opus potentiæ promittentis & dantis observatoribus legis mercedem & vitam æternam, Rom. 4. *Quæcunque promisit DEus, potens est & facere.*

Isto triplici opere divinæ potentiæ DEus Pater *in brachio*, id est, in filio suo, Domino nostro JEsu Christo *dispersit* prædictos *superbos*, prædicta triplici superbia superbientes & gloriantes in sola & nuda legis litera. Filius enim est brachium Patris; quia sicut brachium est membrum, quo à virtute cordis movetur manus ad operandum: ita filius est brachium patris
Joan. 1. 3. ad perficiendum divina opera, quia *omnia per ipsum facta sunt.*

Est autem filius brachium patris tripliciter. *Primò* brachium virtutis ad disper-
Psal. 88. 11. gendum & destruendum iniquos. Psal. *In brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.* *Secundò* brachium salutis ad eripiendum & salvandum justos Isa. 33. *Esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis.* *Tertiò* brachium miserationis ad congregandum & conservandum dispersos. Isaiæ 41. *In brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit.*

Dispersit superbos mente cordis sui. De ista dispersione loquitur, de qua dicit Ps.
Psal. 58. 12. *Disperge illos in virtute tua; & depone eos, protector meus Domine.* Et subjungit caussam & nodum dispersionis & depositionis eorum, cùm dicit: *Delictum oris eorum,* scilicet quo deliquerunt in ore suo docentes Joan. 9. *Nos Moysi discipuli sumus; & scimus, quia Moysi locutus est DEus. Hunc autem nescimus, unde sit.* Unde sequitur: *Sermonem labiorum ipsorum*, quo dixerunt
Psalm. 11. 5. illud Ps. *Linguam nostram magnificabimus; labia nostra à nobis sunt. Quis noster Dominus est?* Unde sequitur etiam de ipsorum pœna ibidem: *& comprehendantur in superbia sua*: scilicet quà verum Legislatorem non receperunt; sed ejus legi & sermonibus contradixerunt. Joan. 1: *In propria venit; & sui eum non receperunt.*

Dispersit igitur prædictos *superbos* Judæos in sola legis litera gloriantes, & confidentes, & putantes, nec locum, nec gentem, nec sanctificationem legalē unquam dispergendam & abolendam contra illud Jerem. 7. *Nolite confidere in verbis mendacii dicentes, templum Domini, templum Domini, templum Domini est*: id est, locus Jerusalem & gens Judaica, & sancta sua legalia Domini sunt, & nunquam dispergenda, nec abolenda. Quod tamen mendacium erat; quia primò à Nabuchodonosor, secundò & ultimò à Romanis locus & gens & sanctificatio templi irreparabi- B. liter sunt destructa juxta illud Danielis 9. *Civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo: & finis ejus vastitas.* Et ita factum est: quia populus Romanus cum veniente in Jerusalem Duce Tito dissipavit civitatem, & templum posuit desolatum usque hodie & in sempiternum. Et hoc est, quod in prædicto psalmo subjungit dicens: *& de exsecratione*, quà sunt Christum execrati dicentes Joan. 18. *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum: & de Mendacio*, quo dixerunt, Lucæ 23. *Hunc invenimus subvertentem* C. *gentem nostram.* quod fuit mendacium, quia gentem non subvertit, sed convertit.

Quod totum B. Virgo spiritu prophetico præcinuit ita, sicut postmodum factum fuit; cùm dicit: *dispersit superbos*; & modum superbiæ ipsorum exprimit dicens: *mente cordis sui.* Quia prædicta eorum superbia non consistebat, nec ipsam ostendebant in habitu exteriori, ut in veste vel in actu aut gestu (quia in his simulabant humilitatem & religionem juxta illud Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui à foris apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate*) sed intus in *mente cordis*, id est, in æstimatio- D. ne & voluntate perversa ipsius mentis latebat eorum superbia de exteriori & litterali legis observantia: quæ jam omnia sunt dispersa & destructa; quia nec locum, nec gentem, nec sanctificationem legalium suorum habent, nec simul coadunata, sed per totum mundum viliter & debiliter hinc inde dispersa.

CAPUT XVII aliàs XXX.

Qualiter Christo nato deposita est Synagoga potentia.

D*Eposuit potentes de sede.* Superiùs B. Virgo propheticè præcinendo innuit disper-

dispersam esse per verbi incarnationem & A.
Manifestationem Synagogæ superbiam: nunc consequenter innuit depositam esse ipsius Synagogæ potentiam, & Ecclesiæ humilitatem exaltatam dicens: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Unde de his tribus videndum est, scilicet de Synagogæ potentia, & de sede potentiæ, & depositione à sede potentiæ.

Sciendum igitur, quòd nomine potentum hîc possit intelligi potestas & dignitas principatus Judaici, qua olim florebant adhuc stante & loco & gente & sanctificatione suorum legalium & cæremonialium. B.
Et hæc dignitas eorum erat triplex, scilicet Regalis, Sacerdotalis & prophetalis. Sicut igitur instante eis primo excidio loci & gentis dispersione & templi destructione sub Nabuchodonosor, Reges & Sacerdotes & falsi prophetæ ipsorum quibusdam propriis & specialibus peccatis suis meruerunt sui regni & sacerdotii dispersionem & templi destructionem & loci desolationem, de quibus peccatis eorum dicitur Mich. 3. *Principes ejus in muneribus judicabant, & sacerdotes ejus in mercede docebant, & prophetæ ejus in pecunia divinabant.* Unde sequitur statim destructionis C.
ipsius prophetica comminatio, dum subdit: *Propter hoc Sion quasi ager arabitur, & mons templi erit in excelsa Silvarum:* ita etiam imminente secundo excidio sub Romanis Principibus, Vespasiano & Tito, Principes Judæorum in muneribus judicabant. Quia ut legitur in historia Scholastica principatum Sacerdotii emebant, & conducebant annuatim à Præsidibus Romanis, alter alterum supplantantes. Et in mercede docebant sacerdotes statuentes in templo suos ementes & vendentes, & mensas Nummulariorum, & cathedras vendentium columbas; ut legitur Lucæ D.
20. Matth. 21:

Licèt autem circa tempus Christi, imminente jam de proximo dissipatione gentis & legis Judæorum, prophetæ veri & prophetiæ fideles cessaverunt juxta illud Prov. 29. *Cùm defecerit prophetia, dissipabitur populus;* & adveniente luce Evangelii cessaverit umbra legis; & pro tanto lex & prophetæ non duraverint nisi usq; ad Joannem, cùm jam non erat necessaria umbra legis, revelata imagine veritatis; nec velamen prophetiæ Joanne jam digito ad oculum demonstrante illum, quem lex obumbraverat & prophetia velaverat: nihilominus tamen gens Judæorum, more cæcutientis & ad calamos conquassatos loco stipitis se tenentis, falsos prophetas & insanias falsas circa tunc imminentia pericula suæ genti infeliciter & inaniter parturivit: sicut fuerunt Theodas & Judas Galilæus ut legitur Actor. 5. Qui potestati gentili & solutioni tributorum in favorem libertatis gentis & legis Judaicæ quasi divino oraculo & propugnaculo contradicebant, sed non proficiebant; imò usque ad extremum exterminium cum suis sequacibus deficiebant.

Est ergo secundùm prædicta triplex sedes, de qua hîc dicitur: *Deposuit potentes de sede,* videlicet prima sedes, quæ erat thronus regalis 3. Reg. 10. *Fecit Salomon thronum de ebore grandem.* Secunda sedes erat Cathedra Sacerdotalis Matth. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.* Tertia sedes erat sella sive domus prophetalis. Unde 1. Reg. 4. dicitur, quòd *Heli sedebat super sellam contra viam spectans:* & 1. Reg. 7. dicitur de Samuele, quòd in Ramatha erat Domus prophetæ, & ibi judicabat Israël: & 4. Reg. 4. *Vir iste sanctus est; faciamus ei cœnaculum, & ponamus sibi lectulum in eo, & mensam & sellam.*

Nomen autem sedis innuit tria; primò eminentiam dominantis 3. Reg. 1. *Salomon sedit super solium Regis; & ingressi servi Regis benedixerunt Domino.* Secundò præsidentiam judicantis Prov. 19. *Rex sedens in solio dissipat omne malum intuitu suo.* Tertiò providentiam gubernantis Psalm. *Sedes tua DEus in sæculum sæculi;* Psal. 44. 7.
Virga directionis, virga regni tui.

De hac igitur triplici sede Judæorum gens est deposita, eò quòd non cognoverit tempus visitationis suæ. Quia, ut dicitur Daniel. 4. *Non est in tempore hoc nec princeps, nec propheta, nec Dux, nec sacrificium, nec holocaustum populo Judæorum:* & per consequens nec eminentia principis dominantis, nec præsidentia sacerdotis judicantis, nec providentia prophetæ gubernantis ipsum populum. Sed depositi sunt de sede throni regalis, & de sede Cathedræ Pontificalis, & de sella sive domo gratiæ prophetalis juxta illud Oseæ 3. *Sedebunt filii Israël multo tempore sine Rege, sine Principe, sine Sacrificio, & sine altari.*

Et

A. *Et exaltavit humiles*, Isti humiles sunt,
Psal. 33. 19. de quibus dicit Psal. *Et humiles spiritu salvabit*: quod intelligitur de humilitate fidelium credentium in Christum, de quibus dicitur 1. Cor. 1. *Videte vocationem vestram; quia non multi nobiles, nec potentes, nec sapientes secundùm carnem; sed infirma hujus mundi elegit DEus, ut confundat fortia.* Quia DEus voluit fidem Christianam in mundo seminare, & crescere, ac fovere, *non per sæcularem potentiam*; sed elegit infirma hujus mundi: 1. Cor. 2. *In infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos.* Neque *per mundanam sapientiam*; sed elegit stulta hujus mundi 1. Cor. 2
B. *Non veni ad vos in sublimitate sermonis aut sapientiæ: nec judicavi me aliquid scire inter vos, nisi JEsum Christum, & hunc crucifixum.* Neque per sæcularium rerum abundantiam; sed elegit destituta & despecta hujus mundi. 1. Cor. 4. *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.*

Tales enim fuerunt, & talibus mediis & instrumentis utebantur primi Seminatores & plantatores fidei Christianæ; quia vicerunt & ad se traxerunt mundanam potentiam sua infirmitate, mundanam sa-
C. pientiam veritatis simplicitate, mundanam abundantiam spiritûs paupertate.

Hos itaque & hujusmodi humiles DEus exaltavit; quia fecit eos, uti dicitur 1. Petri 2. *Genus electum, regale Sacerdotium, gentem sanctam, & populum acquisitionis.* Apoc. 5. *Fecisti nos DEO regnum; & Sacerdotes regnabimus super terram.* Cùm è converso Judæi depositi de sede suæ potentiæ & sapientiæ & observantiæ legalis
Psal. 42. 1. & carnalis, facti sint gens non sancta. Psal. *Discerne causam meam de gente non sancta: & regnum reprobum.* Malach. 1. *Non est mibi voluntas in vobis, dicit Dominus*:
D. quia destructum & contritum est regnum Judaicum. Thren. 2. *Perdidit & contrivit Regem ejus & principes ejus*; & pollutum est eorum Sacerdotium. Malach. 1. *Polluistis nomen meum dicentes: Mensa Domini contaminata est; & quod ei superponitur, contemptibile est cum igne, qui devorat illud.*

CAPUT XIIX. aliàs XXXI.

Qualiter Christum exspectantes, per ipsum sint refecti & bonis repleti.

Esurientes implevit bonis. Ad sciendum, qui sint isti esurientes, de quibus hic loquitur, notandum est; quòd, cùm esuries sit appetitus refectionis & restaurationis deperditi à corpore vel consumpti; sicut diversificatur defectio & consumptio, ita & refectio ac restauratio. Defectio verò sive consumptio fit tribus de causis; videlicet, à morbo, à labore, senectute: Quæ est virium defectio ex tempore. Quia in tempore & ex tempore omnia veterascunt & deficiunt: nam ut dicitur ad Hebræos 4. *Quod antiquatur & senescit, propè interitum est.*

Patres igitur ante legem & sub lege DEum colentes, & timentes, cùm sentirent & viderent sibi incumbere defectionem veræ salutis & sanitatis animæ *primò* ex morbo peccati à primis parentibus contracto Eccl. 40. *Grave jugum super filios Adam à die nativitatis eorum usque in diem exitus eorum in matrem omnium. Secundò* ex labore & opere in lege naturali & Mosaica frustra peracto: *Neomenias vestras &* Isa. 1. 13. 14.
sabbata & Kalendas odit anima mea; incensum abominatio est mihi. Tertiò ex longo tempore in lege naturali & Mosaica inutiliter transacto. Psal. *Defecerunt oculi mei* Ps. 118. 82.
in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me? ex triplici prædicta defectione Patres ipsi esuriebant, id est, desiderabant ad modum esurientis appetentes & optantes refectionem & restaurationem. I. Contra morbum peccati à primis parentibus contractum, qui subtrahebat eis adhuc in via existentibus lumen, nondum revelata fide ad divinam cognitionem juxta illud Amos 9. *Mittam famem in vobis, non famem panis aut sitim aquæ, sed famem audiendi verbum DEI.* Gal. 3. *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat.* II. Contra laborem in operibus legis frustra peractum, quia ex eis non consequebantur meritum ad salutem. Rom. 3. *Ex operibus legis non justificatur omnis caro coram illo.* III. Contra tædium & tempus in longum jam tractum & transactum, quod retardabat salutis adeptionem.

Ista triplici fame patres ante adventum Christi laborabant esurientes, id est, ad modum esurientis deficientes, & refectionem & restaurationem desiderantes quotidie, & optantes. Ps. *Nunquid in æternum* Psal. 76. 8.
projeciet nos DEus? E contrario verò alii ante legem & sub lege nec DEum scientes nec colentes, nec timentes, nec defectionem miseriæ humanæ in se ipsis recogno-

scentes, æstimabant & gerebant se tan-A.
quam sibi ipsis in omnibus sufficientes, &
nullo ad salutem veram & perpetuam in-
digentes. Et isti sunt illi *Divites*, de qui-
bus hic dicitur: *Et Divites dimisit inanes.*
Psal. 48. 7. Ps. *Qui confidunt in vanitate sua, & in
multitudine divitiarum suarum gloriantur.*
Gloriabantur enim tales in tribus, tan-
quam in suis divitiis. *Primò* in lege natu-
ræ, quæ tamen ad salutis causam deficiebat
Isa. 65. *Omnes justitiæ nostræ sicut pannus
menstruatæ coram te. Secundò* in lege tradi-
tionis Mosaica, quæ tamen ad salutem si-
ne gratia non proficiebat. Gal. 3. *Quia in
lege nemo justificatur apud DEum, manife-* B.
stum est, quod justus ex fide vivit. Tertiò in
observantia legis utriusque, quarum neu-
tra sufficiebat ad salutem. Rom. 3. *Causa-
ti sumus Judæos & Græcos omnes sub peccato
esse; sicut scriptum est: non est justus quis-
quam.*

Esurientes itaque prædictos, id est, de-
siderantes & sperantes & exspectantes in
fide & spe patrum refectionem contra præ-
dictas defectiones, Verbum Incarnatum
implevit *primò* bonis reficientibus contra
defectum culpæ ac pœnæ, & hoc in gratiis
Psal. 103. 29 Sacramentalibus. Ps. *Aperiente te manum* C.
tuam omnia implebuntur bonitate. Rom. 7.
*Infelix ego homo, quis me liberabit de cor-
pore mortis hujus? gratia DEI per JEsum
Christum. Secundò* replevit eos bonis pro-
ficientibus & sufficientibus contra defe-
ctum meriti & justitiæ, & hoc in gratiis &
donis spiritualibus. Rom. 5. *Ubi abunda-
vit delictum, superabundavit & gratia; ut
sicut peccatum &c. Tertiò* adimplevit eos
bonis perficientibus contra defectum mi-
seriæ; & hoc in gratiis finalibus & gloriæ
Psal. 106. 9. dotibus. Psal. *Animam esurientem satiavit*
Psal. 16. 15. *bonis.* Et iterum: *Satiabor, cùm apparuerit*
Psal. 89. 14. *gloria tua.* Et: *Repleti sumus manè miseri-* D.
cordia tua, id est, in ultima resurrectione;
exultavimus & delectati sumus.

Et Divites dimisit inanes. Nota, quòd
non dicit, *Divites exinanivit*; sed quòd
existentes gratia vacuos per se & ex se, ita
dimisit *inanes*: id est, non implevit bonis,
sicut esurientes. Quia illi prædicti divites
se sibi æstimando ex se sufficientes, hoc
ipso fuerunt inanes. Erant autem inanes
& vacui tripliciter. *Primò* vacui & inanes,
quantum ad meritum justitiæ; quia, ut di-
citur ad Rom. 10. *Ignorantes DEI justi-
tiam & suam justitiam volentes constituere,*
justitiæ DEI non sunt subjecti. Secundò vacui
& inanes quantum ad beneficium gratiæ.
Apoc. 3. *Dicis, quia dives sum & nullius
egeo; & nescis, quia tu es miser & miserabi-
lis & pauper & cæcus & nudus*: videlicet mi-
ser tanquam egens justitia, & pauper tan-
quam carens gratia. Ps. *Ego verò egenus &* Psal. 69. 6.
pauper sum. Et cæcus, carens lumine veri-
tatis. Matth. 20. *Cæcus quidam sedebat se-
cus viam mendicans.* Et nudus carens ve-
ste charitatis. Matth. 22. *Quomodo huc in-
trasti non habens vestem nuptialem? Tertiò*
vacui & inanes quantùm ad spem & gau-
dium gloriæ. Tob. 5. *Quale gaudium mihi
esse potest, qui in tenebris sedeo, & lumen cæ-
li non video?* In tenebris sedeo scilicet pri-
vatus lumine fidei & gratiæ; & cœli lu-
men id est spem cœlestis gloriæ non vi-
deo. Quia solo lumine fidei videmus,
quod in futuro de præmio & gaudio spera-
re habeamus: quo lumine carent infideles.
Psal. *Obscurentur oculi eorum, ne videant.* Psal. 68. 24

CAPUT XIX. aliàs XXXII.

Quomodo in fide exspectantes susceperint Christum exspectatum & promissum.

Suscepit Israël puerum suum. Ultimò nunc
B. Virgo concludit & infert ex adim-
pletione veritatis divinæ promissionis de
Christo causam defectuum depositionis &
dispersionis Synagogæ, & profectum ere-
ctionis & exaltationis Ecclesiæ, in eo &
ex eo, quòd juxta divinam promissionem
susceperit Israël puerum suum; per quem
puerum scilicet prædicta omnia mystica &
magnalia sunt facta & impleta.

Suscepit ergo *Israël puerum suum.* No-
tandùm quòd Israël interpretatur *vir vi-
dens DEum*; & potest accipi pro gente
vel pro persona, ut sit sensus: Israël, id est,
populus Israëliticus, hoc est, populus vi-
dens DEum; vel Israël, id est, vir videns
DEum, quod secundùm sensum mysticum
innuit populum fidelium, id est, in Chri-
stum credentium, qui in ipsa nocte & um-
bra legis luce fidei illuminatus vidit Chri-
stum in lege promissum & significatum jux-
ta illud Isa. 9. *Populus, qui ambulabat in te-
nebris, vidit lucem magnam.* Iste populus
in ipsa nocte & umbra legis recordatus mi-
sericordiæ, promissionis divinæ vidit &
suscepit Christum *primò* per fidem creden-
do: quia, ut dicitur ad Rom. 1. *Finis legis
est Christus ad justitiam omni credenti, Ju-* Psal. 118. 96.
dæo primùm & Græco Ps. *Omnis consumma-* Ps. eod. 166
tionis vidi finem; Glossa addit, id est,
Chri-

Christum: qui est finis & consummatio legis. A Secundò vidit & suscepit per spem, ipsum Christum sperando & exspectando. Psal. *Exspectabam Salutare tuum Domine;* Glossa, id est, *Christum, qui est Salutare Dei.* Tob. 2. *Filii Sanctorum sumus, & vitam illorum speramus, quam daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Tertiò* vidit & suscepit Christum per dilectionem venientem suscipiendo & amplectendo.
Psal. 47.10. Psal. *Suscepimus DEus misericordiam tuam.*

Ita per fidem credendo, & spe desiderando, & charitatis desiderio amplectendo suscepit Nathanaël Christum venien-
Joan. 1. 47. tem; de quo dicit ipse Christus: *Ecce* B *verè Israëlita, in quo dolus non est.* Quia viso Christo credidit rectè, & desideravit perfectè, & confessus est directè, Christum in Deitate & humanitate venisse, dicens; *Tu es Rex Israël, tu es filius DEI vivi.*

Israël ergo, id est, populus fidelium, recordatus misericordiæ divini propositi & promissionis factæ ad Patres, *suscepit puerum suum.* Suscepit, inquam, *primò* tanquam à DEO Patre promissum & datum Isa. 19. *Mittam eis Salvatorem & propugnatorem, qui liberet eos.* Ibid. 9. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Secundò* tanquam à Virgine Matre natum C 3. Reg. 13. *Ecce nascetur Domui Juda filius.* Et Luc. 1. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius DEI. Tertiò* tanquam in templo oblatum, & à Simeone susceptum & bajulatum. Luc. 3. *Accepit puerum Simeon in ulnas suas; & benedixit eum.* Simeon enim significat populum credentium, qui suscepit Christum in ulnas fidei & desiderii ac gaudii. Agg. 2. *Ecce*
Psal. 117. 26 *venit desideratus cunctis gentibus.* Psal. *Benedictus, qui venit in nomine Domini.*

Puerum suum; puerum videlicet *primò* puritate innocentiæ, ita ut persona ejus D innuatur esse sine peccato. 1. Petr. 2. *Qui*
Psal. 23. 4. *peccatum non fecit.* Psal. *Innocens manibus & mundo corde. Secundò* puerum simplicitate vitæ & doctrinæ. *Non est inventus do-*
Isa. 53. 9. *lus in ore ejus.* Malach. 2. *Lex veritatis fuit in ore ejus; nec inventa est iniquitas in labiis ejus.* Isa. 43. *Ecce puer meus electus, quem elegi. Tertiò* puerum hæredem ex paterna successione & hæreditate. Isa. 9. *Puer natus est nobis,* scilicet quantùm ad innocentiæ puritatem, & vitæ & doctrinæ simplicitatem & humilitatem: *& filius datus est nobis,* scilicet in paternam successionem & hæreditatem. Psl. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Et ad Rom. 7. Psalm. 2. 8.
Ut simus hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi.

Suscepit igitur *Israël puerum suum;* cujus innocentiæ puritas sine peccato existens pro nobis sufficeret & satisfaceret. Rom 8. *Pro nobis omnibus tradidit illum.* Glossa; *quia solus pro omnibus sufficit & satisfecit.* Et cujus doctrinæ simplicitas & veritas, & vitæ humilitas, nos sine dolo instruens, doceret. Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et cujus hæreditaria successio nos in regni cohæredes ascriberet & assumeret. Lucæ 22. *Dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meum regnum.*

Suum: videlicet puerum suum sibi natum *primò* in similitudinem & consortium naturæ. Cantic. 7. *Quis det te mihi fratrem meum, sugentem ubera Matris meæ, ut te inveniam & deosculer. Secundo* sibi datum in commercium gratiæ. Joan. 3. *Sic DEus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Tertio* pro se oblatum in deletionem culpæ & redemptionem pœnæ. Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

Suscepit itaque Israël puerum *suum*, scilicet non puerum Angelorum, qui non erant consortes ejusdem naturæ. Quia, ut dicitur ad Hebræos, *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Neque puerum Dæmonum, qui non fuerunt humiles ad commercium gratiæ: sed puerum suum, nobis similem in natura, autorem in gratia, & hæredem regni in gloria. Quia indigebamus consorte nostræ naturæ, qui nos capaces faceret & participes suæ gratiæ: cujus gratia Angeli non indigebant, & Dæmones capaces non erant.

CAPUT XX. aliàs XXXIII.

Qualiter promissio de Christo facta Patribus, est adimpleta.

Sicut locutus est ad Patres nostros. Exprimit nunc B. Virgo modum & ordinem, quo suscepit Christum populus fidelium; quasi dicat. Ita, inquam, Israël recordatus misericordiæ divinæ propitiationis, & promissionis & adimpletionis, suscepit puerum suum in propitiationem, & in divinæ promissionis adimpletionem: sicut ab initio locutus est DEus, & propitiatus promisit Patribus nostris, Abraham &c.

Suscepit igitur, sicut DEus promisit & locu-

locutus est ad patres nostros triplici genere locutionis. Videlicet *primo* in creaturis & facturis, in quibus est Christus multipliciter præsignatus. Gen. 1. *Plantaverat Dominus DEus paradisum voluptatis à principio* Iste paradisus est Virgo Maria, quam DEus à principio, id est, ab æterno in plenitudine & decore gratiarum & virtutum plantavit, & plantare disposuit juxta illud Eccl. 24. *Ab initio & ante sæcula creata sum.* Et Prov. 8. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum.* In quo paradiso posuit hominem Christum, quem formaverat operatione Sancti Spiritus in ipsa & ex ipsa Virgine Maria. *Secundo* in scripturis, in quibus Christus est multipliciter prophetatus Gen. 49. *Non auferetur Sceptrum de Juda.* Numer. 26. *Orietur stella ex Jacob, & consurget homo de Israël.* Et Isa. 9. *Egredietur Virga de radice Iesse &c.* *Tertio* in figuris, in quibus est multipliciter adumbratus; ùt in Adam de terra formato Gen. 1. & in Isaac per repromissionem nato Gen. 21. & in Salomone, interfecto Uria id est diabolo, de Bethsabee generato 2. Reg. 12. De quibus modis locutionum dicitur ad Hebræos 1. *Multifariè multisque modis olim DEus loquens patribus in prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in filio.*

Suscepit itaque Israël, id est, populus credentium puerum suum; scilicet sibi natum, & sibi datum, & pro se oblatum, juxta oraculum prophetarum cum miraculo Angelorum & cum spectaculo populorum credentium. Suscepit, inquam, eo modo & taliter, sicut DEus locutus est ad patres nostros in divinis apparitionibus & significationibus & allocutionibus & prophetiis & promissionibus de Christo nobis nasci-turo, & nobis exhibendo & pro nobis offerendo, ut in omnibus & singulis modis illis commendetur *plenitudo* divinæ veritatis. Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis*: & *gratitudo* summæ charitatis Joan. 3. *Sic DEus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*: & *multitudo* divinæ bonitatis & nostræ utilitatis. Ad Rom. 8. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum.*
Psal. 30. 20. Ps. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.*

Pulcherrimo igitur ordine & modo B. Virgo hunc Hymnum sui cantici quantùm ad ipsius intentionem in summam colligendam concludit, innuens; quòd, quantùm ad plenitudinem veritatis, & gratitudinem charitatis, & multitudinem divinæ bonitatis & humanæ salutis & utilitatis circa mysterium incarnationis divinæ prædestinationi de Christo æquè respondet ipsius Christi promissio, & promissioni exhibitio. Quia sicut DEus Christi incarnationem infallibiliter prædestinavit ab æterno in æternum (quia, sicut dicitur ad Hebræos ult. *Christus manet heri & hodie & in sæcula*) ita certitudinaliter ipsum Christum mittendum & exhibendum suo tempore promisit, & ipsam promissionem efficaciter & utiliter adimplevit; *Sicut locutus est ad Patres nostros* de salute futura per Christum in fide instituendos, instruendos, & in spem erigendos, & in desiderium accendendos.

Quos Patres breviter specificat B. Virgo dicens: *Abraham & Semini ejus*. Abrahæ tanquam præcipuo, & merito fidei, qua de Isaac nascituro, ipsi DEO credidit; & pro merito justitiæ, qua DEum coluit; & pro merito obedientiæ, qua DEO de immolando filio obedivit, facta est promissio de Christo de ipsius semine nascituro Gen. 22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, scilicet in Isaac & de ipsius successione nascituro Christo.

Sic ergo B. Virgo Christi incarnationem comendando ex divinæ prædestinationis æternitate, & ex promissionis veritate, & ex exhibitionis integritate & perpetuitate pulchrè & rectè sic concludit: quòd populus fidelium suscepit Christum, ùt ab æterno prædestinatum & in tempore promissum & exhibitum Abrahæ & semini ejus & in sæcula permansurum & regnaturum juxta illud Ps. *Et permanebit cum sole* Psal. 71. 5.
& ante lunam in generationem & generationem. Et hoc est, quòd dicit: *Abrahæ & semini ejus*: non ad tempus mille annorum, sicut Judæi & quidam alii fabulantur; sed *in sæcula*, id est, in æternum, Psal. *Miseri-* Psal. 102. 17
cordia Domini ab æterno usque in æternum super timentes eum. Quia secundùm prædestinationem Angeli Lucæ 1. dedit illi *DEus sedem David patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum; & regni ejus non erit finis.*

Finis Expositionis in Canticum Magnificat.

CAPUT

CAPUT XXXIV.

Quæ & qualia B. Virgo consideraverit circa opera reparationis.

QUia igitur, ut superiùs dictum fuerat, B. Virginis contemplatio præcipuè & principaliter videtur in suæ mentis jubilo versata fuisse circa tria secundùm Bernardum. Videlicet *primò* circa opera conditionis, in admirando & laudando ex illis & in illis Divinam potentiam in creando. Eccl. 8. *Sermo illius potestate plenus est, & omne, quod voluerit, facit*: & Divinam sa-
Psal. 118. 91. pientiam in ordinando Psal. *Ordinatione tua perseverat dies; quoniam omnia servi-* B. *unt tibi*: & Divinam clementiam in gubernando & conservando. Sap. XI. *Quomodo, quod à te factum non esset, conservaretur?* *Secundò* circa opera reparationis in illis & ex illis admirando & amando Di-
Psal. 144. 9. vinæ miserationis pietatem. Psal. *Suavis est Dominus universis: & miserationes ejus super omnia opera ejus*: & Divinæ dignationis humilitatem; quia, ùt dicitur ad Phil. 3. *Humiliavit semetipsum factus obediens*
Ps. 118. 107. *usque ad mortem*: & Psal. *Humiliatus sum usquequaque*: & Divinæ dilectionis largitatem. Joan. 3. *Sic DEus dilexit mundum,* C. *ut filium suum unigenitum daret*: & ad Rom. 8. *Qui proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum.* *Tertiò* circa opera glorificationis, & ea, quæ videntur pertinere ad contemplationem & visionem status gloriæ & statum glorificatorum juxta constitutionem & dispositionem & ordinationem cœlestis Hierarchiæ: Sciendum, quod contemplatio B. Virginis circa opera reparationis recipit multiplicationem & distinctionem juxta numerum & diversitatem eorum, quæ circa ipsum Reparatorem, id est, Christum, considerari possunt in singulis operibus repara- D. tionis.

Opera autem reparationis juxta hanc considerationem in duodecim articulis continentur: qui sunt. Verbi incarnatio; vitæ ipsius Christi conversatio; Evangelii prædicatio; miraculorum operatio; passio; resurrectio; ascensio; Sancti Spiritus missio; Ecclesiæ multiplicatio; gubernatio; conservatio; & consummatio. Circa quorum omnium memoriam indefessam, & recordationem continuam B. Virgo in sua vita se indesinenter exercuit juxta illud:
Psal. 76. 13. *Meditabar in omnibus operibus tuis.* Et A. Thren. 3. *Memoria memor ero; & tabescet in me anima mea.*

Consideravit itaque in contemplatione excessivæ admirationis, & divini amoris meditatione, incarnationis Christi humilitatem; quia, ut dicit psalmista, *inclinavit cœlos, & descendit.* Et conversationis ipsius pietatem; quia ut dicitur Luc. 2. *Descendit cum parentibus in Nazareth, & erat subditus illis.* Et prædicationis veritatem & utilitatem Joan. 8. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Et miraculorum potestatem. Matth. 9. *Qualis est hic, quia venti imperat & mari, & obediunt ei?* Et laborum & passionum & mortis acerbitatem. Thren. 1. *Attendite, & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus.* Et resurrectionis gloriam. Psalm. *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cythara.* Et ascensionis potentiam. Isaiæ 64. *Quis est iste, qui venit de Edom &c.* Et missi Sancti Spiritus gratiam. Rom 5. *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris.* Et Ecclesiæ congregatæ unitatem. Act. 4. *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una.* Et Ecclesiæ conservatæ firmitatem, Matth. 16. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et Ecclesiæ consummatæ æternam beatitudinem & beatam æternitatem. Apoc. 21. *Ipsi populus ejus erunt, & ipse DEus cum eis erit eorum DEus: & absterget DEus omnem lacbrymam ab oculis eorum.*

Psal. 17. 10. Psal. 56. 9.

Hæc omnia mente jugiter revolvebat, & cum sanctis sibi commanentibus, & Apostolis eam visitantibus conferebat. Unde Hieronymus: *Ad exemplum humanæ vitæ conversatio B. Virginis post ascensionem Domini communiter cum Apostolis fuit, vacando cum ipsis in schola virtutum, & meditatione mandatorum Divinorum, quousque fuerunt dispersi per mundum: tantò familiarius ipsis de Christo singula intimando, quantò pleniùs omnia per Spiritum Sanctum didicerat, & oculis universa perspexerat.*

CAPUT XXXV.

Quòd B. Virginis considerationem incitabat visio locorum; in quibus Christus operatus est salutem in medio terræ.

ET quia, ut superiùs habitum est, consideratio & meditatio in contemplatio-

ne operum redemptionis, & eorum, quæ in ipsis attenduntur, surgit & crescit ex imaginatione locorum & temporum & personarum, ubi & quando & per quos & cum quibus & in quibus ipsa opera sunt patrata: proinde, ùt dicit Hieronymus in sermone *Cogitis*, quamvis B. Virgo in carne præter carnem viveret; tamen quia non carnalibus, sed carneis nihilominus utebatur sensibus: ideo quàm sæpe locorum recreabatur visitationibus & aspectibus, ubi Dominus JEsus Christus operatus est salutem in medio terræ; ut in illis ejus, quem genuerat, delectaretur amplexibus. Amor enim pariebat desiderium; ipsum verò desiderium semper fervens novis reparabatur ardoribus, in tantum, ut credam, quòd nonnunquam omnia transcenderit, & se ipsam.

Unde de recordatione & memoria divinorum mysteriorum & beneficiorum, circa quorum meditationem B. Virgo exercebatur, dicit Hieronymus in prædicto sermone: *O quantis & qualibus B. Virgo afficiebatur doloribus & mœroribus post Christi ascensionen expletis jam omnibus, quæ de ipso erant prophetata; O quali afficiebatur amore, quo desiderio æstuabat, dum revolveret animo cuncta, quæ viderat & audierat & cognoverat? Quanto, tam indeficienter quàm indesinenter, pii amoris cremabatur ardore? Quantis cœlestium secretorum & sacramentorum à Spiritu Sancto movebatur incitamentis, novis quotidie desideriorum affectibus inflammata: quam ita totam divinus amor incanduerat, ut nihil in ea esset; quòd humanus vel mundanus violaret affectus; sed totam Sancti Spiritus perfudit ebrietas & implevit.* Psalm. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potâsti eos.* Quod licet dictum sit de sanctis ùt reficiuntur in patria; tamen de B. Virgine juxta modum & mensuram sibi competentem in statu viæ competenter accipi potest: secundùm quod ipsa fuit in hac vita viator simpliciter, & comprehensor secundùm quid, ùti superiùs dictum fuit.

De visitatione verò & aspectu locorum, quo monita & accensa fuit frequentiùs ad rememorationem & affectionem circa redemtionis opera in ipsis locis patrata & consummata, subjungit

A. Hieronymus ibidem: *Præ nimio igitur amore in loco, quo sepultus fuerat Christus, interdum ipsam habitâsse credimus: ut etiam ex locis exterioribus internus pasceretur amor obtutibus, abinde invisendo omnia loca circum; videlicet passionis, & resurrectionis & ascensionis ipsius; non ut jam viventem quasi quæreret cum mortuis: Sed ut exterioribus simul & interioribus consolaretur aspectibus.*

Hic aspectus & situs loci, in quo fuit sepulchrum Domini; unde circumposita loca passionis Christi &c. videri poterant, tunc tempore Hieronymi (qui
B. in partibus illis habitabat, & in Bethlehem se in cellam receperat, ubi etiam est mortuus & sepultus) sic se habere poterat ædificiis vel turribus nondum interpositis, quæ nunc ibi consistunt: ut illa loca à sepulchro Domini tunc liberè videri & designari potuissent. Sed secundùm descriptionem Bedæ, & juxtà descriptionem modernorum, qui illa loca per situs suos & distantias ab invicem designaverunt, videtur nunc multò aliter se habere: Quia civitas Jerusalem per
C. Titum destructa fuit post passionem Domini anno quadragesimo, ut in Chronicis & in historica Ecclesiastica legitur. Qua adhuc secundùm primum suum statum manente sepulchrum Domini fuit extra portam civitatis. Ipsâ verò postmodum ab Adriano Ælio reparatâ & multò ampliùs dilatatâ sepulchrum Domini cœpit tunc esse ferè in medio civitatis: licet ipsa civitas postmodum à Persis & Saracenis destructa, multoties ad aliam & aliam mensuram, & situm diversum fuerit restaurata; & aspectus & respectus sepulchri Dominici per consequens quoad
D. situm civitatis etiam sit mutatus. De quo non multùm refert ad præsens.

Et hæc, licèt pauca, dicta de vita & virtutibus Beatæ Virginis circa perfectionem actionis & contemplationis ipsius post ascensionem Domini usque ad beatum transitum ipsius de hoc mundo sufficiant ista vice: Quia ex scripturis authenticis circa istam materiam plura invenire, & per consequens nec colligere potui fide & relatu digna, sanctum circa hæc Ignatium imitando.

Quia

Quia ut in habitis superiùs suis epistolis ad S. Joannem Evangelistam scribens dicit ita: *Præterea multi multa de ipsa*, scilicet B. Virgine *referunt; quibus tamen omnibus per omnia non audemus fidem concedere, nec tibi deferre.* Et infra ibidem pro multis illis & omnibus hæc solùm ad laudem ipsius subinfert, dicens: *Sed sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria JEsu humana natura natura sanctitatis Angelica sociatur.* Quo dicto mortalem adhuc vitam & conversationem B. Virginis in hoc mundo, super communem aliorum sanctorum perfectionem elevat, & puritati Angelicæ sanctitatis consociat.

CAPUT XXXVI.

De Visione status gloriæ, & Angelorum, & cœlestis Hierarchiæ.

Circa contemplationem verò B. V. Mariæ in hac vita quo ad illa, quæ pertinent ad meditationem & visionem status gloriæ & glorificatorum secundùm dispositionem & ordinem triumphantis Ecclesiæ & cœlestis Hierarchiæ (cujus contemplationis actus & officium est, totis desideriis appetere Angelorum choris interesse & cœlestibus civibus admisceri) sciendum est: quod cùm inter septem Dona Spiritus S. supremum sit *Donum sapientiæ*, cujus actus & officium versatur circa contemplationem & visionem spiritualium & æternorum, sicut dicit Glossa assignans actus & proprietates uniuscujusque septem Donorum, primò quærendum & videndum est; utrum B. Virgo in sua contemplatione viderit sui ipsius animam per speciem propriam, & Angelos per species proprias, & dispositionem ac ordinem totius Ecclesiæ triumphantis per suas singulas Hierarchias?

Hujus autem gratia quæritur, utrum possibile sit animæ in hac vita videre sive cognoscere se ipsam per speciem? Et videtur, quod non. Dicit enim philosophus in principio de Anima; quòd omnino & penitus difficillimorum est accipere aliquam fidem de anima; quæcunque verò potentia sive virtus deficit circa actum faciliorem, deficit etiam circa difficiliorem. Facilius vero est quantùm ad animæ virtutem cognitivam aliquid apprehendere fide, quàm ratione. Quod patet, quia fides exigit simplicem assensum mentis, qui est voluntarius. Ratio verò habet in se

A. vim argumentationis, per quam mens cogitur ad assentiendum, sive velit, sive nolit. Ergo si difficillimorum est accipere fidem de anima, impossibilium quoddam est accipere aliquam cognitionem per rationem sive per speciem propriam de ipsa. Ratio hujus consequentiæ patet; quia dicit Philosophus 2. Rhetoricæ; quòd difficillimo prope est illud, quod est impossibile: ergo si difficillimorum est aliquid de anima credere, per consequens impossibile est aliquid de anima scire vel intelligere. Et ita videtur, quòd anima in hac vita nequaquam possit cognoscere sive intel-
B. ligere se ipsam.

Eodem modo videtur, quòd nec Angelos in hac vita possit videre, vel intelligere, quid sit Angelus. Dicit enim Philosophus 3. de anima; quod nihil contingit animam intelligere sine phantasmate; substantiæ verò separatæ, id est, insensibiles, incorporales, quales sunt Angeli, non habent facere phantasmata in imaginatione vel phantasia; cùm non sint substantiæ materiales: ergo non contingit eos apprehendi vel intelligi ab anima.

Similiter videtur, quòd impossibile sit
C. animam videre sive cognoscere DEum in hac vita per essentiam. Quia si anima humana deficit in hac vita circa apprehensionem & cognitionem finitorum, ergò multò fortiùs circa comprehensionem infiniti vel infinitorum. Substantiæ verò intellectuales, ùt Angeli & anima, sunt de numero finitorum: quia ùt dicit Ambrosius libro 2. de Spiritu Sancto: *Omnis substantia creata suæ essentiæ & virtutis certis terminis & finibus continetur*: ergo si anima humana deficit in hac vita circa apprehensionem sui ipsius & Angelorum, quæ sunt essentiæ & virtutis finitæ, multò
D. fortiùs deficit circa apprehensionem ipsius DEI, cujus essentia & virtus infinita: quia immensus Pater, immensus filius, immensus Spiritus Sanctus. Job XI. *Excelsior cœlo est, & profundior inferno; & unde cognosces eum?*

Istæ igitur rationes pro hac parte sufficiant ad præsens ad abbreviandam prosecutionem hujus materiæ & ad tollendum fastidium legentibus, quia meliùs fortè & planiùs declarabitur hæc materia in ipsarum rationum solutionibus.

CAPUT XXXVII.

Utrum possibile sit, animam in hac vita videre se ipsam & Angelos.

SCiendum, quòd circa istam materiam (videlicet utrum possibile sit animam in hac vita cognoscere vel videre se ipsam per speciem propriam, & pervenire etiam ad cognitionem vel visionem intelligentiarum secundùm philosophos, sive Angelorum secundùm Sacram Scripturam & theologos; & ultimò ad visionem ipsius DEI per suam essentiam) distinguendum sit: utrum ista quæstio quærat de possibilitate hujusmodi cognitionis animæ per naturam præcisè absq; adjutorio gratiæ; vel de possibilitate per gratiam, adjuvantem & elevantem animam ad hujusmodi visionis & cognitionis potentiam.

Si quæritur de possibilitate hujus cognitionis sive contemplationis animæ per suam naturam præcisè; sciendum: quòd circa hoc in genere & in summa est duplex positio. Una, quæ dicit: quòd anima per naturam præcisè nequaquam possit in hac vita pervenire ad cognoscendam & videndam se ipsam, vel intelligentiam Angelicam per speciem propriam. Cujus ratio videtur esse; quia, cùm in unaquaque re ista tria se invicem consequantur, videlicet essentia, virtus, & operatio; propter hoc uniuscujusque rei esse consequitur suum posse secundùm modum ipsius esse; & ipsum posse consequitur suum agere secundùm modum & mensuram ipsius posse. Unde sicut nihil potest in agendo transcendere suum posse (quia nihil agit ultra, quàm potest) ita & nulla potentia vel virtus agendi transcendit suam essentiam & modum sui esse.

Cùm igitur in humana anima attendatur duplex esse, videlicet suum esse conjunctum, & suum esse separatum (quod est suum esse post mortem, cum separata fuerit anima à corpore) propter hoc duplex potentia cognoscendi vel intelligendi distinguitur in anima; scilicet potentia phantastica, secundùm illud esse, quod habet in corpore; & potentia non phantastica, sed absoluta secundùm illud esse, quod habet extra corpus, separata à corpore: & per consequens duplex ordo intelligendo & cognoscendo; unus secundùm suum esse conjunctum, & alius secundùm suum esse separatum.

A. Ordo igitur, qui competit animæ in intelligendo secundùm suum esse conjunctum, est ille, secundùm quem processus fit *primò* à sensu ad imaginationem, abstrahendo formam imaginativam à materia sensibili. *Secundò* ab imaginata forma, abstrahendo speciem phantasticam in materia intelligibili acceptam. *Tertiò* abstrahendo speciem intelligibilem à phantasmate, & reponendo in intellectu materiali sive possibili & secundùm hos tres gradus est processus in ordine apprehensionis & cognitionis animæ, dum est in corpore, quæ incipit à sensu & sensibilibus. B. In ordine isto, incipiendo ab accidentibus, & perveniendo ad apprehensionem & intellectum substantiæ occurrunt qualitates, quæ sunt objecta sensus particularis: quia omne objectum sensus particularis est in tertia specie qualitatis, quæ est passio & passibilis qualitas, uti dicitur in prædicamentis. Deinde occurrunt quantitates, & objiciuntur sensui communi; quia omne objectum sensus communis est in genere quantitatis, videlicet numerus, magnitudo, figura, motus & quies; in quantum motus & quies mediante numero & magnitudine & figura apprehenduntur & di-C. scernuntur, ut dicitur 2. de Anima. Deinde substantia quantùm ad sui apprehensionem & cognitionem apprehenditur intellectu, ad cujus apprehensionem in genere substantiarum sensibilium, viam dant accidentia, quæ sunt objecta sensus particularis & communis, propter hoc dicit philosophus in proëmio librorum de anima, quòd accidentia conferunt magnam partem ad cognoscendum, quòd quid est. Et in tertio de Anima dicit, quòd nequaquam contingit intelligere sine phantasmate. Phantasmata verò in quantum sunt recepta D. ab imaginatione, recepta sunt cum his accidentibus ad minus, quæ sunt objecta sensus minus * quæ omnia nequaquam abstrahit phantasia; sicut dicit Boëtius in libro de Trinitate. Quod si à duobus corporibus omnia accidentia cogitatione separemus, locus tamen utrique erit diversus, quem eis unum esse nec fingere possumus.

* *Ita omnes tres Codd.*

Cùm igitur secundùm hunc ordinem in cognoscendo & intelligendo nihil sit in intellectu, quòd prius non fuit in sensu, secundùm quod dicit Boëtius: propterhoc dicunt quidam, quòd non sit possibile in hac

hac vita animam cognoscere sive videre se ipsam per speciem propriam; & per consequens nec aliquam substantiam separatam, sicut intelligentias vel Angelos, sive etiam ipsum DEum per suam essentiam. Et hoc videtur etiam Augustinus sentire libro XII. super Genes ad liter: dicens; *Nemo DEum videre potest vivens ista vita; nisi huic vitæ aliquo modo moriatur, sive omnino exiens à corpore, sive ita aversus & alienatus à sensibus corporis: ut meritò nesciat, sicut Paulus, utrum in corpore vel extra corpus sit.*

CAPUT XXXVIII.

Distinctio Solutionis & Rationis in contrarium.

QUòd autem solet dici in contrarium, quòd intellectus intelligat se ipsum per reflexionem sui super se: quia differentia dicitur in hoc inter sensum, qui est virtus materialis, & inter intellectum, qui est virtus immaterialis, quòd sensus non potest reflecti super se in actu sentiendi, quia oculus non potest videre se ipsum: intellectus verò potest se reflectere super se ipsum ratione suæ immaterialitatis: Unde intellectus potest intelligere se ipsum; juxta quod dicit philosophus 3. de anima: Quod intellectus intelligat se sicut alia intelligibilia: & pro tanto dicunt, quòd anima possit etiam in hac vita intelligere & videre se ipsam & quamlibet substantiam separatam: istud videtur non bene nec sufficienter dictum esse. Quia cognoscere aliquid de re aliqua est duplex; videlicet vel cognoscere de re, an sit: vel cognoscere, quid sit ipsa res. Cùm ergo intellectum dicimus intelligere se ipsum sicut alia intelligibilia, hoc ita videtur accipiendum; quòd intellectus hoc modo cognoscit de se ipso, an sit; quia intellectus non intelligit se, nisi per operationem suam intellectam. Sed hoc modo anima intellectiva non intelligit de se, quid sit; sed quòd sit, intelligens tantùm. Sicut sensus communis, qui dicit, video me videre vel sentio me sentire; hic actu videt vel sentit tantùm: quòd videns & sentiens sit; sed non, quid visus vel sensus sit secundùm suum esse specificum & proprium.

Unde sicut concludendo ex viis & modis, quibus ratio dividendo & distinguendo apprehendit, quòd anima est substantia, ut forma corporis organici physici primò vitam habentis; consequenter scimus, A. quòd talis substantia anima sit: nondum tamen cognoscimus animam secundùm speciem propriam: ita etiam cognoscendo, quòd intelligere est speciem intelligibilem à phantasmate abstrahere & in intellectu possibili reponere, nondum cognoscimus vel videre possumus animam intellectivam per speciem propriam, sed solùm operationem ejus intellectivam: per quam de ipsa scimus, quòd intelligat & intelligens sit.

Ex his ergo patet; quòd secundùm ordinem illum & processum in cognoscendo & intelligendo, quo utitur anima conjuncta B. secundùm suum esse conjunctum, non est possibile animæ per naturam videre sive cognoscere se ipsam per speciem propriam; & per consequens nec aliquam substantiam separatam.

CAPUT XXXIX.

Rationes ad hoc, quòd anima non possit intelligere & videre se ipsam in hac vita.

QUòd autem intellectus hoc modo possit intelligere se ipsum per suam speciem propriam, videtur ex eo: quòd species intelligibilis in intellectu passibili habeat se, sicut quo intelligit anima; & non C. sicut quod intelligitur: sicut species coloris in visu habet se ad oculum, sicut quo videtur; & non sicut quod videt. Quod enim videtur, est ipse color; sed quo videtur, est species coloris. Si igitur intellectus intellexit se ipsum per speciem propriam, ergo ipsa species erit, quo intelligit anima & quod intelligitur. Nihil autem idem potest esse simul, ut agens & passivum respectu ejus: quia nihil educit se ipsum de potentia in actum. Anima autem ùt intelligens se ipsam habet se ùt activè & reflexivè super se ipsam, pro ùt intellecta verò à se ipsa habet se ùt passivè & susce- D. ptivè sui ipsius à se ipsa. Et hoc est, quòd alii dicunt; quòd anima in cognoscendo se habet ad se ipsam ùt objectivè & subjectivè. Cui dicto concordat Claudianus in libro suo de quantitate animæ dicens; quòd *anima nunc cognoscit res ùt subjecta rebus super objectis; nunc verò ut super objecta rebus subjectis.*

Præterea ponentes, quòd anima intelligit se ipsam sive cognoscat per speciem propriam, dicunt, quòd abstrahendo se à se intelligat se per se. Quæritur ergo, utrùm abstrahat se à se tanquam formam à materia, vel tanquam universale à particulari.

 Sed

Sed non tanquam formam à materia; quia non habet materiam tanquam partem sui; cùm ipsa sit substantia ut forma tantùm, ut dicitur 2. de anima. Si verò tanquam universale à particulari abstrahit se à se; cùm ergo uniuscujusque hominis sit sua anima propria in suo corpore individuata: ergo unusquisque homo abstrahendo à singulis animabus, vel à sua anima propria universaliter animam in communi, per consequens non intelliget animam, nisi in communi, & nequaquam suam animam vel alterius per speciem propriam: sicut abstrahendo ab individuis singulis hominem in communi, non cognoscimus Socratem vel Platonem secundùm speciem propriam; sed speciem hominis in communi, sicut dicit Augustinus de Trinitate libro decimo c. 3.

Adhuc videtur, quòd nequaquam anima abstrahat se à se tanquàm universale à particulari: quia omnis abstractio non fit, nisi à materia. Unde in non habentibus materiam, quæ sunt formæ per se subsistentes, non est accipere aliquid, à quo fiat abstractio: ergo non est ibi accipere rationem particularis, à quo fiat abstractio; & per consequens nec rationem universalis, quæ abstrahatur: cùm ipsæ formæ sint per se separatæ; licet aliqui contrarium dicant: ergo anima non intelligit se abstrahendo se à se.

Ex istis ergo rationibus & multis aliis videtur, quòd anima non possit in hac vita intelligere se ipsam secundùm speciem propriam, & per consequens nec intelligentiam.

CAPUT XL.

Rationes in oppositum, quòd possibile sit animam intelligere & videre se ipsam.

Alia verò positio est satis communis & famosa; quòd intellectus speculativus hoc modo fit intellectus adeptus; quod ex omnibus speculatis convertatur super se ipsum aspiciendo, quanta sit virtus sua, & quis & quantus ipse sit; & ex hoc secundo gradu convertit se aspiciendo ad intelligentias eodem modo; & deinde tertio gradu ad ipsum primum, in quo perficitur & terminatur aspectus ipsius. Cui dicto videtur Augustinus concordare libro 10. de Trinitate cap. 5. dicens: quòd, quia anima sic agit & agitur per imagines rerum corporalium, quasi sui sit oblita; præcipitur ei, ut se ipsam cognoscat & se ordinet sub eo, cui est subdenda; ut, à quo debet

A. regi; & supra ea, quibus est præponenda, tanquam super ea, quæ ipsa regere debet. Et ad hoc videtur facere, quod dicitur in libro de Anima & Spiritu: *Animus corporis Dominator & Rector & inhabitator videt se ipsum per semet ipsum: nec ad hoc quærit auxilium corporalium oculorum; imò ab omnibus corporis sensibus tanquam impedientibus abstrahit se à se: ut videat se in se, & noverit se apud se.*

Præterea Augustinus in libro de quantitate animæ videtur velle, quòd per recollectionem virtutum animæ in se ipsam, & per abstractionem imaginabilium à sen- B. sibus, & intelligibilium ab imaginabilibus, & separationem incorporalium & spiritualium à materialibus & eorum conditionibus, & conjunctionem & unionem in ultimo ipsorum, possibile sit animæ videre se ipsam & Angelos & ipsam essentiam Deitatis. Unde declarando hunc modum dicit: *Sensus vertetur in imaginationem, imaginatio in rationem, ratio in intellectum, intellectus in intelligentiam, intelligentia in ipsum DEum.*

Ad hoc ipse Augustinus libro nono de Trinitate & libro decimo quasi per totum laborat ad ostendendum; quòd possibile C. sit animam videre se ipsam per se ipsam: & non solum, an sit, sed quid sit ipsa anima. Unde eodem libro decimo cap. 10. dicit: *Mens novit se, etiam dum quærit se. Non dicitur autem aliqua res sciri, dum ejus substantia ignoratur. propter quod dum mens se novit, substantiam suam novit: & cùm de se certa sit, de substantia sua certa est. Ergo videtur, quòd intellectus non solùm intelligat, se intelligere: sed etiam intelligat se ipsum, quid sit per suam substantiam.*

Item Augustinus in eodem libro 10. c. 9. *Cùm dicitur menti, ut cognoscat se ipsam, non illo modo hoc est intelligendum; sicut* D. *cùm dicitur homini, vide faciem tuam; quòd, nisi in speculo, fieri non potest: Quia ipsa facies absens est ab eo loco, quo visus dirigi potest. Cùm autem dicitur menti, cognosce te ipsam, eo ipso, quòd sibi ipsi præsens est, & intelligit, quod ei dicitur, intelligit se ipsam; quia hoc dicto præcipitur illud ei, ut faciat; quod eo ipso facit, quòd id, quod præceptum sibi est, intelligit.*

Præterea, sicut sensus habet se ad sentiens, ita & intellectus ad intelligens: sed sicut sentiens non sentit, nisi sentiat sentire aliquo sensu, qui dicit, sentio me sentire

sen-

sensu communi: scilicet ita intelligens non intelligit, nisi intelligit se intelligere aliquo intellectu, qui dicat, intelligo me intelligere. Ergo sicut sensus tali modo sentit se sentire: ita & intellectus intelligit se intelligere; juxta illud: *Nihil scit, qui se scire nescit.*

Quòd autem non requiritur alius intellectus communis ad hoc, quòd intellectus intelligat se intelligere, sicut exigitur sensus communis ad hoc, quòd sensus percipiat se sentire, inde est: quòd sensus est virtus materialis & in corpore; & propter hoc sensus nullus particularis reflectitur super se ipsum, ut possit dicere: video me videre, vel audio me audire. Unde necessarius fuit sensus communis, tanquam cognitor & judex sensuum & sensibilium particularium. Sed intellectus est virtus separata & immaterialis; & propter hoc potest reflecti ùt idem super se ipsum ùt cognitor & judex sui ipsius: & non fuit necessarius alius intellectus, ùt communis, quo perciperet se intelligere; sed suum intelligere percipit per se ipsum. Hoc autem non potest, nisi intelligendo sui ipsius speciem & naturam. Ergo intellectus intelligit se ipsum per suam speciem & naturam.

CAPUT XLI.

Utrum anima indigeat adjutorio gratiæ ad intelligendam se ipsam.

DAto autem, quòd anima possit se ipsam videre sive intelligere in hac vita per speciem propriam; & consequenter pervenire ad cognoscendum & videndum intelligentias, id est, Angelos per species proprias (ut quidam philosophi & maximè Arabes, uti Avicenna & Algazel, hujus positionis quasi primi & præcipui authores dixerunt) dubitari potest; utrum anima in hac vita per suam naturam præcisè absque adjutorio gratiæ pervenire valeat ad hunc gradum apprehensionis & cognitionis suæ.

Ratio autem & necessitas hujus inquisitionis consurgit ex eo; quòd prædicti philosophi, & etiam quidam Doctorum imitati vias & vestigia eorum, expressè in suis summis & scriptis quibusdam inveniuntur dicere, quòd anima humana per quandam dispositionem & præparationem ulterioris purificationis & contemperationis humanæ complexionis cum abstinentia vitiorum & cum exercitio virtutum, & usu vacandi speculationi & contemplationi

A. spiritualium & incorporalium, possit ad hunc gradum apprehensionis & visionis pertingere: & per hunc modum dicunt, quasi ex natura, virtute propria bene regulata quosdam prophetas & sapientes fieri, & esse, ac fuisse. Apparet enim ex scriptis & libris eorum; quòd de operatione vel cooperatione gratiæ ad adjuvandam & perducendam animam ad hunc gradum nullam fecerint mentionem, ita quod circa hanc materiam tractatam ab eis nec incluserunt gratiam nec excluserunt.

CAPUT XLII.

B. *Quòd sine adjutorio gratiæ nequaquam anima possit se ipsam intelligere in hac vita.*

QUòd autem humana anima in hac vita ad hunc gradum perfectionis suæ visionis & contemplationis non possit pertingere absque adjutorio gratiæ, videri poterit his rationibus. Quia in virtutibus habentibus se ad invicem secundùm ordinem superioris & inferioris, virtus inferior de se non extenditur ad operationes & actus virtutis superioris. Sed natura & gratia habent se ad invicem secundùm ordinem superioris & inferioris: quia gratia est superior naturâ. Ergo virtus naturæ non potest se per se extendere ad operationes & actus attributos gratiæ. Sed cognoscere sive apprehendere in se spiritualia & invisibilia, ùt animas & Angelos, pertinet ad proprietates & actus Doni sapientiæ secundùm Glossam: ergo ad apprehendendum animas & Angelos per species proprias, virtus naturalis cognitionis non potest se extendere per se absque adjutorio gratiæ illius, quæ est Donum sapientiæ.

Præterea isti tres status habent se secundùm ordinem ad invicem in apprehendendo & cognoscendo, videlicet status D. naturæ & gratiæ & gloriæ secundùm triplex lumen scilicet naturæ, gratiæ & gloriæ proportionatum visioni & statui unicuique. Sicut ergo anima secundùm communem statum gratiæ non potest se extendere lumine fidei præcise ad apprehendendum & videndum illa, quæ habent videri in lumine gloriæ (quia ut dicitur 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*) nisi nova illustratione adjuvetur & elevetur, uti fit in extasi & in raptu: ita etiam secundùm statum naturæ non potest se extendere lumine naturalis intelligentiæ

præ-

præcisè ad apprehendendum illa, quæ habent per gratiam percipi lumine fidei vel revelationis & illuminationis consimilis lumini gloriæ, ùt fit in extasi vel in raptu. Sed videre animas vel Angelos per species proprias excedit lumen fidei præcisè, quæ ad hunc gradum visionis indiget superioris luminis illustratione videlicet Doni sapientiæ, vel luminis consimilis lumini gloriæ juxta illud Ps. *In lumine tuo videbimus lumen.* Ergo multò fortiùs lumen naturalis intelligentiæ ad hunc modum seu gradum visionis & contemplationis indiget superioris luminis illustratione, & per consequens non potest se de se præcisè ad hoc extendere.

Psal. 35. 10.

Item omnis cognitio animæ vel est per speciem à rebus abstractam & acceptam, vel per speciem mente conceptam, vel per speciem ab intelligentia influxam. Si igitur anima apprehendit & cognoscit se ipsam, hoc erit vel per speciem extra à rebus abstractam & acceptam, vel per speciem intus mente conceptam, quarum utraque est phantastica: substantiæ verò spirituales sive intellectuales non habent facere phantasmata in anima. Ergo anima non potest cognoscere se ipsam nec intelligentiam Angelicam per speciem à rebus extra acceptam, vel mente intus conceptam.

Quod verò non possit per speciem influxam, patet tali ratione. Omne quod quis novit, vel inveniens vel addiscens novit. Si ergo anima naturali cognitione præcisè absque adjutorio gratiæ potest apprehendere & cognoscere se ipsam vel etiam intelligentiam angelicam per speciem sibi ab intelligentia superiori influxam, sive impensam (sicut vult Avicenna, quòd per hunc modum anima possit cognoscere intelligentiam angelicam) quæritur; utrum anima hoc modo apprehendat intelligentiam angelicam inveniendo, vel addiscendo? Et patet, quòd non per viam propriæ adinventionis: quia in hac via est processus à sensibilibus & sensu ad memoriam, & à memoria ad experimentum, & ab experimento ad universale, ut dicitur in principio Metaphysicæ. Apprehendere verò substantias intellectuales ex sensibilibus non est possibile isto modo: cùm iste modus sit per abstractionem a phantasmatibus. Ergo non est possibile per viam inventionis propriæ pervenire ad apprehendendum quidditatem animæ & intelligentiæ angelicæ.

Similiter patet, quòd nec addiscendo sive per viam doctrinæ potest anima pervenire ad hunc gradum apprehensionis & cognitionis. Quia hoc aut fieret ordine naturæ, aut præter ordinem Naturæ. Si fieret ordine naturæ, id est, naturalis consequentiæ, per illum modum, quòd facta abstractione seu separatione ab omnibus umbris phantasmatum, & specierum phantasticarum, à lumine superioris intelligentiæ quasi à docente & revelante imprimerentur animæ species intelligentiæ, sicut lux solis remotis umbris & nebulis aëris de necessitate imprimitur aëri purgato ab ipsis quasi remoto prohibente: ergo unicuique hominum ad hunc gradum abstractionis & separationis pervenienti de necessitate imprimerentur hujus modi species ad videndas & apprehendendas intelligentias angelicas quoad suas quidditates & essentias: & tunc secundùm dictum Aristotelis in libro de somno & vigilia, nulla esset ratio, quare non potiùs solis bonis & mundis hominibus, & non quibuslibet pravis & immundis possibile esset cognoscere & videre Angelos.

Si verò fieret præter ordinem vel supra talem ordinem naturæ, tunc relinquitur, quòd fieret ordine dispensationis divinæ; quæ præter & supra naturam omnia potest, quæ voluerit. Secundùm quam dispensationem hujusmodi gratiæ datæ gratis non solùm bonis dantur, sed etiam malis propter bonos, sicut spiritus propheticæ datus Balaam & Caiphæ. Propter quod hujus quæstionis determinationem in medio relinquentes, ad propositum revertamur, ad quod pleniùs declarandum prædicta omnia sunt inducta.

CAPUT XLIII.

Qualiter in B. Virgine remota fuerint, quæ impediunt perfectam contemplationem in hac vita.

SAnè igitur & rectè dici potest de contemplatione & visione B. Virginis in hac vita; quòd, cùm ipsa fuerit in summæ perfectionis statu quoad naturam & gratiam, in quantum ipsa fuit viator simpliciter, & comprehensor secundùm quid: & propter hoc tanquam gratia plena, interpretatione largissima in nulla gratia ab aliquo illustrium superetur: & omnia scire & cognoscere & videre sit magna gratia: cùm ignorantia sit culpæ primi hominis & omnium posterorum suorum non minima pœna;

pœna; à qua culpa B. Virgo fuit totaliter liberata & exempta & per consequens ab ignorantiæ pœna (de necessaria consequentia oportet dicere & tenere; quòd nullius rei ignorantiam, sed plenam scientiam & cognitionem habuerit omnium scibilium & cognoscibilium, quantum puræ creaturæ persummam & specialem gratiam communicabile fuit circa perfectam notitiam operum Conditionis & reparationis & gratificationis & consummationis & glorificationis, & Divinæ Trinitatis & Unitatis; in cujus cognitione consistit substantia totius beatitudinis) juxta illud Sap. 7. *Ipse DEus dedit mihi eorum, quæ sunt, scientiam veram: ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum &c.*

Cùm enim B. Virgo quantùm ad naturam & gratiam fuerit sufficienter præparata & disposita per illa tria, quibus removeri habent impedientia perfectam contemplationem in hac vita; videlicet *primò* à peccati infectione per originalem in utero sanctificationem & sacramentalis gratiæ plenam participationem, & fomitis extinctionem & conscientiæ perfectam emundationem; *Secundò* à temporalium affectione per opera carnalis castigationis & spiritualis exercitationis, & merita ultimæ supererogationis, quæ est omnia relinquere & se ipsum superaddere; *Tertiò* à virtutum animæ extra se divisione & dispersione, non per imaginabilium à sensibilibus, & intelligibilium ab imaginabilibus, abstractionem, & per actuum ipsius animæ unionem, & inferiorum in superiores reductionem & conversionem, sed per passionum consopitionem & cessationem sine raptu vel extasi & stupore cum libera mentis meditatione; juxta illud Psal. 76. 7. Psalm. *Meditatus sum nocte cum corde meo,* id est, in somno & quiete liberæ contemplationis; *& exercitabor, & scopebam spiritum meum;* id est, purgabam à vanis & vagis rerum corporalium imaginibus, à superfluis & noxiis cogitationibus & delectationibus, & à fallaciis rerum dissimilium, proportionibus & collationibus: Cùm etiam fuerit quantùm ad gratiam in contemplatione sua elevata nullo deprimente, & liberata nullo retinente, vel retrahente, sed adjuta DEO descendente & attrahente & manu ducente; juxta illud Cant. 1. *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Ubi fuit inebriata ab ubertate Domus DEI, & torrente voluptatis Divinæ potata; propter hoc in sua contemplatione non vidit per speculum in ænigmate; sed per speculum in lumine & lumen in lumine. Bernardus: *O in quanto mentis culmine stetit, quæ in tantum mente & virtute se ad cæli fastigia sublevavit; ut verbum, quod erat in principio apud DEum, de sinu DEI Patris ad se & in se trahere potuerit?*

CAPUT XLIV.

De octo modis, quibus B. Virgo in sua contemplatione vidit spiritualia & corporalia.

Quia igitur B. Virgo in hac vita fuit in statu viatoris simpliciter, & in statu comprehensoris secundùm quid; consequenter vidit in sua contemplatione partim secundùm statum supremum viatoris simpliciter, & partim secundùm statum comprehensoris secundùm quid. Cùm itaque omnis cognitio de pertinentibus ad statum viæ vel patriæ provenire habeat homini in hac vita ex uno istorum octo modorum videlicet vel per naturam, vel per gratiam, vel per revelationem, vel per inspirationem divinam, vel per causam, vel per experientiam propriam, vel ex speculo lectionum, vel ex studio scripturarum: B. Virgo in hac vita quantùm ad ea, quæ pertinent ad statum patriæ, vidit & cognovit in sua contemplatione excellentiùs supra soporem Adæ, supra extasim Prophetarum, supra raptum Pauli, & supra revelationem Joannis in Apocalypsi *primò* mysterium Trinitatis & Unitatis Divinæ facie ad faciem: & hoc per summam & specialem gratiam summæ & proximæ amicitiæ & familiaritatis cum DEO & ad DEum: per quam non sopiebatur in sua contemplatione, sicut Adam in statu innocentiæ; nec extasim patiebatur, sicut prophetæ; nec trahebatur in spiritu sicut Joannes in Apocalypsi; nec rapiebatur, sicut Paulus; tanquam esset minùs disposita & alleviata & elevata & purificata ad improportionalitatem & excessum luminis suæ contemplationis & divinæ revelationis; sed tanquam Divinitatis domestica & amica manu ducebatur & introducebatur in Divinitatis arcana. Bernardus: *Jure Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam divinæ sapientiæ lucem ultra, quàm credi valeat, intravit & penetravit: ut, quantùm sine personali unione pro-*

pria creaturæ conditio patitur, illi profundæ abyssi divini luminis videatur immersa; quam non decuit ipso lumine quasi ex parte tangi, sed ipso sole Divinitatis undique circumfundi, & lumine contemplationis velut vestimento amiciri, & vel undique ipso Deitatis igne medio concludi.

Secundò vidit contemplando statum gloriæ Ecclesiæ triumphantis & regni cœlestis; & hoc in speculo lectionum scripturarum & revelationum divinarum. Jobi 28. *Omne pretiosum vidit oculus ejus; profunda quoque fluviorum scrutatus est; & abscondita in lucem produxit.*

Tertiò vidit in ipsa contemplatione Angelos, & animam suam per speciem propriam, & omnem cœlestem Hierarchiam: & hoc per naturam in summo purificatam, & per gratiam consummatam; & hoc subtiliùs & sublimiùs quàm vidit Isaias Isa. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum &c.*

Quartò quoque cognovit post DEum excellentiùs & pleniùs mysterium incarnationis; & hoc per singularem gratiam & personalé experientiam, quòd secundùm Bernard. *Soli sibi datum fit plenè nosse, cui soli datum fuit personaliter experiri.* Juxta illud Luc. 2. *Maria ergo conservabat omnia verba, conferens in corde suo.*

Quintò etiam cognovit & scivit gratiam suæ prædestinationis; & hoc per causam & revelationem divinam: quia sciebat se esse Matrem DEI; quam impossibile & inconveniens esset alibi, nisi in regno filii sui, ad ipsius dexteram perpetuò collocari: secundùm illud 3. Reg. 1. *Positus est thronus Matri Regis juxta Regem, quæ sedit ad dexteram ejus.*

Sextò vidit & cognovit in secreto suæ contemplationis omnia ad statum viæ facientia & perficientia in his, quæ credenda sunt & agenda; & hoc per inspirationem & sacræ scripturæ scientiam & lectionem juxta illud Oseæ 2. *Ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.*

Septimò vidit in sua contemplatione omnia circa se & electos futura; & hoc per specialem revelationem. Quod patet à minori per Abraham, de quo dixit Dominus Gen. 18. *Num celare potero Abraham, quæ facturus sum; cùm futurus sit in gentem magnam & robustam?* Sed ipsa fuit futura mater omnium, & in ipsius ventris A fructu benedicendæ erant, & benedictæ sunt omnes generationes electorum; ergo Beata Virgo in sua contemplatione omnia circa se & electos futura vidit & præscivit.

Octavò vidit & cognovit in sua contemplatione omnes creaturas stantes, & totius mundi & Ecclesiæ constitutionem & gubernationem & finalem consummationem; & hoc per inspirationem & revelationem & scripturarum cognitionem ac lectionem. Quod patet à minori per Danielem, cui dictum fuit Daniel. 10. *Docebo te, quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus; & annuntiabo tibi, quod* B *expressum est in scriptura veritatis, quia vir desideriorum es.* Sed ipsa fuit Mater desideriorum, desiderans & solicitans pro statu & salute totius militantis Ecclesiæ: quia ipsa quotidie subvenit ruinæ generis nostri ante Dominum, & nunquam in perpetuum desinet subvenire. Ergo in illa sua contemplatione vidit & cognovit statum & gubernationem ac consummationem omnis creaturæ stantis, & totius Ecclesiæ militantis: quæ in fundamento meritorum & misericordiarum ipsius Reginæ misericordiæ in perpetuum sustentatur apud DEum. C

CAPUT XLV.

Qualiter & cum quibus B. Virgo post Ascensionem Domini fuerit conversata.

Istis igitur secundùm ordinem à principio propositum præhabitis de vita activa & cotemplativa B. Virginis, restat pertrahere illas reliquas quæstiones in principio secundæ partis hujus operis propositas; videlicet qualiter & cum quibus B. Virgo post Ascensionem Domini fuerit conversata: & quanto tempore deinceps sub cura Joannis Evangelistæ manserit; & utrum aliqua signa in hac vita adhuc manens D fecerit; & quare vita ipsius & miracula, si quæ fecit pro illo tempore, per aliquam scripturam authenticam conscripta & declarata non fuerint. Ultimò verò, quid de ipsius transitu & assumptione in anima & in corpore secundùm substantiam & piam fidem & doctrinam Ecclesiæ sit sentiendum & tenendum.

Qualiter verò & cum quibus fuerit conversata post Resurrectionem & Ascensionem Domini usq; ad Spiritus S. adventum & descensionem super Apostolis Hieronymus innitens verbis Lucæ Act. 2. dicit expressè: quòd cum aliis sanctis mulieribus & co-

& cognatis suis, quæ Dominum à Galilæa A. secutæ fuerant, conversata fuerit cum Apostolis sub cura Joannis Evangelistæ; cui à Domino fuerat commendata, ut virgo virginem servaret & curam ejus suppeditaret. Qui usque ad sanctum ipsius transitum de hoc mundo, fideli & condigno ministerio & obsequio ei ministravit, ut de hoc superiùs dictum fuit.

Quanto verò tempore usque ad suum obitum sub ipsius Joannis cura manserit, ad hujus inquisitionem & inventionem ejus, quod circa hoc magis probabiliter dici potest, duo sunt priùs præmittenda, tanquam hujus investigationis fundamenta. B. Primum est, quòd Beata Virgo in Jerusalem obierit, & in valle Josaphat sepulta sit; sicut Hieronymus planè dicit. Secundum verò est, quòd sub cura Joannis usque ad obitum semper manserit. Necesse est ergo, quòd secundùm hæc ante obierit, quàm Joannes de Jerusalem in Asiam ad prædicandum transiverit; & antequam Petrus de Antiochia Romam ibidem usque ad suam passionem mansurus pervenerit.

Hoc autem patet ex eo; quòd Dionysius in libro de Divinis nominibus expressè dicit: quòd in transitu B. Virginis inter- C. fuerint Petrus & Jacobus Frater Domini, sic loquens ad Timotheum. *Nos enim, ut nosti, & ipsorum multi sanctorum fratrum nostrorum convenimus ad divisionem corporis vitæ Principis, quod DEum suscepit. Aderant autem & frater Domini Jacobus, & Petrus summa & provectissima Theologorum sublimitas &c.* Petrus autem & Joannes post passionem Domini anno XVII. adhuc Jerosolymis erant; quod patet: quia dicitur in Epistola ad Gal. circa principium; quòd Paulus post suam conversionem, anno tertio post passionem Domini ascenderit Jerosolymam videre Petrum, & man- D. sit cum eo diebus quindecim: & deinde post annos quatuordecim iterum ascendit Jerosolymam & contulit Evangelium cum Jacob, Petro & Joanne, & una cum Barnaba accepit ab eis societatem & communionem Apostolatus. Apostoli verò anno XIII. post passionem Domini fuerunt per Orbem divisi: & Petrus post divisionem Apostolorum per quatuor adhuc annos remanserat in Judæa, antequam iterat Romam, & Joannes in Asiam, ùt scribitur in Ecclesiastica historia. Ergo consequens est juxta hanc computationem, ut B. Virgo obierit Jerosolymis, antequam Petrus ultimò veniret Romam & Joannes in Asiam.

Unde etiam patet; quòd illud quod in Legenda de Dormitione B. Virginis scribitur, quòd Apostoli ad ipsius obitum de omnibus mundi partibus, ad quas divisi fuerant, sint miraculosè congregati, apocryphum sit quantùm ad auctoritatem, quia nescitur, quis illam legendam scripserit: & quantùm ad veritatem, quia repugnat ei; quod Dionysius, ùt supra dictum est, scribit Petrum & Jacobum ibidem interfuisse, non faciendo mentionem de aliis aliquibus Apostolis, quos, si aliqui eorum ibi etiam præsentes fuissent, utique similiter expressisset. Joannem verò non nominavit, eò quòd ipsum ibidem interfuisse tanquam custodem & procuratorem Virginis, dubium nullum esse potuerit: sicut etiam Hieronymus scribit, ipsum Joannem B. Virginis curam semper usque ad ipsius transitum habuisse.

Consequens igitur est, quòd secundùm prædictam rationem & computationem B. Virgo post passionem Domini infra spacium illorum XVII. annorum transiverit de hoc mundo; cùm Petrus & Joannes adhuc erant, ùt prædictum est, Jerosolymis constituti ex eo, quòd Petrus & Joannes secundùm Dionysium ad ejus transitum & exequias interfuerint. Licet enim pium sit credere, quòd omnes Apostoli de partibus diversis ibi virtute & voluntate divina potuerint congregari, ùt habetur in prædicta legenda apocrypha: utrum tamen ibi fuerint congregati, dubitare non est impium propter incertitudinem illius Legendæ & Auctoris ipsius.

Quo verò anno illius temporis, annorum XVII. post passionem Domini B. Virgo transiverit de hoc mundo, satis est incertum, & difficile invenire, & temerarium diffinire. Ad hujus autem dubii inquisitionem secundùm aliquam probabilem conjecturam (quia de hoc non potest haberi certa & determinata veritas) oportebit recurrere ad illum numerum annorum, quem B. Virgo credi potest probabiliter attigisse, quando concepit & peperit Christum. Illo enim numero habito, quacunque conjectura vel probabili ratione, & additis annis ætatis Christi usque ad suam passionem, deinceps reliquum tempus ætatis B. Virginis usque ad suum obitum oportebit accipere à passione Domini usque ad

ad XVII. annum, vel infra, & nequaquam A
ultra secundùm prædictam rationem & computationem.

Et notandum, quòd secundùm istam computationem, sequendo illud, quod dicitur in Epist. ad Galat. quòd Paulus post XVII. annos à sua conversione adhuc invenerit Petrum Jerosolymis cum Jacobo & Joanne; nequaquam possit stare illud, quod communiter dicitur, quòd Petrus, postquam Antiochiæ sedit septem annis, anno quarto Claudii Imperatoris venerit Romam, & ibi sederit viginti quinque annis. Quoniam annus quartus Claudii fuit post passionem Domini annus Quintus B
Decimus: nisi dicatur, quòd Petrus bis fuerit Romæ, ita quòd prima vice redierit de Roma in Jerusalem, & deinde iterum sit reversus Romam, & ibi passus.

CAPUT XLVI.

Quot annorum fuerit B. Virgo, dum Christum concepit, & quot dum passus fuit.

SUpposito ergo, quod dicit Anselmus in Sermone de B. Virgine, qui incipit: *Omnium Domina:* quod gratiam, quam Spiritus Sanctus in B. Virgine incepit, & inceptam auxit, & auctam confirmavit, ut, sicut per temporum incrementa corpore, C
ita quoque mente cresceret augmentata gratia & virtute: necesse est credere, per consequens & tenere; quòd B. Virgo plenitudinem gratiæ, quam Angelo teste in se tunc perfectam habuit, cùm ei conceptionem & partum filii DEI nuntiavit, non simul & semel, sed per gradus & augmenta virtutis assecuta fuerit: Sancto Spiritu ipsam quotidie de virtute in virtutem promovente & procedere faciente. Videlicet primò in utero originali sanctificatione; secundò ex utero gratiarum infusione; tertiò in vita & opere, virtutum exercitatione; quartò angelica salutatione & allocu- D
tione, & Divini oraculi ac mysterii incarnationis nuntiatione; quintò sui ipsius humiliatione, & fidei ac consensus præstatione; sextò & ultimò Sancti Spir. superventione, & Filii DEI conceptione, per quam in ipsa fuit plenitudo omnis gratiæ consummata.

Sic etiam consequens est hoc credere & tenere; quòd tunc, cùm filium DEI Angelo annuntiante concepit, perfecta fuerit etiam secundùm naturam corpore & ætate. Quia, sicut gratia naturam simpliciter, ita perfectio gratiæ præsupponit perfectionem naturæ. Cùm igitur in mulieribus tempus ultimũ, usq; ad quod possunt concipere & parere, determinatum sit à Physicis usque ad quinquaginta annos; tempus verò minimum usque ad duodecim annos: inter hæc autem duo tempora tempus medium sit perfectissimum; quod est sumendum per additionem medietatis triginta octo annorum, quæ medietas est novendecim anni, ad duodecim annos, qui faciunt triginta annos & unum: ergo B. Virgo secundùm prædicatam æstimationem, supposita perfectione media & optima sui corporis & ætatis ad conceptum & partum perfectissimum, satis probabiliter credi potest tunc fuisse unius & triginta annorum, cùm concepit & peperit Christum.

Christus autem secundùm computationem Lucæ quarto fuit triginta annorum, cùm baptizatus fuit à Joanne: & deinde secundùm computationem sumptam & extractam ab Evangelio, Joannes passus fuit à nativitate sua anno trigesimo secundo, & de tertio anno tantum, quantum est à die nativitatis Domini usque ad diem passionis; & ab incarnatione sua, quæ facta fuit in die annuntiationis hora sexta, anno trigesimo quarto completæ: ita quod eadem die & hora conceptus & vivificatus fuit in ventre Virginis, & extentus & mortuus in cruce completis triginta quatuor annorum annis à die conceptionis & incarnationis usque ad diem passionis.

Cùm igitur B. Virgo in conceptione Christi unius & triginta annorum fuerit secundùm prædictam computationem; & Christus ab ipsa die conceptionis suæ usq; ad diem passionis completè fuerit triginta quatuor annorum: relinquitur, quòd B. Virgo in passione Domini fuerit ætatis suæ annorum sexanginta quinque.

CAPUT XLVII.

Quot annorum ætatis suæ fuerit B. Virgo, dum obiit.

QUanto autem tempore deinceps vixerit sub cura & custodia Joannis usque ad transitum de hoc mundo, licet de hoc nulla scriptura authentica habeatur, & per consequens hujus rei veritas nesciatur, quid tamen de hoc vero similius esse potest, à simili sic poteris accipi. Quia, cùm sicut dicit Augustinus in Epist. Joannis, respectu mortis exspectandæ & suscipiendæ, alia & alia ratio attendatur in eis, qui sunt imperfecti, & alia, in his qui sunt perfecti; quia imperfecti mortem non desiderant, sed tamen

men venientem cum patientia tolerant; perfecti verò vitam præsentem habent in patientia & mortem in desiderio: cùm igitur B. Virgo post ascensionem filii in sua mediatione & exercitatione desiderii circa amorem ipsius Christi ineffabilibus urgeretur affectibus, quanquam habens vitam præsentem in patientia & mortem in desiderio; & B. Virgo præ desiderio & amore filii, non verò præ dolore corporali mortua fuerit juxta illud Cant. 2. *Filiæ Jerusalem, nuntiate Dilecto, quia amore langueo*: vero simile est, quòd filius suus ipsius vocationem ad se de hac vita post suam ascensionem nequaquam in longum distulerit. Quia ut dicitur Prov. 13. *Spes, quæ differtur, affligit animam*. Satis igitur convenienter potest illud sustineri, ut scribit Bartholomæus, quòd secundùm quasdam revelationes factas quibusdam sanctis & devotis ipsius Virginis ipsa B. Virgo post ascensionem Domini septem annis vixerit in Domo Joannis sub ejus cura constituta, ita quòd totum tempus, quo in hoc mundo vixit, circa septuaginta duos annos fuerit; ut ejus vita & doctrina hoc mystico numero septiformis gratiæ esset credentibus & fidelibus primitivæ & nascentis ecclesiæ ad profectum; & ipsi B. Virgini tempus congruum ad assequendum completo modo & ordine ultimæ perfectionis & consummationis suæ gradum.

CAPUT XLIIX.

Utrum B. Virgo in hac vita manens, miracula aliqua fecerit.

UTrum verò B. Virgo pro illo tempore in hac vita aliquas virtutes & miracula fecerit; & si fecit, qua de causa non sint memoriæ per aliquam scripturam authenticam commendata: super hoc sciendum est; quòd miracula non sint tantùm signa sanctitatis & meritorum facientium ipsa miracula, quantùm indicia Divinæ voluntatis & dispensationis causarum, propter quas fiunt divinitus ipsa miracula. Quia, ut dicit Gregorius, multi sunt non facientes mira in signis, quorum vita miracula facientibus non est dispar in meritis. Unde etiam ista gratia faciendi miracula & gratia prophetiæ communis est bonis & malis: sicut de reprobis quibusdam legitur in fine dicturis illud, quod habetur Matth. 7. *Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus & signa multa fecimus?* Et Balaam & Caiphas gratiam prophetiæ leguntur habuisse.

A. Propter hoc ergo sciendum, quòd gratia miraculorum in primitiva Ecclesia dabatur propter veritatem fidei confirmandam juxta illud Marci ult. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Unde super illud Lucæ 8. *Convocatis JEsu duodecim Apostolis*, dicit Glossa: *Rectè concessa primùm Discipulis potestate signorum misit eos prædicare: ut magnitudini promissorum attestaretur magnitudo factorum; & nova facerent, qui nova prædicarent*. Et hoc ideò congruum & necessarium fuit tunc, ut visis miraculis augeretur numerus credentium. Unde subjungit Glossa ibidem; quòd idcirco nunc etiam postquàm crevit in Ecclesia numerositas fidelium, multi sunt, qui in Ecclesia virtutum vitam tenent, & signa virtutum non exercent, tanquam jam confortata fide, & virtute signorum non necessaria existente. Unde patet, quòd prædicantibus Evangelium tunc specialiter & necessariò concedebatur potestas miraculorum.

B.

Sicut autem tunc in primitiva Ecclesia concessa fuit potestas miraculorum prædicantibus ad fidem confirmandam: ita etiam hodie ad memorias Martyrum & sepulchra sanctorum fiunt miracula propter duas causas: videlicet ad fidem resuscitandam, & propter merita & sanctitatem aliquorum sanctorum declarandam. Quando enim in aliqua provincia vel regno populus incipit in fide & devotione ad DEum & ad sanctos deficere & tepescere, DEus miseratus ad fidem & devotionem pigros aliquibus signis & miraculis resuscitat & reaccendit, admiratione signorum terrendo malos, & confortando & consolando bonos. Unde super illud, quod legitur Judicum 7. de Gedeone, quòd complosis & confractis lagenis diffusus est ignis, qui latebat in eis, dicit Gregorius, quòd hoc significet; quòd sanctorum corporibus in hac vita per mortem resolutis, appareant post mortem ipsorum merita miraculis. Hoc autem non solùm fit ad memorias & invocationes Sanctorum, qui jam per mortem de hoc mundo ad cœlum sunt translati: sed etiam factum est, & jam fieri visum est de multis Sanctis adhuc manentibus in hac vita ad fidem & devotionem fidelium excitandam, & ipsorum sanctitatem declarandam.

C.

D.

CAPUT XLIX.

Quare miracula, si quæ fecit, non sint scripta per aliquos authenticos Scriptores.

QUoniam autem, ùt dicit Augustinus libro X. de civitate DEI, miracula, quæ Divinam religionem commendant, sive per Angelos fiant, sive per eos, qui DEum vera pietate colunt & diligunt, ipso DEO in illis operante fieri credendum est: Et cùm jam declaratæ sint tres causæ, propter quas DEus facit & concedit miracula fieri, videlicet vel propter confirmandam fidei veritatem, sicut concessum fuit Apostolis & primis prædicantibus fidem; vel propter jam credentium excitandam & accendendam fidei tarditatem & tepiditatem, sicut sæpe factum est ad memorias & sepulchra Sanctorum invocatis ipsorum suffragiis; vel propter declarandam post mortem miracula facientis personæ sanctitatem & dignitatem, sicut factum est de Joanne Baptista: qui, cùm in vita sua nulla miracula fecerit, ne fortè Christus esse ab omnibus crederetur, qui eum sicut prophetam habebant, post mortem claruit, & hodie claret maximis miraculis ad confirmandum

Matth. 11. 11. testimonium Salvatoris de ipso: quòd *inter natos mulierum nemo major illo surrexit*: quantùm ad primam & secundam causam prædictarum causarum consequenter & non incongruè dici potest, quòd, si B. Virgo in hac vita adhuc manens miracula aliqua non fecerit, hoc pro tanto inconveniens aut incongruum non fuit; quia prædicatio fidei, ad cujus confirmationem tunc concedebatur potestas miraculorum, ad B. Virginem non pertinuit. Quia sexui muliebri prædicationis officium non competit; nec ipsam ad prædicandum discurrere decuit, nec etiam Mater in causa filii testis esse debuit.

Si verò fecit aliqua miracula, quæ filius suus per eam fieri concessit, ad ipsius Sanctitatem declarandam, & dignitatem venerandam, & ipsam ùt Matrem honorandam, quòd piè & dignè credi potest & debet: quare ergo hujusmodi ejus miracula non sint alicui scripturæ authenticæ commendata, hujus causa & ratio multiplex esse potest.

Prima ratio est, quia in primitiva Ecclesia propter majorem fidem & confirmationem fidei gestorum & dictorum nullæ scripturæ de dictis & gestis Salvatoris, & de his, quæ ad initia & fundamenta nascen-
A. tis Ecclesiæ pertinebant, in auctoritatem admittebantur & recipiebantur: nisi Sancti Spir. instinctu conscripta, & communi consensu Ecclesiæ laudata & approbata. Unde & Apostolus Paulus hoc innuens circa Evangelium Lucæ dicit, quòd laus ejus est in Evangelio per omnes Ecclesias. Et super illud in prologo ipsius Lucæ super suum Evangelium: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem rerum*, dicit Ambrosius: *Qui conati fuerunt ex se ipsis, non ex instinctu Sancti Spir. scribere voluerunt &c.* Propter quod & ipsorum Evangelia non sunt recepta ab Ecclesia, si-
B. cut dicit Hieronymus in prologo super Matthæum.

Secundo ratio est; Quia, sicut circa principium hujus operis dixi, Evangelistæ in scribendis Evangeliis innitentes veritati & brevitati & necessitate scribendorum, attestandi & confirmandi JEsum fuisse & esse Christum DEI Filium in lege & prophetis promissum secundùm illud Joan. ult. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis: quia JEsus est Christus Filius DEI*: Sanè & congruè secundùm hoc fuerunt contenti, hoc solùm scribere & innuere de Matre JEsu, quod ad veram maternitatem & veram
C. virginitatem ipsius contestandam videbatur pertinere, propter illum articulum fidei ex Evangelio sumendum: quod JEsus Christus conceptus est de Spiritu S. & natus ex Maria Virgine. Ad hoc autem attestandum miracula vel alia dicta & gesta ab ipsa vel circa ipsam B. Virginem non videbantur de necessitate exigi vel requiri.

Tertia causa sive ratio est; Quia, cum JEsum Christum fuisse verum hominem nulli dubiū esset; ipsum verò simul verum Deum & hominem fuisse mundo positum esset in dubio; propter hoc Evangelistæ, & maximè inter alios & post alios Joannes, ad hoc
D. principaliter intendebant: ut illa præcipuè scriberent, ex quibus Divinitati Christi & im̄ortalitati post resurrectionem testimonium sufficiens præberent & perhiberent. Et propter hoc de Humanitate Christi, quam habuit ex Maria, contenti erant illa sola ponere, quæ ad JEsu Christi veram humanitatem, & Mariæ veram maternitatem & virginitatem innuendam sufficerent: ut viderentur humanitatis JEsu Christi indicia, quæ in carne apparebant, non omittere; sed tamen Divinitatis, quæ sub carne latebat, testimonia præcipuè intentare,

& im-

& immortalitatem ejus post resurrectionem confirmare; sicut dicit Glossa super illud 2. Cor. 5. *Etsi cognovimus Christum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus.* Unde de vita & conversatione & gestis B. Virginis, quæ Mater Christi erat secundùm carnem mortalem de ipsa assumptam, omiserunt plura scribere, volentes ex principali proposito ea, quæ ad declarandam Christi Divinitatem & immortalitatem post resurrectionem pertinebant, scribendo testari & confirmare.

Fuisse tamen aliquos, qui gesta & miracula aliqua B. Virginis conscripserunt, nullum est dubium; sicut scribit Bartholomæus esse apud Græcos librum quendam, quem Joannes Evangelista post transitum B. Virginis de ipsius vita & conversatione & dormitione scripserit. De quo libro aliqui Latini minùs eruditi aliqua transtulerunt in linguam latinam, quæ non tantùm propter dubitationem de veritate, quantùm propter incertitudinem de auctoritate sunt inter apocrypha reputata. Nihil vel parum tamen refert secundùm verbum Apostoli ad Philip. 2. *Sive per occasionem sive per veritatem*; dummodò gloriosa Virgo Mater DEI laudetur, & laudes ejus amplificentur, & in ipsis Devoti ejus exercitentur.

INCIPIT PARS QUARTA TRACTATUS ENGELBERTI Abbatis Admontensis DE GRATIIS ET VIRTUTIBUS B. MARIÆ Virg.

Prologus.

De gratiis specialibus circa ortum & nativitatem Sanctorum.

PRædictis igitur ad laudem & honorem gloriosæ Virginis in tribus partibus hujus opusculi taliter pertractatis, restat in hac parte quarta ex his, quæ ad totam conversationem, & vitam, & statum ejus in hac vita usque ad beatum transitum ipsius, & ad gloriam regni cœlestis inclusivè videntur pertinere, aliqua recapitulando breviter prosequi & videre. Illorum autem quædam verò ad ipsius B. Virginis ortum & introitum in mundum; Quædam verò ad ipsius progressum & processum in mundo; aliqua autem ad ipsius exitum & egressum de hoc mundo, & ad statum ipsius in cœlesti regno.

Si enim aliis sanctis & electis DEI non defuerunt ultra communes sanctorum gratias aliquæ gratiæ speciales circa ortum suum & introitum in hunc mundum, & progressum in mundo, & exitum de hoc mundo; juxta illud Psalm. *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum &c.* multò digniùs est credendum, B. Virgini gratias hujusmodi excellentiùs & cum omni plenitudine affuisse juxta Regulam Joannis Damasceni, qui dicit, quòd ipsa B. Virgo in nulla gratia ab aliquo etiam illustrium sanctorum vincatur, quæ ei congruè & condignè poterat convenire.

Psal. 120. 8.

Gratiæ itaque speciales, quibus aliqui sancti in ortu suo & circa ortum fuerunt honorati & privilegiati, sunt istæ. Videlicet quòd aliqui fuerint præfigurati in figuris, vel creaturis, vel factis; sicut Joannes Baptista in Elia præfiguratus fuit juxta illud Luc. 1. *Et ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Eliæ.* Item Matth. 17. *Elias jam venit, & non cognoverunt eum: sed fecerunt in eo, quæcunque voluerunt. Tunc intellexerunt Discipuli, quòd de Joanne Baptista dixisset eis.* Aliqui etiam fuerunt prophetati & prænuntiati; sicut Isaac Gen. 18. *Revertens veniam ad te tempore isto: & habebit Sara uxor tua filium.* Item Samson Jud. 13. *Concipies & paries filium, cujus caput non tanget novacula; erit enim Nazaræus DEI ab infantia sua.* Item Josias 3. Reg. 13. *Ecce filius nascetur Domui Juda Josias nomine, & immolabit super te Sacerdotes excelsorum.* Item ipse Joannes Baptista Lucæ 1. *Ne timeas Zacharia &c.*

Ali-

Aliqui etiam fuerunt miraculosè concepti; sicut Isaac, de quo dixit Pater ejus: *Putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* similiter Joannes Baptista, sicut dicitur Luc. 1. *Respondens Zacharias dixit ad Angelum; unde hoc sciam? ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis.* Quæ conceptiones, licèt non fuerint supra naturam vel contra naturam, fuerunt tamen factæ præter naturam, per repromissionem operante natura superiori in inferiorem secundùm voluntatem Divinam.

Quidam etiam fuerunt sanctificati in utero, sicut Jeremias & Joannes Baptista. Luc. 1. *Erit enim magnus coram Domino, & Spiritu S. replebitur adhuc ex utero Matris.*

Hæ autem gratiæ, videlicet præsignationis, prophetationis, prænuntiationis, & miraculosæ conceptionis, ac sanctificationis in utero, ideo dicuntur speciales gratiæ, quia quorundam Sanctorum ortum & nativitatem præ aliis & Sanctis specialiter magnificant & decorant, & speciale circa ipsos meritum & officium insinuant & commendant.

CAPUT I.

Qualiter B. Virgo in figuris fuerit præsignata.

BEata itaque Virgo, quæ secundùm Damascenum à nullo illustrium in aliqua gratia superatur, prædictis quoque gratiis circa suam conceptionem & ortum ac nativitatem fuit super omnes alios magnificentiùs decorata. Primo enim fuit in creaturis & facturis excellentiùs præsignata, sicut patet. Quia sicut secundùm allegorias Sanctorum & expositorum in ipsa & ex ipsa & per ipsam operibus creationis, quibus perfectus & ornatus est mundus universalis quantum ad esse naturæ, respondent opera creationis, quibus completa & ornata est tota respublica & continentia universalis Ecclesiæ militantis & triumphantis secundùm esse gratiæ & gloriæ juxta illud Isa. 65. *Ecce ego creo cœlos novos, & terram novam; & priora non erunt in memoria: & non ascendent super cor. Sed gaudebitis & exultabitis usque in sempiternum in his, quæ ego creo, Jerusalem in exultationem, & populo ejus in gaudium.* Ipsa enim B. Virgo in operibus recreationis est illud Ecclesiæ militantis novum cœlum & terra nova. Cœlum videlicet altissima dignitate, & terra profundissima humilitate,

A. qua DEum de cœlo in terram traxit, & in filio suo terram super cœlum exaltavit, item cœlum novum purissima & perfectissima Virginitate; qua Angelorum puritatem & munditiam superavit; & terra nova, castissima fœcunditate, qua simul Virgo mansit & mater facta est. Psal. *Benedixisti Domine terram tuam &c.* Item: *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Psal. 84. 1. 13.

Item ipsa est firmamentum cæli positum in medio aquarum, id est, in medio gratiarum; quod aquas superiores dividit ab inferioribus, comune habens aliquid cum
B. utrisque. Quia cum superioribus scilicet sanctis in patria, habuit in hac vita statum comprehensoris secundùm quid: cum inferioribus scilicet cum sanctis militantis Ecclesiæ statum viatoris simpliciter. Cum superioribus habuit virtutum perfectionem: cum inferioribus merendi conditionem. Cum superioribus securitatem contra casum; cum inferioribus possibilitatem ad meritum. Cum superioribus contemplationis gloriæ exultationem: cum inferioribus miserorum miseriæ compassionem. Quòd signatum est Josue 15. Quòd
C. cùm Caleph dedisset Axæ filiæ suæ terram Australem & arentem, id est, virtutes & gratias viæ, quæ adhuc laborant in spe, addidit irriguam: ut haberet *irriguum superius & inferius*, id est, virtutes & gratias per modum patriæ secundùm perfectionem, & per modum viæ secundùm merendi conditionem.

Item ipsa est mare illud magnum & spatiosum, de quo dicitur Eccl. 1. *Omnia flumina intrant in mare*, id est, omnia fluenta gratiæ in Mariam. Unde dicitur Gen. 1. *Congregationes aquarum appellavit DEus Maria*, & hoc historice: sed mysticè, congregationes aquarum appellavit Maria Eccl. 24. *In me omnis gratia viæ & veritatis; in me omnis spes vitæ & virtutis.*

Item in firmamento Ecclesiæ, de quo dici
D. tur in Psalm. *Erit firmamentum in terra in summis montium*, id est, in dignitatibus sanctorum fe- Psal. 71. 16.
cit & posuit DEus *duo magna luminaria*, videlicet Christum solem justitiæ, & lunam, id est, B. Virginem Mariam. Quia sicut luna facta est propter diurni laboris requiem & consolationem, & propter solaris luminis & ardoris contemperationem, quem ardorem & lucem animalia debilis visus ferre non possunt: ita & B. Virgo posita est in Ecclesia, ut sit post Christum solem justitiæ ipsa luna lucidissima, ab ipso immediatè super omne lucidum excellentiùs illuminata; & ut sit in tenebris hujus mundi lux errantium, quies laborantium, solatium operantium; fatigatorum refrigerium, infirmorum obumbraculum; refrigerans umbra misericordiæ, quos suis radiis arguit & repercutit sol justitiæ. Item

Item ipsa est *Paradisus* voluptatis, in oriente posita, quam DEUS ab initio suæ prædestinationis & maternæ conceptionis plantavit ad florendum & fructificandum suavitatem odoris, & flores virtutis & honestatis. In qua, paradiso mystico, posuit DEUS hominem Christum, quem in ipsa & ex ipsa formavit Spiritu sancto cooperante. Eccli. 24. *Ego quasi fluvius Dorix exivi de paradiso, & rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo partus mei fructum.*

Item ipsa est *Rubus ardens* materna fœcunditate, sed non consumptus salva Virginitate Exod. 3.

Item *Mons*, de quo præcisus est lapis sine manibus, id est, Christus conceptus sine humanis seminibus.

Item *Porta clausa* Principi ingredienti & egredienti, id est, filio summi Regis ex ipsa & in ipsa concepto & nascenti.

Item *Vellus Gedeonis* sub ariditate virginitatis complutum, & infusum rore Divinitatis in fructum maternæ fœcunditatis. Jud. 6.

Item *Fons parvus* humilitate, qui crevit in fluvium maximum regali & cœlesti dignitate & potestate. Esth. 12.

Item *porta templi* speciosa, per quam est introitus electis in Sancta Sanctorum.

Item mulier amicta sole Divinæ claritatis, habens lunam, id est, naturam humanæ mutabilitatis & mortalitatis sub pedibus suis, jam calcatam in gloria incorruptibilitatis: & coronam stellarum duodecim in capite suo, id est, duodecim privilegia gratiarum & Donorum, quæ ita competunt sibi, quòd nulli alteri. Apocal. 12.

Item ipsa est *Arcus iridis*, positus in nubibus cœli in signum propitiationis, ne aquis diluvii, Divinæ ultionis deleat DEus mundum pro peccatis. Gen. 9.

Item est *Arca testamenti fœderis*, continens Manna de cœlo datum, id est, Christum DEUM hominem factum: & duas tabulas, scilicet unam veniæ, alteram gratiæ, scriptas digito DEI in Cruce; & Virgam directionis regni misericordiæ. De qua Psalm. *Virga directionis, Virga regni tui.* Et *Virgam Virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.*

Ps. 44. 7.
Ps. 109. 2.

Item ipsa est in Ecclesia Candelabrum illuminationis, propitiatorium impetrationis, templum sacrificii & oblationis,

A. Thronus gratiæ, Sedes regni Misericordiæ, corona totius cœlestis gloriæ; sicut hæc omnia patent in allegoriis suis.

Ipsa est etiam illa clara *Sara*, sterilis quantùm ad incorruptam maternitatem, & generosa quantùm ad Virginalem fœcunditatem; juxta illud Eccl. 24. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini:* quæ nobis verum Isaac deterso luctu Adæ in risum & gaudium hæreditatis cœlestis regni peperit.

Item ipsa est illa *Rebecca* filio Abraham Patris omnium per servum suum, B. Gabrielem Arch-Angelum desponsata, *Virgo pulcherrima & viro incognita*, ùt dicitur Gen. 24. Ipsa est *Rachel*, illa decora facie & venusto aspectu, quam verus Jacob dilexit, & pro ea Patri servivit septem annis, hoc est, completis temporibus legis naturæ & legis Mosaicæ: & *videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine.* Gen. 29.

Ipsa est illa *Esther*, conjugata & copulata vero Assuero, Regni æternæ beatitudinis (Assuerus enim interpretatur beatus) omnium oculis gratiosa & amabilis, quam dilexit ipse Assuerus super omnes C. mulieres, ùt dicitur Esth. 2.

Ipsa est illa *Judith*, egregia vidua, quæ sine suæ castitatis periculo populum DEI liberavit ab illo vero Holoferne, id est, diabolo, qui per infirmitatem suam primum hominem fecit descendere à paradiso. Holofernes enim interpretatur *infirmitas discessionis*, cujus caput ipsa contrivit, dum electorum principatum, quem tenuerat, ab eo abstulit Genes. 2. *Ipsa conteret caput tuum.*

Cæterùm innumerabile esset, & per consequens impossibile, omnia Oenigmata & allegorias illas exprimere, quibus D. B. Virgo est in figuris præsignata, & præfigurata & prophetata. Quorum & Quarum tot sunt modi & genera, quot sunt cœli sydera; Quia quot stellas DEUS posuit in firmamento hujus mundanæ Machinæ: tot gratias contulit in ornamentum Virginis gloriosæ.

CAPUT II.

Qualiter B. Virgo nascitura, fuerit annuntiata.

QUòd etiam B. Virgo fuerit annuntiata, mundo nascitura & in lucem hujus

jus mundi proditura, & lucem illam veram mundo paritura, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, patet ratione & auctoritate. Primò ergo ratione ſumpta à minori poterit hoc videri. Quia, ſi ipſa à nullo illuſtrium vincitur; alii autem quidam illuſtres ſunt annuntiati in mundo naſcituri, ſicut Iſaac & Samſon & Joſias in veteri teſtamento, & Joannes Baptiſta in novo ùt ſuperiùs eſt habitum: ergo & B. Virgo illis dignior etiam digniùs honorata eſt illâ gratiâ. A

Item Chriſtus natus in mundo fuit Sol juſtitiæ, cujus præſentia ſuper terram fecit mundo diem gratiæ Malach. 4. *Vobis* B *timentibus nomen meum orietur Sol juſtitiæ.* Solem verò orientem præcedit Lucifer, & aurora diem prænuntians; Joannes autem Baptiſta fuit Lucifer præcedens Solem juſtitiæ juxta illud Joan. 1. *Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine:* Unde Joann. 5. Chriſtus dixit de Joanne: *ille erat lucerna ardens & lucens.* Et Pſalm. *Paravi lucernam Chriſto meo.* (Pſ. 131. 17.) Si igitur Joannes fuit Lucifer, ergo B. Virgo fuit aurora Chriſtum ſolem juſtitiæ prænuntians. Aurora verò eſt luci ſolis propinquior & ſimilior quàm Lucifer. Si ergo Joannes C prænuntiatus eſt, qui fuit Lucifer præveniens & prænuntians Chriſtum Solem juſtitiæ: ergo multò digniùs B. Virgo eſt annuntiata, quæ propinquior & ſimilior fuit Chriſto, ut aurora luci ſolis.

Item prænuntiatio auroræ eſt congrua & neceſſaria & commoda; quia ortus auroræ eſt noctis terminatio, quam deſiderant infirmantes; Jobi 30. *Nocte os meum perforatur doloribus:* & lucis inchoatio, quam deſiderant laborantes & luctantes; Geneſ. 32. *Dimitte me, jam enim aurora aſcendit:* & ſolis appropinquatio, qua gaudent operantes; Pſ. *Ortus eſt Sol &c.* D Et ſequitur; *exibit homo ad opus ſuum & ad operationem ſuam uſque ad Veſperam.* (Pſ. 103. 22. 23.) Ad ortum itaque auroræ tria beneficia conferuntur mundo. Primò terræ irroratio. Unde dicitur aurora, quaſi aura rorans vel aër rorans. Secundò aëris purificatio. Quia noctis nebulæ fugantur & conſumuntur ſurgente aurora. Unde dicitur aurora quaſi aurea hora. Tertiò omnium nocentium fugatio & omnium viventium lætificatio; ſicut patet in fuga luporum & noctuarum, & in cantu avium. Unde dicitur aurora quaſi avium hora. Unde Eccleſia canit in Hymno:

Aurora lucis jam ſpargit polum,
Terris dies illabitur;
Lucis reſultat ſpeculum;
Diſcedat omne lubricum.
Phantaſma noctis decidat.

Iſta autem tria Beneficia abundanter conſecutus eſt mundus in ortu iſtius auroræ, ſcilicet Virginis glorioſæ. *Primò* quia ſimul cum ea deſcendit ad nos Ros gratiæ & Miſericordiæ. Unde dicitur Numer. 12. Quòd cùm deſcendebat manna, ſimul deſcendebat & ros. Iſaiæ 46. *Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant juſtum.* *Secundò* conſequenter ad deſcenſum roris gratiæ & miſericordiæ Divinæ purgatæ ſunt peccatorum nebulæ & vitiorum tenebræ. Iſaiæ 59. *Orietur in tenebris lux tua; & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies.* Quia vita ipſius glorioſa cunctas illuſtravit Eccleſias. *Tertiò* quia ex ipſius ortu & nativitate totus mundus eſt lætificatus. Pſ. *Lux orta eſt juſto, & rectis corde lætitia.* (Pſal. 96. 11.) Eſth. 8. Judæis nova lux oriri viſa eſt, gaudium & lætitia apud omnes populos. Et Diabolus ſerpens venenoſus & Draco tortuoſus cum omnibus ſuis inſidiis & nocumentis eſt confuſus & fugatus. Pſ. *Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur,* (Pſ. 103. 22.) id eſt, in inferni cavernis retruſi ſunt Dæmones cum omnibus ſuis.

Cùm igitur omnia illa beneficia mundo ſint collata in ortu & Nativitate Virginis glorioſæ, quæ ortus auroræ ſolet mundo conferre (unde Spiritus ſanctus ejus ortui & Nativitati applaudit Cantic. 6. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens*) meritò gaudium Nativitatis & ortus ipſius mundo debuit prænuntiari.

Secundò patet hoc authoritate Damaſceni dicentis, quòd Joachim Pater B. Virginis Annam laude dignam in Matrimonium duxerit: quæ tamen, ſicut Anna ſterilis & Sara vetus, cùm ipſa quoque ſterilis eſſet, per preces & repromiſſionem à DEO Genitricem DEI protulit; ut etiam in hoc à nullo illuſtrium Beata DEI Genitrix ſuperetur.

CA-

CAPUT III.

Qualiter B. Virgo miraculosè fuerit concepta & sanctificata.

QUòd etiam fuerit miraculosè concepta & in utero sanctificata, patet. Et primò de miraculosa conceptione. Quia minores & minùs illustres fuerunt miraculosè concepti; sicut Isaac de vetula & senili, & Samuel & Joannes de sterili: ergo & ipsa Beata Virgo, cùm à nullo illustrium in aliqua gratia superetur.

Item quantùm ad causas agentes aliquid fit miraculosè uno trium modorum, videlicet; vel quia fit contra naturam: B. sicut ubi causæ solæ superiores agunt in rebus absque causis inferioribus; ùt, cùm asina est locuta num. 24. vel cùm aliquid fit supra naturam; ùt cùm causæ superiores agunt in res mediantibus causis inferioribus, non per se agentibus, sed motis ab ipsis causis superioribus, ùt in conceptu Virginis de Spiritu sancto. Vel cùm aliquid præter naturam fit; ùt cùm causæ inferiores agunt in rebus secundùm modum naturæ, sed non secundùm tempus naturale, ùt cùm infantes sunt locuti ante tempus naturale; vel aliqui concepti & nati post tempus naturale: in qui- C. bus virtus inferior operatur secundùm naturam, sed non nisi adjuta à virtute superiori, ad quem modum reducuntur illa, quæ fiunt taliter per preces Sanctorum & voluntatem Divinam. Unde, quia B. Virgo secundùm Damascenum per preces & vota, & per repromissionem & annuntiationem Divinam est nata, patet, quòd miraculosè fuerit concepta. Unde Anselmus in Sermone de Nativitate B. Virginis: *Quis dignè valebit praconia laudis hujus ortus referre, ad cujus natalem omnis posteritas prospicit & assurgit, & usque in finem sæculi laudes ejus* D. *cantare non cessabit?*

Utrùm verò Conceptio ipsius B. Virginis dici possit sancta sive sanctificata; & utrum sit ab Ecclesia publicè celebranda, & in die illa, in qua consueta est celebrari, hoc est, sexto Idus Decembris, breviter est videndum.

Sciendum ergo, quòd soleat distingui triplex conceptio; videlicet primò conceptio Seminalis materiæ, secundò conceptio animæ, tertiò conceptio gratiæ. Conceptio Seminalis materiæ fit in actu A. & in tempore commixtionis viri & fœminæ. Conceptio verò animæ fit in tempore vivificationis fœtus & infusionis animæ: Quod secundùm Glossam super illud Joannis 2. *Quadraginta & sex annis ædificatum est hoc templum &c.* Fit in Quadragesimo & sexto die ab hora & tempore conceptionis Seminalis materiæ. Conceptio verò gratiæ fit pòst infusionem animæ, cùm anima sit subjectum gratiæ: subjectum verò oportet accidenti præexistere tempore, vel natura, vel utroque.

Cùm igitur ista tria, scilicet generatio per naturam, & vivificatio per animam, & sanctificatio per gratiam, habeant se ad invicem ordine consequente secundùm prius & posterius (quia sicut vivificationem per animam præcedit generatio per naturam, ita sanctificationem per gratiam præcedit vivificatio per animam) conceptionem verò B. Virginis non festivet Ecclesia nisi ratione sanctificationis ipsius Virginis per gratiam: consequens erit, quòd Ecclesia non festivet conceptionem Seminalis materiæ; quia tunc fœtus nondum est in utero vivificatus, & per consequens nec sanctificatus. Sed illa conceptio quam festivat Ecclesia, erit potiùs conceptio animæ & gratiæ; quia sanctificatio non fit nisi per infusionem gratiæ, quæ præexigit infusionem animæ, ita quòd infusio gratiæ simul tempore fiat cum infusione animæ, licet infusio gratiæ naturali consequentia sit posterior infusione animæ.

Cùm igitur supposito, quòd B. Virgo à die Conceptionis Seminalis materiæ in utero Matris suæ usque in diem, qua celebratur ejus Nativitas ex utero, steterit in ventre Matris novem mensibus & uno die (quia tantum tempus est à die suæ Conceptionis usque ad diem Nativitatis, videlicet à sexto Idus Decembris usque ad sextum Idus Septembris) & quòd conceptio animæ sive vivificatio fœtus in utero fiat, ùt prædictum est, quadragesimo sexto die post Conceptionem Seminalis materiæ: relinquitur consequenter, quòd infusio animæ & sanctificatio gratiæ facta fuerit quadragesimo sexto die ab illa die, qua consuevit Ecclesia festivare ejus Conceptionem videlicet XI. Calend. Februarii, quod est in die S. Vincentii Martyris.

Sed contra hoc est, quòd consuetudo Ecclesiæ festivat ipsam Conceptionem gloriosæ Virginis Mariæ sexto Idus Decembris, quando secundùm prædictam rationem & computationem B. Virgo concepta est in utero Matris suæ Conceptione Seminalis materiæ. Et quòd illa dies per revelationem Divinam designata est Ecclesiæ mediante Abbate Alsino ùt legitur in gestis Anglorum, ita quòd Divina revelatio & Ecclesiæ approbata consuetudo stet pro illa die celebrationis istius Conceptionis.

In Cod. Scor. & Admont.

CAPUT IV.

Qua die celebranda sit Conceptio Beatæ Virginis.

AD istud dubium dissolvendum sciendum est; quòd Conceptio Seminalis materiæ in generatione fœtus potest considerari dupliciter. Uno modo præcisè & simpliciter secundùm se quantùm ad illùm actum, qui est emissio spermatis in viro, & ipsius susceptio in muliere, non habito respectu ad intentionem & destinationem naturæ intendentis ex ipso spermate sive per ipsum generare sibi simile. Et quantùm ad hoc non potest dici propriè & præcisè, quòd puer aliquis, ut persona illius generis per illum actum concipiatur, cùm post talem conceptionem, id est, virilis Seminis susceptionem in muliere natura particularis sive individualis adhuc possit deviare nulla & nullius individui generatione consequente. Alio modo potest considerari ipsa conceptio Seminalis materiæ per respectum ad intentionem & destinationem naturæ intendentis generare simile, & illum actum ad hoc destinantis & dirigentis, quantùm est in se, sine deviatione & errore. Et hoc modo non impropriè nec incongruè potest dici aliquis homo conceptus tali vel tali die & hora: sicut etiam Astrologi solent observare diem & horam Conceptionis in Natis ad videndum de ipsis & eorum fortunis.

Cùm igitur, ùt præhabitum est, Beata Virgo mundo in tantam spem & gratiam ac gloriam nascitura, sit divinitùs prædestinata juxta illud Eccles. 24. *Ab initio & ante sæcula creata sum;* & in figuris præsignata, & in scripturis prophetata, & ab Angelo annunciata: & per consequens ipsius Seminalis conceptio principaliter & primò dependeat à Divina prædestinatione, & præparatione longè præambula; & prophetia prædestinationis impleatur etiam sine nostro libero arbitrio operante, licèt ipsius consensus & cooperatio ad effectum requiratur, ùt dicit Glossa super Matthæum: sciendum est, quòd in ipsa Divina prædestinatione duo attenduntur. Unum est ipsa Divina prædestinatio, quæ est immutabilis: aliud verò ipsius præordinationis actualis & effectualis executio & assecutio. Quæ licet sit mutabilis, in quantum respicit liberum arbitrium & aliquas causas inferiores, quibus mediantibus pervenit ad effectum: non tamen mutatur quantùm ad actum & eventum DEO dirigente, & quo intendit, unumquodque perducente.

Unde, quia utrumque prædictorum est opus DEI, scilicet tam ipsa actualis & effectualis executio quàm ipsa prædestinatio: in ipsa verò assecutione sive executione prædestinationis B. Virgo fuit salutis humanæ prima inchoatio per ipsius corporalem conceptionem: propter hoc Ecclesia non incongruè festivat hujusmodi Conceptionem B. Virginis, non tantùm respiciendo ad illum actum carnalem, quantùm ad Divinæ prædestinationis, & propheticæ prænuntiationis, & Angelicæ indicationis, & humanæ salvationis actualem inchoationem, & longæ exspectationis in spe & fide Patrum terminationem, & Divinæ promissionis realem exhibitionem. Quæ mihi videntur causæ principaliores esse celebrationis ipsius conceptionis, quàm ut tali die in ipsa Seminali Conceptione sit sanctificata in utero. Quæ fuit facta posteà in infusione animæ, nec anteà poterat fieri, quàm anima infunderetur, cujus est maculatio & infectio originalis, & per consequens mundatio ab ipso originali & sanctificatio; cùm infectio originalis non sit in Semine sive in corpore, nisi dispositivè. Quæ dispositio, si est tunc ablata, potuit esse aliqua præparatio ad animæ sanctificationem per gratiæ infusionem.

CAPUT V.

Quando & qualiter B. Virgo sit in utero sanctificata.

HAbito, qualiter B. Virgo huic mundo nascitura, fuit in Scripturis propheta-

phetata, in figuris præsignata & per Ange- A. lum annuntiata: Videndum est, qualiter in utero fuerit sanctificata. Hæc est enim summa & ultima illarum gratiarum, quæ attenditur circa Sanctorum introitum sive ingressum in hunc mundum ad vitam naturæ & gratiæ. Et primò dicendum, quid sit sanctitas, unde dicuntur sancti & sanctificati.

Sciendum ergo, secundùm quod dicit Dionysius de Divinis Nominibus cap. 12, *Sanctitas est ab omni immunditia libera & perfecta & immaculata munditia.* Hæc autem munditia videtur esse puritas ab impuritate & permixtione omnimoda B. naturaliter elongata; Qualis est puritas solius DEI, qui est fons omnis puritatis. Vel puritas ab impuritate, quam habuit vel habere potuit, separata & purificata: qualis est in corporalibus puritas vel impuritas habentium plùs de forma & minus de materia. Sicut aqua purior quàm terra, & aër purior aqua, & ignis purior aëre, in quantum unumquodque illorum corporum tenebrositati materiæ, vel lucíditati vel claritati formæ magis appropinquat. Secundùm quod corporum alia dicuntur opaca, alia perspicua, alia lucida vel luminosa. Et qualis est in C. spiritualibus & in corporalibus puritas & impuritas magis propriè dicta, quàm in corporalibus secundùm lucem & splendorem Sapientiæ & virtutum, & secundùm tenebrositatem ignorantiæ & errorum & vitiorum.

Ad videndum igitur de immunditia sive impuritate illa ex parte corporis & animæ, à qua fit purificatio, mundificatio & sanctificatio in utero: Notandum est, quòd quatuor sint impuritates, quæ consequuntur de necessitate nascituros in peccato & cum peccato originali. *Primò* fœditas & displicentia propter ipsius culpæ maculam. Jerem. 2. *Si laveris te* D. *in nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, tamen maculata es in iniquitate. Secundò* noxietas obligationis culpæ ad pœnam. 2. Reg. 19. *Neque enim Domus Patris mei fuit, nisi morti obnoxia. Tertiò* infirmitas ad resistendum peccato.
Pf. 30. 11. Psalm. *Infirmata est in paupertate virtus mea. Quartò* pronitas ad cadendum in peccatum. Genes. 8. *Omnis via viri ab adolescentia sua prona est in malum.*

Licèt igitur sanctificatio per Baptismi gratiam tollat in Baptizatis reatum, qui est obligatio culpæ originalis ad pœnam æternam, & maculæ displicentiam quantùm ad deformitatem imaginis in anima reformata: tamen remanet ex fomite nondum restricto, nec exstincto infirmitas resistendi & pronitas cadendi in peccatum; ex quibus causatur possibilitas & facultas ad recidivum post Baptismum.

CAPUT VI.

De triplici Sanctificatione Beatæ Virginis.

QUia ergo Sanctificatio in utero est gratia specialis ultra communem gratiam Baptismi, per quam Baptizati mundantur ab originali secundùm prædictum modum communem Baptismalis sanctificationis, licèt Augustinus in libro de præsentia & templo DEI loquens de sanctificatione in utero, non exprimat determinatè, quæ & cujus efficaciæ sit ista gratia specialis sanctificatorum in utero, uti Jeremiæ & Joannis Baptistæ, quos constat non obstante illa sanctificatione ad minus adhuc venialiter peccare potuisse, juxta illud de Joanne:

> *Antra deserti teneris sub annis*
> *Civium turmas fugiens petisti:*
> *Ne levi saltem maculare vitam famine posses.*

Sciendum tamen, quòd secundùm communem sententiam Sanctorum & Doctorum B. Virgo successivè tribus gradibus Sanctificationis usque ad summum purificata & mundata & sanctificata fuerit. Primò in utero; quæ sanctificatio per gratiam simul facta fuit tempore cum infusione animæ & vivificatione conceptus: & hæc abstulit originalem culpam & maculam per infusam gratiam; sed fomitem originalis culpæ restrinxit tantùm, non extinxit in totum, ita quòd quasi consopitus non posset movere ad peccandum, licèt tamen adhuc remaneret, quantum ad essentiam & radicem. De hac Sanctitate & Sanctificatione dicitur in Psalmis. *Sanctitas & magnificentia in Sanctificatione ejus.* Et S. Augu- Pf. 85. 6.
stinus in libro de natura & gratia; *Excepta hac sola Virgine, de qua, cùm de*

peccatis agitur, nullam volo fieri mentionem, omnes alii puri homines peccaverunt.

Secundò sanctificata fuit ulterius in Spiritus sancti superventione, & virtutis Altissimi obumbratione, & Filii DEI conceptione: quæ sanctificatio fuit fomitis totalis extinctio, & in bono confirmatio, quam consequebatur impossibilitas peccandi, & facilitas ac facultas in quolibet opere merendi. Unde Bernardus: *Ego puto, quòd sanctificationis benedictio copiosior in ipsam per sancti Spiritus superventionem descenderit; quæ non tantum ipsius ortum & vitam sanctificaret: sed ab omni peccato deinceps immunem custodiret, & nemini alteri in natis mulierum creditur esse donatum.* De hac Sanctificatione dicitur in Psalm. Sanctificavit tabernaculum suum altissimus. *Tertiò* sanctificata fuit in Filii DEI corporali inhabitatione; qui in ipsa novem mensibus corporaliter habitavit, & sua inhabitatione templum gloriæ sibi fecit, & consecravit, & dedicavit. Eccl. 24. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Et Ezech. 43. *Majestas Domini ingressa est in templum: & repleta est gloria Domus Domini.*

Hanc sanctificationem consecuta sunt tria. *Primò* ad summam puritatem purificatio; de qua dicit Anselmus, quòd ea puritate nitebat, qua sub DEO major nequit intelligi. *Secundò* omnis dispositionis in contrarium ablatio. Gen. 49. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* *Tertiò* soli DEO & Divinis usibus inviolabilis & intemerabilis dedicatio, ita quòd non solùm conveniens, sed etiam impossibile esset, eam aliis, quàm solius DEI & Divinis usibus applicari. Ezech. 44. *Porta hæc clausa erit; non aperietur, & vir non transibit per eam:* Ut Ecclesia veraciter & securè possit ei quotidie in laudes decantare, *post partum Virgo inviolata permansisti.*

CAPUT VII.

Quòd multis Sanctorum fuerit sua mors revelata.

His itaque circa B. Virginem taliter præmissis & breviter prætactis gratiis, quæ pertinent ad sanctificandum & decorandum Sanctorum ortum sive ingressum in hunc mundum ad vitam naturæ & gratiæ; cùm in superioribus tractum sit & actum de gratiis & virtutibus pertinentibus ad dirigendum & complendum Sanctorum processum & profectum in statu hujus vitæ & viæ; & qualiter B. Virgo in illis quoque attigerit summum excellentiæ gradum: restat nunc ultimò videre de gratiis, quæ pertinent ad Sanctorum exitum de hoc mundo ad statum gloriæ, qui propriè status dici potest, cùm in illo sit Beatitudinis consummatio & finis sine fine. Ps. *Omnis consummationis vidi finem.* Ps. 118. 96.

Hujusmodi autem gratiæ leguntur & inveniuntur quinque numero Sanctis exhibitæ & adhibitæ, quibus circa exitum hujus vitæ & mortem suam sunt aliqui specialiter honorati & consolati. Quarum prima est mortem suam præscire. Secunda vocante Domino venire. Tertia mori sine dolore. Quarta morientem statim evolare. Quinta in anima & in corpore ad gloriam resurgere ante generalem omnium resurrectionem.

Quòd autem pluribus sanctis sit sua mors revelata & præscita ex speciali gratia, patet. Nam Beatus Petrus Domino revelante mortem suam præscivit. 2. Petri 1. *Velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod Dominus noster JEsus Christus significavit mihi.* Item Paulus mortem suam præscivit 2. Timoth. 4. *Ego jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* Item Joannes Evangelista mortem suam Domino vocante præscivit. Unde dicitur in prologo super Evangelium ejus: *Hic est Joannes, qui sciens supervenisse diem recessus sui, convocatis Discipulis in defossum sepulturæ suæ locum, & facta oratione positus est ad Patres suos, tam à dolore mortis extraneus, quàm à corruptione carnis fuisse dignoscitur alienus.* Item B. Martinus mortem suam præscivit longè ante, dixitque Fratribus dissolutionem sui corporis imminere. Et B. Benedictus in Dialogo Gregorii legitur mortem suam fratribus prædixisse. Et hæc de multis aliis.

Similiter patet de vocatione. Nam S. Petrus vocatus fuit à Domino, ùt legitur de illa apparitione Romæ ad gradus, cùm vidisset sibi Christum occurrere, & dixit

dixit ei: *Domine quo vadis? & Dominus respondit, venio Romam iterum crucifigi.* Item de S. Joanne Evang. idem legitur in sua legenda, quæ ab Ecclesia communiter approbata habetur: quòd Dominus ei apparuit dicens: *Dominica die nunc proxima venies ad me.* Et B. Gregorius quarto Dialogorum scribit de pluribus sanctis & bonis Viris, quòd præsciverint mortem suam Domino eos vocante & invitante. Ecclesia quoque cantat de S. Laurentio, qualiter invitatus ad Cœli gaudia transiverit in anima: Veni Desiderator bone, veni; desiderant te Angeli mei &c.

CAPUT VIII.

Quòd multi Sanctorum post mortem suam statim evolaverunt.

SImiliter patet de S. Joanne Evangelista, ùt scribunt Hieronymus in Prologo super Joan. & Beda super illud Joannis ultim. *Sic eum volo manere, donec veniam,* quòd à dolore mortis extraneus obierit, descendens per se in fossam suæ sepulturæ. Idem dicit Gregorius in Dialogo; quòd sæpe sancti Apostoli vel Martyres vel etiam ipse Dominus JEsus Christus electos morientes sua visitatione & apparitione contra dolorem mortis consolentur.

Quòd etiam aliquis vel plures Sanctorum statim evolaverint post mortem in anima ad Cœlum, sic probari potest. Evolationem enim statim nihil impedit, nisi si in se anima adhuc aliquid purgabile habuerit: sed possibile imò constans est, multas Sanctorum animas continuò evolasse. Minor hujus rationis patet; quia cùm constet, sanctas animas in morte nequaquam mortale peccatum secum trahere; sic enim non essent sanctæ: aut ergo aliqua venialia adhuc habent, aut nulla? si nulla, ergo statim sine impedimento evolant. Psal. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Si aliqua, aut levia & faciliora: & illa secundùm Gregorium in Dial. pœna & dolore mortis delentur; non in quantum illa pœna est pro peccato originali debita, sed in quantum desiderata & tolerata; & sic evolant. Aut si sunt difficiliora, tunc pœna purgatorii tolluntur; Sicut refert Gregorius in Dial. de Paschasio; Qui posteaquàm post mortem etiam fecisset miracula, cuidam sancto Episcopo apparuit: & indicavit se adhuc in purgatorii pœna stare propter consensum erroneum adhibitum eujusdam electioni contra justitiam.

Ps. 54. 7.

Quòd etiam aliquibus Sanctorum datum sit ante generalem resurrectionem in corpore & anima resurrexisse, patet per Evangelium de illis Sanctis, quorum corpora eum Domino resurrexisse scribuntur, & post resurrectionem multis apparuisse. De Joanne quoque Evangelista multi tenent, quòd in corpore & in anima jam resurrexerit, eò quòd post ejus obitum aperto sepulchro, ipsius corpus in sepulchro non sit inventum; sed Manna & vestis ipsius solùm.

Matt. 27. 52. & 53.

CAPUT IX.

De gratiis præcedentibus & habilitantibus ad gratias speciales.

CUm igitur, ùt superiùs dictum fuit in suppositionibus per allegorizandum & probandum & declarandum ex sacræ Scripturæ consequentia, & rationum consequentium evidentia, quòd B. Virgini ex eo, quòd secundùm verbum Angeli gratia plena fuerit, nulla gratia defuerit citra gratiam personalis unionis; & quòd à nullo etiam illustrium Sanctorum in aliqua gratia sibi conveniente & condecente superetur; sciendum: quòd hujusmodi gratias speciales, quales jam sunt assignatæ circa Sanctorum exitum sive transitum de hoc mundo præcedunt quædam gratiæ familiares, habilitantes & præparantes ipsos Sanctos per causam & rationem meriti ad ipsas gratias speciales, quales gratiæ habilitantes sunt illæ, quibus sancti merentur dici & esse Amici DEI & familiares DEI. Amici enim præ aliis merentur Secretorum & occultorum revelationem; omnium autem occultorum occultissimum est finis vitæ uniuscujusque hominis. Eccl. 9. *Nescit homo finem suum; sed cuncta reservantur incerta in futurum.* Augustinus: *Nihil certius est morte, nihil incertius hora mortis.* Item amici & familiares præ aliis invitantur & vocantur ad convivium & consolationem. Unde Joan. 2. *Vocatus est JEsus & Discipuli ejus ad nuptias,* scilicet Joannis Evangelistæ tanquam cognatus

tus Sponsi & Amicus. Item Amici & dilecti A. solent supportari ab his, quæ sunt laboriosa & dolorosa. Unde 2. Reg. 21. *Principes belli David juraverunt dicentes: jam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam in Israël.* Item aliquem statim in altum tollere & exaltare pertinet ad familiariter dilectos. Unde Dominus dixit Josue 3. *Hodie incipiam te exaltare coram omni populo:* & hoc ideo, quia Domino post Moysen magis familiaris fuit juxta illud Josue 1. *Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum.* Item aliqui sunt præ nimia familiaritate DEI etiam vivi translati; Sicut legitur de B. Enoch Gen. 2. Quòd ipse *placuit DEO, & ambulavit cum DEO, & transtulit eum Dominus.* Et de Elia 4. Reg. 2. quòd transtulit eum DEUS per turbinem in Cœlum: quia zelator solus & maximus fuerat pro Domino contra iniquitatem Achab & Jezabel & Sacerdotes Baal.

CAPUT X.

Quæ & quot sint gratiæ, quæ ad ulteriorem gratiam præparant.

SUnt autem sex virtutes, quibus aliqui Sanctorum specialiter præ aliis præ- C. diti, leguntur reputati & dicti esse familiares & amici DEI: & proinde prædictis gratiis & donis familiariter & specialiter præ aliis honorari. Quarum virtutum *Prima* est fidelitas sive credulitas, propter quam Abraham Amicus DEI appellatus est, ùt habetur Genes. 15. *Credidit Abraham DEO, & reputatum est ei ad justitiam.* Unde meruit revelationem à Domino de futuro judicio & deletione Sodomorum. Gen. 18. *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?*

Secunda est Benignitas, qua Moyses legitur fuisse præditus Num. 12. *Erat au-* D. *tem Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra: unde & familiaritate DEI donatus est: ita quòd loquebatur ei sicut amicus ad amicum.* Exod. 33.

Tertia est Humilitas, qua David præ cæteris eminebat. Unde ipse dixit 2. Reg. 6. *Ludam, & vilior fiam, & ero humilis in oculis meis super ancillas, de quibus locuta es.* Propter quam humilitatem, & ipsam Divinam familiaritatem & etiam complacentiam præ cæteris meruit, ita ut Dominus de ipso diceret: *Inveni virum secundùm cor meum.*

Quarta est Hospitalitas, propter quam etiam Martha & Lazarus à Domino diligebantur, & familiariter amabantur. Joann. 11. *Diligebat autem JEsus Martham & Lazarum & Mariam Sororem ejus.* Et Hebræorum ult. *Per hospitalitatem quidam placuerunt Domino, etiam Angelis hospitio receptis.*

Quinta est Dilectio DEI; quia, qui diligit DEUM, meretur etiam specialiter diligi à DEO. Prov. 8. *Ego diligentes me diligo.*

Sexta est Castitas, propter quam Joannes Evangelista cæteris familiariùs fuit à Christo dilectus. Unde & ipse frequenter nominat se ipsum *Discipulum, quem diligebat JEsus.*

CAPUT XI.

Qualiter B. Virgo in illis sex gratiis præcellebat omnes.

BEata autem Virgo in prædictis sex gratiis præcellebat omnes Sanctos. *Primò* enim excellebat Abraham & omnes alios in fide & credulitate. Summa enim fides & credulitas est, quam consequitur summus effectus ipsius fidei, quam Dominus exprimit Matth. 17. & 21. & Marci 11. *Si habueritis fidem, sicut granum Sinapis; & dixerit quis huic monti: tollere & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo; sed crediderit: ut, quodcunque dixerit, fiat, fiet ei.* Sed ad fidem & credulitatem B. Virginis ille mons maximus, DEI Filius, mons coagulatus, mons pinguis misit se in mare, id est, in ipsam Mariam, quæ est mare, in quod intrant omnia flumina gratiarum: ergo fides & credulitas ejus maxima fuit. Lucæ 1. *Et Beata, quæ credidisti &c.*

Secundò excellit Moysen & omnes in benignitate sive mansuetudine. Benignitas enim est triplex, videlicet cordis Sap. 1. *Benignus est enim Spiritus Sapientiæ &c.* Sed ipsa Spiritu sancto plena fuit: ergo benignissimi cordis fuit. Et est Benignitas Sermonis Eccl. 18. *Verbum bonum super datum optimum;* Sed ipsa fuit benignissima in Sermone & suavis in locutione. Prov. ultimo, *lex clementiæ in lingua ejus.* Ergo. Et est Benignitas operis; Psalm. *Benignè fac Domine in bona* Ps. 50. 20. *volun-*

voluntate tua Sion. Fructus verò & prœmium benignitatis est possessio regni cœlestis. Matth. 5. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram:* Glossa: *non terram hujus mundi, sed terram viventium, tanquam cives Sanctorum & Domestici DEI.* Sed ipsa possedit eam tanquam Domina mundi & Regina Cœli: ergo super omnes mitis & mansueta fuit. Unde meritò dicitur de ea: *Virgo singularis, inter omnes mitis.*

Tertiò excellebat David & omnes humilitate. Humilitas enim summa dicitur illa, quæ est à summis & maximis hominibus dignitate & potestate: quia indignum & impotentem esse humilem non est magnum nec laude dignum. Sed ipsa, cùm esset summa omni dignitate & potestate, tanquam Mater Regis Cœli & terræ, fuit omnium hominum humillima: ergo ejus humilitas fuit maxima & maximè laude digna. Unde ipsa de sola sua humilitate, omnibus aliis omissis virtutibus & gratiis gratulatur dicens: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc &c.*

Quartò excellebat hospitalitate Martham & Zachæum & omnes alios; Quia illi homini JEsu Christo cesserunt & exhibuerunt commodum hospitationis in domibus suis, & eum cibaverunt de rebus suis: ipsa autem Filio DEI de Cœlis in hunc mundum exulanti & peregrinanti cessit & concessit se ipsam, & suam mentem & ventrem ad hospitandum & inhabitandum; & de se ipsa, & de purissimis Carnibus & Sanguinibus suis, ùt scribit Damascenus, ipsum pavit & cibavit, & potavit, & fovit, & aluit: ergò summæ hospitalitatis merito & gratia omnes vicit.

Quintò excellit & excellebat omnes charitate & dilectione ad filium, & hoc triplicitèr, videlicet ex majori, & fortiori, & nobiliori causa & gratia & efficacia dilectionis; quia aliorum charitas fuit gratuita solùm: ipsius verò charitas fuit gratuita & naturalis, qua dilexit Christum, non solùm tanquam homo DEUM, sed tanquam Mater Filium. Eccl. 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis.* Proverb. 24. *Quid Dilecte mi, quid Dilecte uteri mei, quid Dilecte votorum meorum?* quasi diceret: quid dilecte mi videlicet tibi debeo gratiæ referendæ tanquam Ancilla Domino? Quid dilecte uteri mei tibi debeo dilectionis mutuæ tanquam Sponsa Sponso, videlicet pro eo, quia respexisti ancillam, & in Matrem elegisti ancillam; & Matrem in Sponsam & consortem regni assumpsisti? Ergo patet, quòd ex nobiliori causa & ex majori gratia & ex fortiori ipsius gratiæ afficacia super omnes filium plùs dilexerit.

Sextò excellebat castitate Joannem & omnes alios homines & Angelos, ùt superiùs dictum fuit. Castitatis enim prœmium est esse DEO proximum. Sap. 6. *Incorruptio proximum facit DEO.* Sed ipsa fuit omnium castissima super omnes Sanctos & Angelos: ergo fuit summè DEO proxima.

CAPUT XII.

De excellentia fidei Beatæ Virginis.

QUia ergo major credulitas, & benignitas, & humilitas, & hospitalitas, & charitas & castitas parit majorem familiaritatem; major autem familiaritas majorem complacentiam; major autem complacentia majorem gratiam; major verò gratia ad eum, quem effecit & hunc sibi causat gratum, Secretorum revelationem specialem & revocationem & invitationem & exaltationem & ad se assumptionem: Beata autem Virgo plùs omnibus fuit ad filium DEI concipiendum & pariendum DEO fidelis & credula, & ad ipsum in se & in ipsius mente & ventre hospitandum summâ charitate & castitate & humilitate & benignitate, placita & familiaris Hospita DEI Filio effecta; meritò super omnes fuit digna: ut de hoc mundo transitura suum transitum præsciret, & vocata & invitata veniret, & sine mora & medio perveniret, & ad filium vivum, qui resurgens à mortuis jam ultra non moritur, viva in corpore & in anima adveniret, & viva cum vivo & vivente in æternum regnaret. Quomodo enim pervenisset ad plenum regni consortium, si non viva in corpore simul & anima perveniret? Nec jam positus esset thronus Matri Regis juxta Regem, nec ad dexteram ejus sedisset in potioribus bonis ipsius, si in anima sola sine corpore ibi esset.

CAPUT XIII.

De gratiis merentibus revelationem propriæ mortis.

QUòd autem ex revelatione aliquis præsciat mortem suam, tres gratiæ meritoriæ causant & efficiunt. *Primò* gratia Divinæ familiaritatis. Quia, ùt prædictum est, illi Sancti, qui prædictis virtutibus videlicet credulitate, humilitate, benignitate, hospitalitate, Charitate, & castitate se DEO in hac vita charos & familiares effecerunt, hac gratia sunt à Domino specialiter consolati: quod sit eis sua mors revelata propter tres causas B. secundùm Gregorium in Dial. Ut videlicet magis parati merito, & magis assecurati de præmio, & magis consolati in gaudio non obstante ipsius mortis honore & dolore ac timore, transirent juxta illud: *cum jucunditate exibitis & in gaudio educemini.*

Secundò Desiderium dissolutionis & cœlestis associationis juxta illud Pauli: *cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Quia, ùt dicit Augustinus in Glossa ibidem, Sanctorum spem habentium vitam præsentem in patientia, & mortem in desiderio, Dominus consolatione & visitatione C. Ps.41.3. sua non frustrabit. Ps. *Sitivit anima mea ad DEUM fortem vivum, quando veniam?*

Tertiò vinculum mutuæ dilectionis. Quia, cùm Sancti sive electi ex charitate, quam habent ad DEUM, præsentem ad vitam ùt onus quoddam supportant, DEUS mutua dilectione ipsos ab opere alleviat insinuando eis terminum suæ fatigationis, & initium suæ exonerationis.
Ps.41.11. Ps. *dum dicitur mihi per singulos dies, ubi est DEUS tuus &c.*

Sed B. Virgo præ omnibus extitit DEO familiarior & charior ex prædictis virtutibus D. bus, ùt supra dictum est; & præ omnibus habuit vitam præsentem in patientia & mortem in quotidiano desiderio, desiderans dissolvi & esse cum filio juxta illud Cant. 5. *Filiæ Jerusalem, nunciate Dilecto, quia amore langueo.* Vita quoque præsens erat ei quoddam onus urgentis tædii & crescentis desiderii in amore & spe videndi filii & assecutione completi gaudii juxta verba Hieronymi superiùs posita: *O Quantis afficiebatur &c.* Ergo filius nequaquam dimisit matrem A. absque consolatione per specialem revelationem mortis suæ, per quam mitigaret ejus tædium, & consolaretur ejus desiderium, & certificaret appropinquans ipsius gaudium.

Cæterùm B. Virgo ex eo, quòd gratia plena fuit, & per consequens nullius scibilis ignorantiam propriè habuit, consequenter etiam inter alia scibilia ex plenitudine gratiæ mortem suam præscivit: quia propriæ mortis ignorantia quantùm ad ignoratum tempus & horam adventus ipsius, & humanæ miseriæ inter cæteras maxima pœna (est,) per quam incertè vivimus, incautè ducimur & periculosè subducimur huic vitæ juxta illud Eccl. 9. *Nescit homo finem suum, & utrum amore vel odio dignus sit, sed omnia reservantur incerta in futurum.* Unde mortem suam præscire est specialis gratia solis familiaribus DEI concessa. deest fen. sua.

CAPUT XIV.

Quòd B. Virgo ad transitum suum fuerit vocata & invitata.

QUòd etiam vocata & invitata & cum gloria deducta fuerit de mundo ad cœlum, de luctu ad gaudium, de mœrore ad Convivium, de labore ad requiem, de exilio ad patriam, de lacu miseriæ ad regnum & thronum gloriæ, sic patere potest. Vocari & invitari conveniebat Beatam Virginem transituram de hoc mundo: & hoc tripliciter. *Primò* ùt Matrem ad filium; & hoc ex officio pietatis, quo filius tenetur ex præcepto Matrem honorare. Exod. 20. *Honora patrem & matrem.* & Hieronymus; *Quomodo aliter, quod præceperat, impleret; nisi & ipse Matrem honoraret, qui alios patrem & matrem honorare præcepisset?*

Secundò ùt Sponsam ad Sponsum; & hoc ex vinculo Charitatis. Cant. 2. *Veni Amica mea, columba mea, formosa mea; veni coronaberis.* Et ibidem: *Veni in hortum meum Soror mea Sponsa; messui Myrrham cum aromatibus meis.*

Tertiò ùt Reginam ad regnum; & hoc ex congruo dignitatis. Ezech. 16. *Profecisti in regnum, & egressum est nomen tuum in gentibus: quia perfecta eras in decore tuo.* Et Psalm: *astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata Varietate.* Ps.44.10.

CA-

CAPUT XV.

Quòd cum lætitia & gloria deducta & conducta fuerit.

NOn solùm autem vocata & invitata, sed etiam cum laude & gloria & lætitia cœlesti, deducta & conducta & adducta fuit Mater à filio, Sponsa à Sponso, Regina à Rege: & collocata in regni throno sub filii personali & corporali præsentia, sub Sanctorum frequentia & totius cœlestis curiæ concomitantia. Unde in hujus significatione dicitur. 2. Reg. 6. *Quòd abiit David & omnis Israël cum eo; & adduxerunt arcam DEI de Domo Obededom in Jerusalem.* In quibus Verbis insinuatur *primò* filii adventus & præsentia in eo, quod dicitur: *abiit David*, id est: filius DEI descendit de cœlis in hunc mundum de throno patris, ad lectum Matris, adducens regni Sceptrum ad funeris obsequium.

Secundò insinuatur cœlestis Curiæ concomitantia, cùm subjungitur: *Omnis Israël cum eo.* Justum enim & condecens & condignum erat, ipsum Regem cœlorum venire cum toto comitatu Angelorum & Sanctorum ad Regis matrem suscipiendam cum gaudio, & conducendam cum digno obsequio, & collocandam in regni solio.

Tertiò insinuatur ipsius gloriosa adductio, cùm dicitur: *& adduxerunt arcam DEI.* Ipsius verò gloriosa adductio consistebat in laude præcedentium & prævenientium, videlicet Patriarcharum & Prophetarum: qui eam ab antiquo & ex longinquo desideraverant & invitaverant cum cætero cœtu animarum Sanctorum; juxta illud Ps. *prævenerunt Principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum;* Et in jubilo concomitantium, videlicet Apostolorum & Martyrum; qui eam in hac vita jam susceperant & viderant, & sibi & filio suo præsentes aderant & adhæserant: & in lætitia subsequentium, videlicet Virginum & Confessorum & continentium; qui suo modo ad ipsius exemplum securi sunt Dominum.

Ps. 67. 26

Quartò innuitur præsentis miseriæ felix commutatio in eo, quod dicitur: *de Domo Obededom;* Obededom interpretatur *Domus servitutis;* quæ domus est incolatus præsentis miseriæ, in qua servitur 1. humanæ necessitati; de quibus necessitatibus corporis dicit psalmista: *De necessitatibus meis eripe me Domine.* 2. mundanæ vanitati. Psalm: *Universa vanitas omnis homo vivens.* 3. Quotidianæ mutabilitati. Ps. *in imagine pertransit homo; sed & frustra conturbatur.* Et Psalm: *Mutabis eos, & mutabuntur.*

Ps. 24. 17. Ps. 38. 6. Ps. eodem v. 7. Ps. 101. 27.

Quintò innuitur Regni gloriæ pacifica possessio, cùm subditur: *in Jerusalem;* Jerusalem namque interpretatur *visio pacis.* Unde notandum, quòd pacificam possessionem regni terrestris & temporalis impediunt tria. *Primum* est metus superiorum & potentiorum; quia, ùt dicitur Lucæ 14. oportet inferiorem & impotentiorem Regem cum solicitudine cogitare: si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se, & legationem mittere, & rogare ea, quæ pacis sunt. *Secundum* est impetus hostium. Undè Josue 15. *Filii Israël non potuerunt ejicere Jebusæum; sed habitavit inter eos usque in hodiernum diem.* *Tertium* est rebellio subditorum. Unde dixit David 2. Reg. 19. ad Joab & Abisai Duces sui exercitus: *Cur efficimini mihi hodie in Sathan?*

Beata Virgo in regno filii, ad quod assumpta & locata fuit, nullum impedientem vel resistentem habuit, nec potentiorem, & superiorem, quia super omnes divites plebis: impetus quoque hostium timere non potuit, quæ ipsum serpentem sub pedibus contrivit; & in suo egressu & processu hinc virtutum meritis & insigniis, hinc Angelorum obsequiis stipata & munita ascendit. Cant. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut Castrorum acies ordinata?* Rebellionem quoque subditorum scilicet carnis & carnalium affectionum jam pati non potuit, quæ conscisso sacco præsentis mortalitatis jam impassibilis facta fuit. Ps. *permanebit cum sole & ante lunam in generationem & generationem;* id est: in æternum propter cœlestis regni æternam durationem.

Ps. 71. 5.

CAPUT XVI.

Quòd Beata Virgo sine dolore obierit.

Cùm igitur juxta prædicta pateat & constans sit, quòd B. Virgo taliter voca-

vocata & invitata & cum gloria deducta & conducta & introducta in regnum filii, etiam statim & immediatè evolaverit (quia nihil in se purgabile habuit, quod causam dilationi & moræ præstiterit, juxta illud Cant. 2. *Surge, propera Amica mea, veni de Libano, veni, coronaberis*) restant circa ipsius transitum duo quærenda. *Primò*, utrum sine dolore obierit. *Secundò* utrum in corpore & in anima statim resurgens assumpta fuerit.

Circa primum istorum notandum est; quòd non solùm possibile est per gratiam, sed etiam per naturam, aliquos mori sine dolore: quod sic patere potest. Dicit enim Philosophus in libro de vita & morte; quòd, sicut est duplex corruptio ignis: una, quæ fit paulatim per sui nutrimenti, id est, combustibilis consumptionem, quæ est ignis ipsius extinctio quasi naturalis corruptio ipsius: alia, quæ fit subito per ipsius ignis suffocationem, quæ est quasi violenta ipsius corruptio: ita est duplex mors. Una quasi naturalis quæ est, paulativa consumptio humidi radicalis, donec illo consumpto etiam simul deficiat calor vitalis; & talis mors est sine dolore, sicut fit in senibus. Alia est quasi mors violenta, quæ fit calore naturali & vitali à suo contrario extincto vel suffocato: & talis mors est cum tantò majori dolore, quantò major violentia fit naturæ per separationem principii vitæ, id est, ipsius animæ à corpore, qualis mors est in robustis corporibus & ætatibus.

Naturalis igitur mors, quæ inducitur per paulativam consumptionem humidi radicalis, habet causari dupliciter. Uno modo per defectum Senii, sicut prædictum est: alio modo per actum meditandi & contemplandi. Quia illis actibus frequentiùs exercitatis anima à corporis administratione torpescens, & in se quiescens destituit vires naturales & animales, quibus corpus vivificatur & vigoratur & sensificatur, juxta illud Eccl. 12. *frequens meditatio est carnis afflictio.*

Cùm igitur per contemplationem & maximè Divinorum meditationem fiat ab inferioribus viribus animæ abstractio secundùm actum & operationem, ùt supra dicebatur de gradibus contemplationis, quòd sensus vertitur in imaginationem,

A. imaginatio in meditationem & considerationem, consideratio in contemplationem, in qua conversatione fit animæ elevatio ad cœlestia & divina, quam consequitur ipsius conjunctio, & conjunctionem delectatio in cœlestibus & divinis, & per consequens corporis & virium ipsius consopitio, & motus & regiminis ipsius animæ circa corpus cessatio, idcirco, quòd motus superiores & fortiores impediant inferiores usque ad hoc, quòd tandem destruunt motus inferiores & debiliores: propter hanc fortem & continuam ac longam abstractionem animæ

B. secundùm actum & operationem ab inferiorum virium regimine, & administratione corporalium motionum & operationum secundùm ipsas ultimò necesse est consequi separationem animæ à corpore secundùm substantiam, & formalem conjunctionem sui cum corpore.

Cùm ergo B. Virgo secundùm verba Hieronymi priùs sæpe dicta per profundissimam meditationem & altissimam contemplationem in desiderio & amore filii, se quotidiana & quotidie continuata & confortata exercitatione affecerit usque ad corporalium virium & earum

C. administrationis cessationem & consopitionem, ita ut non corporali dolore, sed in amore & dilectione filii langueret, juxta illud: *Quia amore langueo;* Glossa: *præ amoris magnitudine omnia carnalia & temporalia fastidio*: Verum est & verè tenendum, quòd sine dolore in summo gaudio & dilectione anima ejus Sanctissima Corpori se substraxerit, & filio sit conjuncta. Cant. 2. 5.

CAPUT XVII.

Probatio ad hoc, quòd B. Virgo sine dolore obierit.

D. HOc etiam patere potest per rationes. Quia si simpliciter sequitur ad simpliciter: & magis ad magis, & maximè ad maximè sequetur. Si ergo ad abstractionem simpliciter, sequitur cessatio animæ à corporis administratione, sicut patet in Moyse & Elia, qui in monte cum Domino propter abstractionem animæ in contemplatione secundùm actum à Viribus inferioribus non senserunt defectum famis & sitis quadraginta diebus ac noctibus: ergo in altiori contemplatione fit

major

major abstractio & in altissima fiet abstra- A ctio ultima. Hæc autem est separatio animæ secundùm substantiam à corpore. B. autem Virginis contemplatio fuit in ultimo altitudinis gradu: ergo sua abstractio fuit ultima, quæ est separatio corporis ab anima: & sic in summo suæ contemplationis & delectationis ipsam consequentis fuit ejus anima præ amore, non præ dolore, à corpore separata. Propter quod lector hujus operis non miretur, quòd moram feci de B. Virginis vita contemplativa loquendo, quam taliter usque ad mortem continuavit sanctissima ejus anima.

Præterea mori sine dolore est quædam B specialis gratia, ad quam in ratione causæ & meriti tria disponunt & perficiunt. 1. Incorruptio, scilicet virginitatis inviolata conservatio. Unde Joannes Evangelista legitur hac gratia specialiter honoratus. Unde & Beda in Homilia: *Diligebat autem JEsus Joannem, quia specialis prærogativa castitatis ampliori eum dilectione dignum fecerat: quia Virgo electus ab ipso, Virgo in ævum permansit.* Unde in prologo super Joannem dicitur, quòd descendit in defossum, quem sibi fieri fecerat in sepulturæ locum, tam à dolore mortis extraneus, quàm à corruptione C carnis extitit alienus. 2. Specialis dilectio. Est enim quasi quædam diligentis ad dilectum delicata affectio, nolle dilectum aliquid durum vel indignum pati; sicur Principes exercitus David dixerunt ad ipsum 2. Reg. 21. *Jam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam in Israel.* Hanc dilectionem videtur Christus habuisse ad Joannem, quasi nolens eum, tanquam majori gratia dignum & delicatum, aliquid durum pati, cùm dixit Joan. ult. *Sic eum volo manere, donec veniam; quid ad te?* Super quo verbo dicit Beda, quòd Dominus in hoc ipso verbo innuat circa D Joannem placidam suæ carnis absolutionem, quam Domino se visitante percepit. 3. Dissolutionis desiderium & affectio secundum illud Philip. 5. cupio dissolvi & esse cum Christo. Unde refert Gregorius IV. Dialog. de pluribus Sanctis, qui pro summæ patientiæ merito & dissolutionis desiderio meruerunt Domino vocante sine mortis dolore in jubilo & gaudio de hoc mundo transire ad Cœlum.

Cùm igitur B. Virgo Joannem Evangelistam & omnes alios excellat indubitanter in summæ incorruptionis gratia & merito, & in summæ dilectionis privilegio, qua dilexit filium & dilecta est à filio; & in summo dissolutionis desiderio, quo desideravit hinc transire & esse cum filio, ùt sufficienter patet ex ante habitis, verum est, & verè tenendum, quòd ejus sanctissima anima ex amore sine dolore fuerit à corpore separata. Unde Anselmus in Sermone, *Omnium Domina: non vacat; quòd filius tuus, qui tibi in morte obdormienti affuit ipse præsens, ad cujus conspectum mors fugit, ad cujus vocem mortui resurgunt: absit, ut eo præsente tu tangi posses mortis dolore &c. Bibisti secum Passionis calicem, ut non esset fas te amplius vel habere mortis timorem, vel sentire dolorem.*

CAPUT XVIII.

Utrum B. Virgo in Corpore & in anima assumpta sit.

DE ipsius verò Resurrectione & assumptione in corpore & in anima de cætero ad finem & consummationem præsentis operis est dicendum, quod à nobis dici potest, ipsa favente & Domino inspirante.

Sciendum itaque; quòd Sancti de ista materia diversimodè & diversa locuti sint, non tamen adversa, si quis ea rectè attendat & cum sana intelligentia. Hæc autem diversitas invenitur in scriptis & dictis Sanctorum in triplici differentia. Quidam enim videntur de Assumptione B. Virginis in corpore & in anima quasi expressè dubitare, ùt Hieronymus dicens: *Quòd circa hoc Humanum mendacium non debet dicere manifestum, quod DEUS voluit esse occultum;* Sed de B. Virgine & Joanne Evangelista, utrum sint assumpti in corpore & in anima, DEUS voluit esse occultum juxta illud Isaiæ 24. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi:* licèt in amborum monumentis eorum corpora post mortem & sepulturam non sint inventa, sed vacua relicta: ergo ex quo DEUS voluit hoc esse occultum, quid de ipsis sit factum, humanum judicium non debet circa hoc ponere aliud, ùt manifestum.

Quidam verò videntur expressè ponere & dicere, quòd B. Virgo in corpore & in anima ad gloriam sit assumpta, ùt Augusti-

gustinus in Sermone de Assumptione: *Thronum DEI, thalamum Regis Cæli, tabernaculum Christi ibi decet esse, ubi est ipse: tantum thesaurum dignius est Cælum servare quàm terra.* Idem in eodem: *Lætare Maria lætitia inenarrabili in corpore & in anima; quæ omnium integram vitam genuit in utroque.* Item Bernardus. *Nec in mundo dignior locus virginali utero, in quo Filium DEI Maria suscepit: nec in Cælis locus dignior regali illo solio, in quo Mariam Mariæ Filius sublimavit.* Idem: *tantam incorruptionem Virginis Matris non sequetur ulla resolutio putredinis.* Et in hunc modum sunt plures Sententiæ & dicta, Augustini præcipuè & Bernardi.

Alii verò Sanctorum & Doctorum circa istam materiam videntur via media incedere, & quasi sub dubio eam relinquere: & præcipuè Anselmus in Sermone: *O Mundi Domina*, ita dicit: *Tui dissolutionem Corporis, O Domina, non est dignum appellare mortem, sed Dormitionem vel assumptionem vel exhalationem. Quomodo autem vel quamdiu dormiveris, vel si adhuc cum dormientibus dormias, vel cum resurgentibus evigilas, nec possumus, nec debemus nec negare nec affirmare.* Item ibidem. *Assumptam te, O gloriosa Virgo, & super omnes Angelos exaltatam credimus; sed sive nunc sis in Corpore, sive extra Corpus, DEUS scit, nos nescimus.*

Cùm igitur prædictæ Auctoritates Sanctorum & Doctorum sibi videantur ad invicem diversæ; Qualiter non sint sibi adversæ, tentandum est convenientiori via, qua possumus, aliqualiter investigare.

CAPUT XIX.

Distinctio eorum, quæ sibi videntur in ista Quæstione repugnare.

Sciendum itaque, quòd eorum, quæ nostræ assensioni proposita sunt ex doctrina & religione Christiana, alia sint, quæ nobis suscipienda & tenenda præscribit sacræ Scripturæ auctoritas; alia, quæ nobis credenda imponit salutis necessitas; & alia, quæ docet Ecclesiæ sobrietas; ac alia, quæ persuadet fidei pietas.

Quæ ergo nobis præscripsit Scripturæ auctoritas, simpliciter sunt credenda. De quibus dicit Damascenus: *Omnia, quæ*

A. *nobis tradita sunt per legem & Prophetas & Apostolos & Evangelistas, suscipimus & veneramur, nihil ultra hæc quærentes. Istis enim contradicere, vel istis non credere est Blasphemia in Spiritum sanctum: qui est auctor & inspirator sacræ Scripturæ.*

Quæ verò nobis imponit salutis necessitas, fideliter sunt tenenda: qualia sunt articuli fidei, & ipsis directè & immediatè consequentia vel annexa. De qualibus dicit Athanasius in Symbolo: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter crediderit, salvus esse non poterit.*

B. Quæ autem docet Ecclesiæ sobrietas, sunt cautè concedenda, ne vanis opinionibus veritas fidei periclitetur.

Quæ etiam suadet fidei pietas, sunt castè amplectenda, ut adulterinis rationibus sinceritas fidei non violetur.

Cùm igitur de primis duobus satis constet; quæ sint, & qualiter suscipienda & tenenda sint; quæ nobis præscribit Scripturæ sacræ auctoritas; & illa, quæ nobis imponit salutis necessitas: de aliis duobus, videlicet quæ & qualia sint illa, quæ docet Ecclesiæ sobrietas, quæ cautè sunt concedenda; & quæ suadet fidei pietas, quæ caC. stè sunt amplectenda, breviter aliquid est dicendum; videlicet quid sit sobrietas & quid pietas, secundùm quam in Theologicis Quæstionibus est procedendum & agendum, ut cautè & castè agatur circa Quæstiones & determinationes dubiorum: & maximè propter Verbum Hieronymi, qui dicit: quòd *in ista dubitatione & quæstione*, videlicet quid actum sit in transitu ipsius B. Virginis de suo sanctissimo Corpore, *plùs elegerit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire: quàm aliquid inde frivolum vel apocryphum æstimare.*

D.

CAPUT XX.

De duplici Veritate, occulta scilicet & manifesta.

Notandum ergo, quòd, cùm in sacra Scriptura quædam sint, quorum veritas est manifesta, ùt, quod legitur, quòd DEUS creaverit Cœlum & terram, & formaverit hominem ad imaginem suam; qui positus est in paradisum & ibi transgressus præceptum Divinum, & similia: quædam verò sint, quorum veritas est dubia vel occulta, ùt, utrum omnia simul sint

, sint creata & distincta, vel simul creata & in sex dierum operibus distincta; & similia: illa, quorum veritas est manifesta, simpliciter credenda sunt & tenenda, ùt sunt expressa: illa verò, quorum veritas est dubia vel occulta, sunt sobriè intelligenda & piè suscipienda & tenenda.

Super quo notandum est, quòd nomen sobrietatis, prout est species temperantiæ, sumitur à modo & mensura debita sumptionis & delectationis cibi & potus. Unde dicitur sobrietas à Son, quod est simul, & bria quod est, mensura, quasi mensuratio vel commensuratio cibi & potus ad virtutem & salutem sumentis, ut ex sumptione superflua & inordinata nec motus impediatur, nec sensus lædatur, nec ratio perturbetur in sumente. Cui virtuti sobrietatis opponitur ebrietas, dicta ab e, quod est extra, & bria, quod est mensura; inde ebrietas quasi extra mensuram: quia ebrius excedit mensuram debitam & necessariam in sumendo cibum & potum usque ad hoc; quòd impeditur in recta operatione secundùm motum & sensum & intellectum, ut neque directè vadat, neque sentiat, neque sanè intelligat.

Cùm igitur Verba DEI sint alimentum & nutrimentum spirituale ipsius animæ juxta illud Deut. 8. *Non in solo pane vivit homo; sed in omni verbo, quod egreditur ex ore DEI.* Unde Ecclef. 24. *Cibavit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potavit illum;* proinde circa tractationem & expositionem sacræ Scripturæ, quæ sunt Verba DEI, & circa ea, quæ ex ipsa extrahuntur, & ad ipsius fundamenta reducuntur, tanquam circa spirituale nutrimentum animæ & conservationem vitæ & salutis ipsius exigitur sobrietas debita & condigna; ne vel ex superflua vel ex inordinata sumptione ipsius nutrimenti motus rectæ intentionis distorqueatur, & sensus veræ interpretationis transgrediatur, & intellectus periculo & errore falsæ Conclusionis decipiatur: sicut contingit ebriis & insanis, qui nesciunt, quò vadant, vel intendant, vel quid sentiant vel intelligant juxta illud Ecclef. 34. *Divinatio erroris & auguria & mendacia & somnia malefacientium vanitas est. Sed sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur, nisi ab altissimo emissa fuerit visitatio:* ita qui ultra intellectum sanum & planum investigatione Scripturarum & motu dubiorum & Quæstionum se nimis profundant, quasi phantasias & vertigines capitis patientes incipient errare & titubare juxta illud 28. *Erraverunt præ vino & ebrietate Sacerdos & Propheta; nescierunt & ignoraverunt judicia.*

Sobrietas igitur circa Scripturarum expositionem, & dubiorum & Quæstionum determinationem ita rectè teneri potest; si intendatur & attendatur ad illa investiganda & determinanda, quæ sunt DEO condecentia & condigna & rectæ fidei consona & saluti utilia. Unde Chrysost. super illud Proverb. 9. *Scientia Sanctorum prudentia*, inquit: *Vera Sapientia & Prudentia est sentire DEO digna, & in se vera, & homini salutaria.*

CAPUT XXI.

De modo sentiendi in scriptura secundùm pietatem fidei.

Circa pietatem verò fidei, per quam circa ea, quæ de DEO & de Divinis sunt dubia occulta, castè sentiendum est & illud amplectendum, per quod adulterinis rationibus sinceritas fidei non violetur: notandum est; quòd, cùm, sicut dicitur ad Hebræos XI. *Fides est substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium*, ex hoc patet, quòd sicut secundùm Philosophum argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem: ita secundùm Apostolum fides est argumentum rei dubiæ faciens rationem.

Super quo notandum; quòd rationes, quæ ex fide sumuntur in Theologicis, differant à rationibus, quæ ex argumentis trahuntur in Physicis in eo, quòd, cùm in Physicis rationes in tantum sint ad propositum convenientes & congruentes, in quantum sunt magis necessariæ; in Theologicis è converso in tantum sunt ad propositum concludentes, cogentes & necessariæ, in quantum sunt convenientes & congruentes fidei & pietati secundùm fidem. Unde Anselmus in libro, cur DEUS homo, *ad omne*, ait, *inconveniens in DEO sequitur impossibile; & ad omne conveniens, cui major ratio non repugnat, sequitur necessarium.*

Hæc verò duo Dona, scilicet Donum Scientiæ & pietatis in suis actibus & officiis respiciunt informationem & illuminationem intelligentiæ humanæ in expositione

tione & investigatione Sacræ Scripturæ; videlicet Donum scientiæ tanquam dirigens, & donum pietatis tanquam ex se conveniens, sicut dicit Augustinus de Trin. libro 14.

Actus verò & officia Doni pietatis circa hoc inveniuntur tres. *Primus* est movere expositorem & lectorem Sacræ Scripturæ ad opera misericordiæ sibi ipsi primò & deinde proximo impendenda: quia ex hoc actu & effectu causatur totus fructus & profectus lectionis & eruditionis divinæ juxta illud Eccl. 30. *Miserere animæ tuæ placens DEO.* Et: *Discite, quid est, misericordiam volo, & non sacrificium.*

Secundus actus Scripturæ Sacræ non contradicere sive intellectæ sive non intellectæ: quia, ut dicitur Isaiæ 7. *Nisi credideritis, non intelligetis.*

Tertius actus est sancta honorare. Unde super illud Matth. 5. *Beati mites,* dicit glossa: *mites sunt, qui piè quærunt & honorant sancta.*

Adulterinæ itaque rationes in theologicis, contra quas pietas fidei suadet castè sentire, sunt illæ, quæ magis procedunt ex supposita aliqua necessitate, quàm ex intenta & proposita utilitate, contra illud Isaiæ 49. *Ego Dominus DEus docens te utilia;* sed non subtilia. Et quæ sine ratione cogente, vel majori auctoritate attestante plùs respiciunt severitatem quàm pietatem, Contra illud Matth. 6. *Nolite judicare, ut non judicemini.* Et quæ sanctis honorandis cum præjudicio veritatis plùs detrahunt, quàm addunt,
Ps. 150. 1. contra illud Psalm: *Laudate Dominum in Sanctis ejus.*

CAPUT XXII.

Quæ sit differentia inter scire & credere; & inter dubitare & credere.

Cùm igitur, quòd B. Virgo assumpta sit in corpore & in anima, non habeatur ex sacræ scripturæ auctoritate, sicut patet; nec hoc nobis credendum imponatur pro salutis necessitate secundùm Hieronymum, qui dicit ita in Sermone, *Cogitis me o Paula,* quia DEO nihil est impossibile, nos B. Virginem in Corpore & in anima resurrexisse non abnuimus; quamvis propter cautelam salva fide hoc
A. pio desiderio magis opinari oporteat, quàm inconsultè diffinire, quod sine periculo nescitur. Ex quo dicto videtur Hieronymus velle, quòd non sit periculum salutis in tenendo vel non tenendo, quòd B. Virgo in corpore & anima assumpta sit: propter hoc videndum est diligentiùs, quæ sit differentia inter scire & credere, & inter nescire & non credere, & inter dubitare & opinari, & inter negare & non asserere; ut per consequens valeat videri, in qua parte circa istam quæstionem sciendo vel credendo, & nesciendo vel non credendo, & opinando
B. vel dubitando, & negando vel non asserendo, salutis periculum possit vel non possit esse.

Primò igitur inter scire & credere videtur esse differentia in eo; quia illud, quod scitur, per rationem comprehenditur: quòd vero creditur, ad assentiendum huic voluntate inducimur. Et quia in multis etiam voluntate ultra rationem vel cum ipsa ratione assentimus ei, quod scimus: propter hoc de eodem, licet non secundùm idem, potest esse scientia & fides, Augustinus 13. de Trin. Unde quòd tenemus & assentimus DEUM esse,
C. uno modo est Articulus fidei, & alio modo est conclusio scientiæ Metaphysicæ, vel propositio per se nota secundùm Damascenum: qui dicit, quòd per se notum est omnibus DEUM esse.

Inter nescire verò & non credere differentia est; quia multa eorum, quæ nescimus, nihilominus credimus: Quæcunque verò non credimus, illa etiam nescimus.

Inter opinari verò & dubitare differentia est; quia opinio magis tenet se ad partem opinatam, quàm ad ejus oppositum: Dubitatio verò æquè fluctuat &
D. discurrit inter utramque partem contradictionis. Unde opinari videtur esse quasi medium inter scire & credere uno modo, & alio modo inter credere & dubitare.

Inter negare autem & non asserere est differentia; quia quod negatur, in totum aufertur: quod verò non asseritur, nec negatur neb affirmatur: sed tam affirmanti quam neganti liberum relinquitur.

CA-

CAPUT XXIII.

Quod sobrietati Ecclesiæ consonet credere, B. Virginem in Corpore & anima assumptam.

QUoniam igitur, dato quòd B. Virginem esse assumptam in corpore & in anima sit veritas; quia tamen est veritas occulta, non manifesta; in quantum non habetur ex scripturæ auctoritate, & in quantum ad hoc tenendum non obligamur ex necessitate salutis secundùm verbum Hieronymi supra positum: videndum est, utrum salva Ecclesiæ sobrietate & fidei pietate possit credi vel opinari, aut dubitari, & per consequens vel asseri vel minimè dubitari aut nec asseri nec negari.

Quòd sobrietati Ecclesiæ consonet, & nequaquam discordet credi B. Virginem in corpore & anima esse assumptam, sic videtur posse ostendi. Sobria enim & sobriè sentienda sunt illa, ùt prædictum est, quæ credita & recepta in assensum sunt DEO digna & rectæ fidei consona & saluti utilia. Quòd autem credi B. Virginem integraliter esse assumptam sit DEO dignum patet: quia DEO digna sunt, ex quibus laudatur divina potentia & sapientia & bonitas & liberalitas & justitia & gratia & misericordia & benignitas; sicut patet in libro de Divinis nominibus per totum de his, in quibus laudatur DEUS. Unde cùm post DEUM hominem JEsum Christum non possit esse vel cogitari dignior persona gloriosâ Virgine Matre sua, nec majori gratia dotata, quàm quæ gratia fuit plena: ista gratia, quæ est ad gloriam resurgere post mortem in corpore & in anima, aut fuit ei communicabilis, aut non? Quòd autem non fuerit ei incommunicabilis, patet: quia quibusdam aliis in inferiori dignitate & gratiarum plenitudine constitutis fuit communicata; sicut illis, qui cum Domino resurrexerunt, ergo ista gratia B. Virginis etiam communicabilis vel communicanda fuit, tanquam DEO decens & digna, & B. Virgini debita & congrua, & nostræ saluti utilis & necessaria.

Fuit autem DEO condecens & condigna, & B. Virgini debita ac nostræ saluti utilis & necessaria primò propter manifestandam & laudandam in ipsius Assumptione legalem in filio justitiam. Secundò A. propter commendandam divinam circa nos misericordiam. Tertiò propter consummandam erga B. Virginem plenitudinem gratiæ. Quarto propter integrandam perfectionem magnificentiæ cœlestis regni & gloriæ.

CAPUT XXIV.

Quòd Assumptio B. Virginis in anima & in corpore fuit DEO condecens, condigna & condebita.

PRimò itaque Assumptio gloriosæ Virginis in Corpore & in anima fuit DEO decens & condigna propter manifestandam & B. laudandam in filio legalem justitiam. Est enim Divini & humani juris legale & morale præceptum *honorare Patrem & Matrem* Exod. 20. Christum autem DEUM hominem factum decuit adimplere omnem justitiam divinam & humanam juxta illud Matth. 3. *Sic decet nos adimplere omnem justitiam;* & juxta illud sapientis: *patere legem, quam ipse tuleris.* Ergo præceptum honorandorum parentum, quod aliis tradidit, ipsemet erga parentes suos observavit. Sed plus erat DEum subditum esse homini, quàm filium honorem impendere Matri. C. Christus autem se subdidit parentibus juxta illud: *& subditus erat illis:* ergo Luc.2,51 & in hoc Matri honorem debitum impendit, quòd eam non in anima tantùm, sed integraliter in Corpore & anima consortem sui fecit. Ps. *Astitit Regina à dextris* Ps.44.10. *tuis in vestitu deaurato* scilicet in Corpore glorificato.

Secundò integralis assumptio Matris in anima & in corpore fuit filio condecens & condigna propter commendandam circa nos summam DEI misericordiam. Miseria enim culpæ & pœnæ, in qua continuè laboramus, indiget miseri- D. cordia sublevante & conservante & finaliter liberante juxta illud Ps. *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ &c.* Ps.22.6. Sed nemo digniùs & perfectiùs potest misericordiam humano generi apud DEum obtinere, quàm Mater DEI juxta illud 1. Reg. 25. *Benedicta tu & benedictum eloquium tuum, quæ prohibuisti me; ne ulciscerer in manu mea. Ecce itaque audivi vocem tuam & honorificavi faciem tuam.* Nemo etiam meliùs & efficacius potest hoc facere, quàm illa, quæ est Regina Misericordiæ, & potens super DEI

DEI misericordiam obtinendam & dispensandam A secundùm singulorum indigentiam. Hoc autem digniùs & perfectiùs fit per ipsius Reginæ misericordiæ apud Regem justitiæ corporalem & personalem præsentiam : ergo in corpore & in anima debuit filio consedere in throno regni misericordiæ. Unde Gregorius in Collecta rectè dicit: quòd filius eam ideo de præsenti sæculo transtulit : ut *apud eum pro nobis fiducialiter intercedat.*

Tertiò condecens & condigna DEO fuit Matris corporalis assumptio propter consummandam B circa ipsam plenitudinem gratiæ. Gratia enim ordinatur ad gloriam: ergo plenitudo gratiæ ad plenitudinem gloriæ. Sed ipsa fuit in summo gratia plena secundùm statum viæ; illam autem sine medio consequitur plenitudo gloriæ. Cùm ergo ipsa gloria detur ex gratia juxta illud Rom. 5. *Gratia regnat per justitiam in vitam æternam;* ergo sine dubio summa gratia privaretur, si non ad plenitudinem gloriæ in anima & in corpore statim post statum viæ assumeretur.

Præterea dilatio plenæ glorificationis in corpore & in anima in aliis Sanctis C causatur propter exspectationem impletionis numeri electorum juxta illud Apoc. 6. *Adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.* Et hoc propterea, ne priores Sanctorum sine posterioribus consummentur & glorificentur juxta illud ad Hebræos XI. *Sancti non acceperunt repromissionem, DEO pro nobis aliquid melius providente, ne consummarentur sine nobis.* Sed hæc causa cessat in B. Virgine, quæ est Regina & Domina omnium, & non una ex omnibus; sed una & sola super omnes juxta Esth. 15. *Non pro te est* D *hæc lex constituta, sed pro omnibus;* quasi diceret, tu non es una ex omnibus, sed una super omnes. Ergo non debuit plenitudinem suæ glorificationis in corpore & in anima usque in finem mundi exspectare cum aliis.

Quartò Matris plena glorificatio fuit condecens & condigna DEO propter integrandam completionem magnificentiæ cœlestis regni & gloriæ. Curia enim cujuslibet Regis & ipsius magnificentia tunc est completa, quando & ubi simul sunt Rex & Regina, Mater & filius, Sponsa ac Sponsus: in horum enim cohabitatione & præsentia consistit ornatus Curiæ, & inde augetur gaudium & gloria Regis Ministris & fidelibus, & major fiducia & gratia petentibus & impetrantibus juxta illud ad Hebræos 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Bernardus: *accede tibi peccator secure. Mater enim ibi pro te ostendit filio ubera, filius patri vulnera, Spiritus Sanctus æternæ Charitatis insignia.* Et hoc significatum est 3. Regum 2. ubi ingrediente Matre Salomonis ad ipsum Regem ad petendum pro Adonia, surrexit Rex in occursum Matris, & positus est thronus Matri Regis juxta thronum Regis. Quæ sedit ad dexteram ejus, & dixit ei filius: *pete Mater mi; nec enim fas est, ut avertam faciem tuam.* Salomon verò significat Christum, & Mater ejus Matrem Christi. Si ergo signatum respondet signo, & si verum est illud signum: ergo Mater Christi in die assumptionis suæ ingressa est in Corpore & in anima ad filium, & filius præsentialiter occurrit ei, & positus est thronus Matri juxta thronum filii; quæ sedit ad dexteram ejus, id est, in potioribus bonis ipsius vivens & regnans cum filio vivente & regnante in æternum: ut in ipsa & propter ipsam consummata sit magnificentia Curiæ cœlestis regni, & plena ipsius gloria & gaudium.

CAPUT XXV.

Quòd pietati fidei consonet credere B. Virginem in corpore & anima assumptam.

QUòd etiam pietati fidei consonet credi & teneri, quòd B. Virgo in corpore & in anima sit assumpta, sic patere potest. *Primus* enim actus est effectus ac profectus Doni pietatis, secundùm quem procedendum & agendum est in credendis & tenendis, est moveri ad opera misericordiæ, ùt superiùs dictum fuit. Cùm igitur omnis gratia & gloria communicabilis creaturæ communicata sit ei ex sola Divina misericordia juxta illud Ps. *Quia misericordiam & veritatem diligit DEus,* Ps. 83.12 ideo scilicet *gloriam & gratiam*

tiam dabit dominus: pronum est credere B. Virgini ex sua misericordia istam quoque gratiam contulisse; ut ad divinam misericordiam nobis impetrandam ipsa Regina misericordiæ corporaliter & præsentialiter in cœlis semper secum debeat esse, Psalm: *tenuisti manum dexteram meam &c.*

Ps. 72. 24.

Secundus actus pietatis est Scripturæ Sacræ non contradicere intellectæ sive non intellectæ. Quia intellecta in ipsa sunt cum pietate suscipienda & tenenda: Non intellecta verò Sancto sunt Spiritui reservanda in futurum, quando omnia cognoscemus & cognitis realiter perfruemur juxta illud Exodi 12. *Si quid residuum fuerit, igne comburetis.* In his autem includuntur non solùm in scriptura expresse contenta, sed etiam illa, quæ ex his secundòm consequentiam rationabilem & pietati fidei congruentem extrahi possunt. Tale autem est istud, quòd B. Virgo in corpore & in anima sit assumpta, cui nulla scriptura sacra contradicit nec contrariatur, sed turba auctoritatum & rationum solemniter attestatur, quia pietati fidei conformatur. Quod patet præcipuè ex eo, quia oppositæ parti, scilicet quòd in corpore & in anima non sit assumpta, nec aliquod mysterium scripturæ vel significatio Mystica aut auctoritas expressa aut ratio verosimilis & sana aliquatenus suffragatur. Propter quod sanè & securè dici potest, quòd, sicut credere ipsam in corpore & in anima esse assumptam est pium, ita illud aliqualiter opinari, non credere non sit impium secundùm verbum Hieronymi, qui videtur dicere, quod hoc sine periculo possit nesciri. Quod verbum tamen postmodùm meliùs exponetur.*

*Cod. Admont. assumptam est pium: ita datò, quòd hoc non credere non sit impiû secundùm verbum Hieronymi, qui videtur dicere, quòd hoc sine periculo potest nesciri, quod verbum tamen postmodum meliusexponetur: tamen illud aliqualiter opinari nequaquam est pium.

Tertius actus pietatis est honorare sancta; sed B. Virgo est omnium sanctissima: ergo summæ pietatis officium est ipsam summè honorare & summis laudibus & honoribus extollere: quia, ùt ipse Hieronymus dicit, *totum cedit ad honorem DEI, quidquid in laudem genitricis ipsius potest dici.* Sed summa laus est, ultra quam non restat materia laudis amplioris; hæc autem summa laus glorificatorum consistit in duplici stola ipsorum, scilicet in gloria animæ & corporis juxta illud Isaiæ 61. *in terra sua duplicia possidebunt; lætitia sempiterna erit eis.* Ergo B. Virginem Matrem DEI ex ista duplici stola laudare est sanctissimam summè honorare, quod dignoscitur ad summam pietatem fidei pertinere.

Præterea ultimam perfectionem gratiæ sequitur completa beatitudo gloriæ: quod patet, quia sanctarum animarum nondum cum corporibus glorificatarum beatitudo non est completa propter manens in eis adhuc desiderium naturalis inclinationis ad corpus. Sed B. Virgo fuit in suo transitu gratia plena: erga debita fuit ei completa beatitudo gloriæ in corpore & in anima.

CAPUT XXVI.

Quòd in se fuit debitum & congruum B. Virginem assumi ad cælum in corpore & in anima.

BEatam itaque Virginem in Corpore & in anima esse assumptam credi & teneri fideliter, non solùm videtur secundùm jam dicta convenire sobrietati Ecclesiæ & pietati fidei: sed etiam ipsi Virgini Matri DEI esse debitum & condignum; quod potest videri pluribus rationibus & suaderi.

Prima igitur ratio ad hoc sumi potest ex verbo Gregorii in collecta, qui dicit, quòd B. DEI genitrix virgo mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit. Quæritur itaque, ad quid obliget nexus mortis? Et certum est, quòd hoc non est aliquod bonum: quia nexus ad bonum non deprimit, sed elevat obligatum. Si est aliquod malum, videtur, quòd hoc non possit esse malum culpæ: quia mors non obligat ad culpam, sed ad pœnam culpæ; cum post mortem non sit status merendi vel demerendi, sed secundùm merita recipiendi. Nec etiam potest esse malum pœnæ temporalis; quia multi per mortem hinc transeunt, qui ad purgatorium non veniunt. Nec malum pœnæ æternæ; quia multi moriuntur, qui in perpetuum non damnantur, sed salvantur. Quòd etiam non dicat malum pœnæ temporalis hujus vitæ, patet: quia ad illam mors non obligat; sed eam terminat. Non potest etiam dicere ipsam pœnam mortis corporalis; quia B. Virgo verè mortua fuit. Relinquitur ergo, quod non dicat aliud, nisi pœnam incinerationis Corporis post mor-

mortem; ad quod peccatum originale A. obligat corpus juxta illud Genes. 3. *Cinis es, & in cinerem reverteris.*

Quòd autem Corpus B. Virginis incinerationi non fuerit obnoxium, sic videri potest: quia in omni peccato duo considerantur, scilicet aversio à bono incommutabili, & conversio ad bonum commutabile. Aversioni autem à bono incommutabili, quod est DEUS, qui est vita animæ, respondet in pœna aversio animæ à corpore post mortem, quæ est vita ipsius corporis. Conversioni autem ad bonum commutabile, id est, ad peccatum, quod est nihilum, respondet in pœna conversio B. Corporis in cinerem, quod est propè nihilum. Beata autem Virgo aversa fuit in eo, quòd in originali concepta, licèt statim mundata, extitit; & pro tanto pœnam mortis corporalis subiit: sed quia nunquam ad bonum commutabile se convertit; eò quòd nunquam mortaliter vel venialiter peccavit, per consequens corpus ejus incinerationi nequaquam obnoxium fuit. Sed nisi statim in corpore resurgeret, ad incinerationem corpus ejus tenderet: ergo statim post mortem resurrexit, quia corpus ejus putrefactioni & incinerationi nihil debuit.

Secundò hoc idem ostenditur per locum à minori. Beata enim Virgo, secundùm quod dicit Damascenus, à nullo illustrium Sanctorum in aliqua gratia superatur: sed minùs dignis legitur ista gratia resurrectionis in corpore & in anima jam concessa; sicut illis Sanctis, qui in Evangelio leguntur post resurrectionem Christi surrexisse.

Si dicatur ad hoc, quòd propter beneficium & gaudium resurrectionis Dominicæ hoc fuerit eis specialiter concessum. Ergo multò digniùs matri ipsius Christi, in cujus Assumptione improportionabiliter majus gaudium & beneficium Sanctis & Angelis extitit præparatum.

Tertio patet hoc ex unitate materni corporis cum corpore filii. Quia cùm corpus matris & filii sit unum & idem, tanquam corpus sumptum & decisum, cùm illo corpore, à quo sumitur & deciditur: non decuit nec licuit, ut pars ejusdem corporis esset in Cœlo in Filio ejus JESU Christo, & pars in sepulchro putresceret sub humo.

Quartò patet idem ex indivisione regni & regiminis. Regnum enim filii est regnum Matris; qui ab eodem regno denominatur Regina Franciæ & Rex Franciæ. Sic & Rex & Regina Cœlestis curiæ. Regnum autem filii est regnum misericordiæ juxta illud Isaiæ 16. *Præparabitur in misericordia solium ejus.* Ps. 56. 11. Et Psal. *Exaltata est super Cœlos misericordia tua.* Ergo ipsum regnum misericordiæ est etiam Matris suæ, Reginæ misericordiæ, æqua participatione. Ergo sicut filius sedet in Cœlo in throno regni misericordiæ in anima & in corpore: sic & Regina erit ibi sedens in anima & in corpore: alioquin non esset æqualis participatio regalis gloriæ. Propter quod & alias multas rationes à Sanctis & Doctoribus inductas sincerè & devotè credendum est, quòd B. Virgo statim post mortem sit in anima & corpore glorificata.

CAPUT XXVII.

Quòd Assumptio B. Virginis in corpore & in anima non fuit differenda.

ET si objicitur contra hoc, quòd aliquibus devotis & bonis hominibus C. de hoc facta sit aliqua revelatio, quòd B. Virgo Quadragesimo die post suum transitum resurrexerit: dicendum est, quòd hujusmodi revelationibus, tanquam sufficienti auctoritati & veritati, non est cautum neque congruum assentire; maximè cùm certæ auctoritates & rationes Sanctorum & Doctorum sint in contrarium: & arduum & magnum Donum sit Discretio spirituum; videlicet quid, quo spiritu reveletur vel prophetetur. Quia sæpe etiam ipse Sathanas transfigurat se in Angelum lucis.

De Resurrectione namque Christi D. benè redditur ratio, quia ipso quiescente in sepulchro per triduum die tertia, facta fuerit: quia propter hoc inter alia sic facta fuit, ut exinde Resurrectionis veritas ostenderetur; cùm per triduum jam mortuus & sepultus resurrexit: quia nisi verè mortuus fuisset, neque verè resurrexisset. Eum verò verè mortuum fuisse infideles dubitare poterant, sicut & Pilatus mirabatur, si jam mortuus fuisset. Sed de B. Virgine non fuit dubitabile, quòd verè mortua fuerit: cùm exequiis solemnibus peractis in suo monumento in Valle Josaphat, ut scri-

scribit Hieronymus, posita fuerit & sepulta. Unde ad probandam veritatem mortis ipsius non fuit ipsius resurrectio & assumptio differenda.

Nec etiam certa ratio reddi potest, qua de causa ipsius resurrectio & glorificatio fuerit differenda: cùm tanquam gratia plena nihil habuerit retardans aut impediens; sicut nec illi Sancti in limbo, qui cum Christo resurrexerunt, quos sola præcessio resurrectionis Christi retardavit, quoniam ante omnes priorem oportuit resurgere Christum: *Cùm*, sicut dicit Apostolus, *Christus resurrexerit à mortuis, primitiæ Dormientium. Quia, sicut per primum hominem Adam Mors, ita per secundum Adam Christum resurrectio mortuorum.*

1. Cor. 15. 20. 21.

CAPUT XXVIII.

Solutio & responsio ad rationes & auctoritates, quæ Assumptioni B. Virginis videntur repugnare.

Respondendum est ergo nunc ad aliquas auctoritates Sanctorum, quæ videntur esse aliquibus in contrarium. Primò igitur ad illud, quod dicit Hieronymus; quòd humanum mendacium non debet hoc ponere manifestum, quod DEUS voluit esse occultum: tale autem est, quod dicitur de corporali Assumptione B. Virginis; dicendum est, quòd Hieronymus tanquam interpres Bibliæ teneat se ad illud, quod expressè in Biblia habetur, quod utique est tenendum, ut verum manifestum. Cujus oppositum, videlicet, quod in Biblia non est expressum, non erit, nisi in duobus casibus. * Quia aut contradicit vel repugnat ei, quod in Biblia est expressum? Et hoc est falsum manifestum: aut non repugnat vel contradicit? Et hoc potest esse vel falsum vel verum vel occultum; & hoc uno duorum modorum, vel sine probabili ratione suæ veritatis vel falsitatis; & hoc est apocryphus vel cum probabili ratione suæ falsitatis; & hoc est tenendum simpliciter ùt falsum; vel cum probabili ratione suæ veritatis, & hoc salva Ecclesiæ sobrietate & fidei pietate est simpliciter credibile & tenendum.

* C. Adm. generibus.

Quòd ergo dicit Hieronymus, quòd humanum mendacium non debet hoc ponere manifestum, quod DEUS voluit esse occultum, intelligendum est de manifesto per expressionem in Scriptura sacra; & de occulto, quantùm ad hoc, quòd ipsum in Scriptura non est expressum: sed præter expressionem Scripturæ creditum vel opinatum. Quia sicut illud Manifestum non est tenendum ùt occultum: ita nec istud occultum est habendum ùt manifestum.

Ad illud verò quod dicit idem Hieronymus: *Nos B. Virginem in corpore resurrexisse non abnuimus: quamvis propter cautelam salva fide hoc pio desiderio magis opinari oporteat, quàm inconsultè diffinire, quod sine periculo nescitur:* dicendum, quòd Hieronymus ùt interpres & custos litteræ sacræ Scripturæ nihil voluit simpliciter asserere vel affirmare eorum, de quibus in sacra Scriptura certitudo non habetur: & nihilominus cautelam adhibere, ne contra pietatem fidei negaret illa, quæ possunt probabiliter opinari, maximè in his, quæ sine periculo salutis possent etiam ignorari.

Intentio igitur ipsius in verbis prædictis est, quòd Assumptionem B. Virginis in corpore non neget, tanquam hoc sit falsum; nec affirmet tanquam verum ex Scriptura sacra manifestum; neque ponat in dubium; sed magis ad partem alteram se tenendo reputet esse probabile & opinabile pro fidei pietate. Quod probat à minori ex eo, quòd etiam sine salutis periculo nesciretur, licèt non sine salutis periculo negaretur. Quia differentia est inter nescire & negare; quia nescire illud posset esse sine culpa, sed negare nequaquam sine offensa, multa enim sine salutis periculo nescirentur, quæ nequaquam sine periculo negarentur.

CAPUT XXIX.

Solutio specialiter ad auctoritates Anselmi.

Ad verba quoque Anselmi, qui videtur circa hanc materiam ad viam Hieronymi se tenere non affirmando nec negando: non videtur tamen istud in dubium ponere, sed dicit se nescire: non tamen ex hoc innuit se non opinari nec credere. Quia aliud est nescire, aliud non opinari vel non credere. Multa enim nescimus, quæ tamen opinamur vel credimus; imò si illa sciremus, nec opinioni

nec fidei esset locus. Quod autem dicit: *Utrum tu adhuc cum dormientibus dormias, vel cum resurgentibus vigiles, nos negare vel affirmare nec possumus nec audemus*, intelligendum est, quòd negari non decet tanquam falsum, neque affirmari tanquam manifestum; inter quæ duo medium est credere tanquam probabile & opinatum vel potiùs fide dignum.

Unde ad omnes hujusmodi auctoritates & verba potest generaliter & breviter responderi; quia, si qui videntur assumptionem B. Virginis in corpore nescire vel in dubium ponere, loquuntur, tanquam illud nescientes vel in dubium ponentes, ut verum ex Scriptura sacra non apparens, vel inmanifestum. Omnes verò asserentes & credentes asserunt & credunt istud, ùt ex assertionibus & rationibus sobrietati Ecclesiæ & pietati fidei congruentibus & convenientibus credibile & approbatum: quorum fidei concordare tenetur omnis homo B. Virgini & ipsius filio pro debito & condigno devotus.

CAPUT XXX.

De Regno misericordiæ & throno, ad quem B. Virgo est assumpta.

Habito itaque ex prædictis omnibus, qualiter B Virgo gratias circumstantes mortem Sanctorum habuerit circa se sibi à filio exhibitas & ostensas in summo; quia mortem suam præsciens vocata fuit & invitata, & sine dolore mortua, & in anima & in corpore resuscitata & assumpta, & cum gloria & gaudio totius cœlestis curiæ deducta & conducta: videndum est de regno & throno, ad quem fuit collocata. Ad quod breviter & fideliter ac veraciter respondetur; quoniam ad regnum & thronum misericordiæ est collocata: secundùm quòd à tota Ecclesia *Regina Misericordiæ* condignè & propriè vocatur & invocatur.

Cùm autem B. Virgo tanquàm felicissima, sit omni laude dignissima, & pro tanto dignissimus regni titulus sit ei appropriandus: videndum est, utrum esse Reginam misericordiæ sit dignissimus & supremus regni titulus. Sciendum ergo, quòd plures regni tituli inveniuntur ascripti & attributi ipsi Summo Regi, Domino nostro JESU Christo: secundùm quod ipse in sacra Scriptura dicitur *Rex gloriæ*

A. Psal. *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Psal. 23. Item ipse dicitur *Rex justitiæ*, cu- 10. jus generatio finem non habet. Item *Rex Sapientiæ*. Jerem. 23. *Regnabit Rex & Sapiens erit.* Item *Rex gentium*. Jerem. 23. *Quis non timebit te O Rex gentium?*

Cùm ergo Mater & Filius denominentur ab eodem regno, cur non ipsa potiùs secundùm hoc dicetur Regina gloriæ, vel Regina justitiæ vel Sapientiæ, quàm Regina misericordiæ? Ad hoc dicendum, quòd B. Virgo propriè dicitur Regina misericordiæ, tanquàm à Summo & dignissimo titulo regni & regnandi denominata.

B. Unde notandum, quòd Regnum misericordiæ est maximum & dignissimum. *Primò* enim excellit amplitudine; quia in amplius se extendit misericordia, quàm gratia vel justitia vel gloria. Gratia enim propriè habet locum in terra tantùm & circa bonos; Gloria verò in Cœlo tantum & circa beatos: justitia in Cœlo & in terra circa bonos & malos. Psal. *Justitia tua sicut montes DEI; judicia tua abyssus multa.* Psal. 35. 7. Misericordia verò habet locum in terra secundùm illud: *Misericordia Domini plena est terra:* Et in Cœlo Psalm. Psal. 32. 5. *Exaltata est super Cœlos misericordia*

C. *tua:* Et in Purgatorio Jobi 19. *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei:* Et in inferno; quia ex misericordia etiam ipsi damnati mitiùs debito puniuntur. Job. XI. *Multo minora exigis, quàm meretur iniquitas mea.*

Secundo regnum misericordiæ excellit magnitudine. Quia licet opera Divinæ potentiæ sint magna juxta illud: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine?* Psal. 91. 6. Similiter opera Sapientiæ, unde sequitur: Psal. 103. 24. *Omnia in Sapientia fecisti;* Similiter & opera gloriæ, Psalm. *Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur:* Psal. 144. 5. Psal. 144. 9.

D. opera tamen misericordiæ superexcellunt omnia, juxta illud Psal. *Miserationes ejus super omnia opera ejus.*

Tertiò excellit appropriatione & proprietate; quia Summi Regis proprium est misereri & parcere scilicet ipsius DEI. Unde Seneca in libro de Clementia ad Imperatorem dicit: *Dominum mundi & potentem totius imperii felicem, inclytum & gloriosum appellavimus; & quidquid potuimus laudabilium titulorum, ambitiosæ Majestati congessimus. Clementem verò principem te solùm & maximè & propriè*

proprie appellavimus. Unde concludit, quòd Clementia sive misericordia est virtus summa soli summæ potentiæ appropriata.

Quartò excellit potestate. Seneca: *Summam potentiam summè decet misereri.* Unde dicitur in Collecta; *DEus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas.* Bernardus: *potestati cedit ad gloriam nolle ulcisci injurias, cum quis possit.* Unde quia DEus est potentissimus, ideo maximè misericors & benignus: & ideo Misericordia propriè est sedes & thronus summi Regis. Unde super illud Isaiæ 18. *Ego verò considerabo in loco meo*, dicit glossa: Quòd locus & sedes DEI propriè est misericordia divina. Unde quia Regina propriè denominatur ab eadem sede regni, à quo & Rex: Beata Virgo à sede regni filii sui, quæ est misericordia divina, propriè vocatur Regina misericordiæ.

Unde videndum, quid sit regnum, & quid sit misericordia, ut de regno & regina misericordiæ pleniùs pateat ipsius regni & reginæ dignitas, sanctitas & potestas, & exinde nobis resultans spes & utilitas.

CAPUT XXXI.

De multiplici misericordia & miseratione Divina.

Regnum igitur, ùt dicit Dionysius de Diu: Nomin. cap. 12. est omnis finis & ornatus & legis ac ordinis distributio. Unde videndum primò de fine. Finis igitur regni cœlestis est, ad quem tota intentio divina respicit in constitutione universi, quod est corpus regni & regiminis divini. Iste autem *finis* est explicatio & communicatio divinæ bonitatis, quæ imponit legem universo juxta
Psal. 148. 6. illud Psalm: *statuit ea in sæculum sæculi; præceptum posuit, & non præteribit. Lex* verò imponit ordinem his, quæ sub lege
Ps. 118. 91. divina sunt & aguntur. Ps. *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi. Ordo* verò causat ornatum & pulchritudinem universi Genes. 1. *igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum &c.*

Misericordia verò, ùt sumitur largè & communiter, est compassio miseriæ. Miseria autem attenditur in duobus, in indi-
A gentia; & in carentia eorum, quibus indiget. Unde circa miseriam & miseros duo considerantur in miserando & miserante, scilicet affectus compassionis & benignitas subventionis.

Misericordia itaque est in DEO, non quantùm ad effectum compassionis; quia ubi locum non habet aliqua passio, ibi nec compassio: sed quantùm ad benignitatem subventionis; quæ in DEO attenditur, non secundùm affectum, sed secundùm effectum subveniendi.

Est igitur in DEO secundùm effectum multiplex misericordia respectu universi-
B tatis creaturæ: videlicet *primò* misericordia dignationis, cujus effectus est rerum creatio: quia ex sola dignatione divina Creatura, cùm non esset, accepit, ut esset. Non enim Res ex se esse inceperunt secundùm quorundam opinionem, sed à DEO esse acceperunt. Nihil enim ex se incipit esse; quia sic esset, antequam esset. De hac misericordia divina dicitur Sap. XI. *Misereris omnium Domine; & nihil odisti eorum, quæ fecisti.*

Secundò est misericordia dilectionis, qua DEus diligit omnia, quæ fecit. Sap. XI. *diligis enim omnia, quæ fecisti.* Hujus
C misericordiæ effectus est rerum creatarum approbatio. Gen. 1. *vidit DEus cuncta, quæ fecerat; & erant valde bona.* Unde in Genesi per singula ferè opera sex dierum dicitur: *& vidit DEus, quod esset bonum.*

Tertiò est quoque misericordia distinctionis, qua ex sola DEI misericordia fit rerum creatarum distinctio, & multiplicatio, quæ causatur ex rerum varia distinctione juxta illud Genes. 1. *Aves quoque multiplicentur super terram.* Et infra: *crescite, & multiplicamini, & replete terram.*

D *Quartò* est misericordia distributionis, qua rebus singulis distribuitur communicatio divinæ bonitatis secundùm modum capacitatis uniuscujusque in ordine & gradu suo: cùm nihil, unum & singulare possit fieri capax omnis bonitatis, quæ erat communicabilis creaturæ. Unde super illud: *vidit DEus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, dicit Augustinus. *Singula in se erant bona, ita quòd unum melius alio: omnia verò simul erant valde bona.*

Quin-

Quintò est misericordia restauratio- A
nis, qua Res à sua condicione & statu de-
Ps.93.18. stitutas restaurat & reparat. Ps. *Si dicebam, motus est pes meus; misericordia tua Domine adjuvabat me.*

Sextò Misericordia Conservationis, qua res in statum debitum restitutas con-
Ps.11.8. servat in esse, & perpetuat. Ps. *tu Domine servabis nos & custodies nos à generatione hac in æternum.*

CAPUT XXXII.

De Regali veste & Corona B. Virginis.

Cùm igitur ad collocandam Reginam B misericordiæ in sua sede, hoc est, in throno regni misericordiæ; & ad potestatem dispensandi & administrandi divinam misericordiam indigentibus, requiruntur insignia regni & regalis decoris & gloriæ, quæ sunt duo videlicet corona &
Ps.44.10. vestis regia, juxta illud Ps. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate:* videndum est primò de veste regia; & deinde de regni corona: ut possimus utcunque videre Reginam misericordiæ; & oculi nostri saltem de longe ipsam cernere & discernere valeant. C

De qua videlicet veste & corona dicitur Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo; mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus: & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Mulier ista est B. Virgo Maria, quam ipse Dominus in Evangelio non appellavit, nisi mulierem, propter causas & rationes in superioribus declaratas. Quam hic Joannes, quantùm ad suam glorificationem in anima & corpore exaltatam, super præmium & meritum & ordinem ac gradum omnis creaturæ describit tripliciter; videlicet ab habitu, cùm dicit: *mulier amicta Sole*; & D à situ, cùm dicit: *& luna sub pedibus ejus;* & à suo regali ornatu, cùm subjungit: *& in capite ejus corona stellarum duodecim.*

Quantùm ad habitum ergo gloriæ in anima & in corpore describitur ab induta veste claritatis & incorruptibilitatis, in eo, quòd sole est amicta. Quantùm ad situm & ordinem eminentiæ à calcata & supplantata omni miseria mutabilitatis & mortalitatis, in eo, quòd luna sub pedibus ejus. Quantùm ad decorem & ornatum majestatis regiæ ab exaltatione suæ gloriæ & dignitatis, in eo, quòd corona stellarum duodecim est in capite ejus; videlicet uti insigne ipsius regalis potestatis.

Hoc itaque signum divinæ dignationis apparens in cœlo, in humanæ naturæ tanta exaltatione, in Virginis Matris DEI tanta honoratione, & in cœlestis regni adimpleta consummatione, est magnum utique signum divinæ pietatis, quantùm naturam humanam taliter exaltatam. Ps. *Quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum?* Ps.8.5.
& est signum magnum divinæ Charitatis in suæ Matris tanta honoratione. Cant. 7. *Quam pulchra es charissima in deliciis tuis, statura tua assimilata est palmæ.* Et est signum magnum divinæ liberalitatis in cœlestis regni & reipublicæ ipsius adimpleta consummatione: quia in Rege gloriæ, JESU Christo ad patris dexteram collocato, & in Regina misericordiæ ad filii dexteram posita, in regni throno astantibus & circumstantibus Angelorum & Sanctorum agminibus DEus Pater soli & poli patriam, unam fecit rempublicam; & per Regis & Reginæ personalem & præsentialem cohabitationem, unam cœlestis regni curiam: ubi invenitur Mater apud filium semper præsens, & assistens vultui filii pro omnibus indigentibus & se invocantibus. Jerem. 18. *Recordare, quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bona.*

CAPUT XXXIII.

De Corona Duodecim stellarum B. Virginis.

AD videndum igitur, quæ sint illæ stellæ duodecim, quæ suo splendore & decore super omnem lapidem pretiosum ornant & complent coronam Reginæ misericordiæ: notandum est quòd in sacra scriptura stellarum nomine frequentiùs significatur præclaritas meritorum & præmiorum sanctorum in cœlestibus juxta illud Danielis 12. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Et per consequens juxta differentiam claritatis stellarum differentia præclaritatis meritorum & præmiorũ in Sanctis

ctis glorificatis juxta illud Corinth. 1. c. 15. A. *stella differt à stella in claritate, sic & Resurrectio mortuorum.*

Videndum est ergo de præclaritate meritorum ipsorum Sanctorum, quam consequitur præclaritas præmiorum cœlestium quoad ipsorum majorem glorificationem, & suffragiorum quoad nostram sublevationem. Et notandum, quòd, cùm differetia meritorum in Sanctis habeat se secundùm diversitatem gratiarum & Donorum; ex quibus causatur diversitas operum meritoriorum, ad habendas ergo duodecim stellas, id est, præclaras excellentias præmiorum, oportet præhaberi duodecim stellas præclarorum meritorum; quibus singuli Sanctorum leguntur in Sacra Scriptura fulsisse, ùt insignes & præclari: ut ex illorum qualicunque comparatione appropriari possit excellentia claritatis meritorum & præmiorum B. Virginis ùt quarundam stellarum in corona gloriæ ipsius Reginæ misericordiæ.

Sciendum ergò, quòd duodecim graduum distinctiones & diversitates circa hoc poterunt assignari. Nam Sanctorum merita originaliter & radicaliter causantur ex acceptis à DEO gratiis & donis, & operibus meritoriis surgentibus & consequentibus ex illis.

Sunt autem gratiarum aliæ gratiæ gratum facientes, ùt gratiæ Sacramentales & gratiæ virtutum & donorum & beatitudinum & fructuum cum actibus & officiis singulorum: ex quorum usu & exercitio resultat in Sanctis diversitas & differentia meritorum, & per consequens præmiorum. Aliæ verò sunt gratiæ gratis datæ, quæ Sanctorum statum & ordinem ac gradum magnificant & mirificant ac decorant, quales sunt illæ gratiæ, quæ ponuntur 1. Corinth. 12. *Uni cuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem; alii enim per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii sermo scientiæ; alteri fides in uno spiritu. Alii verò gratia sanitatum in eodem spiritu: alii operatio virtutum; alii prophetia, alii discretio spirituum; alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.*

Excellentia itaque meritorum & per consequens præmiorum in sanctis sumitur, secundùm quod alii sanctorum præ aliis excellentiores fuerint in his gratiis atque Donis & in operibus consequentibus ex illis. Quorum quædam pertinent ad ipsorum electorum sanctitatem quoad se ipsos, & sunt quatuor excellentiæ. Videlicet 1. Summa puritas, 2. peccati immunitas, 3. peccandi difficultas, 4. benè merendi libera facultas.

Quædam verò pertinent ad meritoriorum operum utilitatem quoad alios; & sunt quatuor excellentiæ. 1. Spiritualium filiorum generatio per conversionis beneficium; 2. ipsorum instructio per exemplum. 3. Directio in via per auxilium. 4. introductio in patriam per suffragium.

B. Quædam autem pertinent ad ipsorum sanctorum dignitatem; & hoc dupliciter, vel respectu DEI vel respectu aliorum sive proximorum. Si respectu DEI, hoc potest esse dupliciter: vel quoad meritum quantùm ad ultimam pro DEO passionem vel conpassionem habitam & toleratam; & sic est illa excellentia, quæ attenditur in sanctis ex summo Zelo pro DEI contemptu & injuria. Vel quoad præmium quantùm ad summam conjunctionem ad DEum & amicitiam: & sic est illa excellentia, quæ attenditur in sanctis in summa DEI familiaritate & complacentia. C. Si respectu aliorum, hoc potest esse dupliciter; vel respectu quorundam singulariter quantùm ad meritum & præmium excellentiæ; vel respectu omnium universaliter quantùm ad gloriam & titulum supereminentiæ.

CAPUT XXXIV.

De Excellentiis generalibus Sanctorum aliorum.

D. QUia ergò in Sanctis communiter & specialiter attenditur differentia excellentiæ aliorum ad alios juxta diversitatem & differentiam meritorum & præmiorum, consequentem diversitatem & differentiam prædictarum gratiarum & donorum & actuum & operum ex ipsis gratiis & donis provenientium; & hoc secundùm majus & minus: propter quod alii sanctorum per consequens sunt in præmio & gloria excellentes alios communiter; alii excellentiores; alii excellentissimi: juxta quam rationem in Domo patris cœlestis *mansiones multæ sunt*, ùt dicitur Joannis 14. videndum est breviter

viter de excellentia Sanctorum quorundam respectu aliorum in prædictis omnibus meritis & præmiis : ut per consequens appareat de meritis & præmiis ipsius gloriosæ Virginis Reginæ misericordiæ & ipsius excellentia super omnes; cùm sit indubitanter excellentissima, & prædictis duodecim excellentiis in summo super omnes privilegiata, quasi duodecim stellarum splendoribus coronata.

CAPUT XXXV.

De originalis munditiæ puritate.

PRima igitur excellentia earum, quæ pertinent ad electorum sanctitatem quoad se ipsos, est originalis munditiæ puritas: qua excellunt alios in primo gradu in utero sanctificati, ùt Jeremias & Joannes; in secundo gradu post primam emundationem deinde usque in finem sine macula conservati, ùt qui Virgines permanserunt, ùt Joannes Evangelista & S. Lucas & S. Nicolaus, & multi alii.

Horum autem omnium excellentissimum privilegium, & primum habet Beata Virgo, videlicet puritatem in summo: de qua dicit Anselmus, quòd ea puritate nitebat, qua sub DEO major nequit intelligi. De qua superiùs dictum est de ipsius sanctificatione in utero: Cant. 5. *Veni sponsa mea, columba mea, immaculata mea.*

CAPUT XXXVI.

De peccati immunitate.

SEcunda excellentia est peccati immunitas, scilicet quantùm ad actum peccandi, ita, quòd, licet peccatum impugnet, non tamen vincat vel regnet in sanctis; sed semper vincatur, ut non superet juxta illud Roman. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis ejus.* Psalm: Ps. 14. 2. *Qui ingreditur sine macula & operatur justitiam.*

Horum quoque excellentissimum privilegium, & secundum in numero habet B. Virgo, scilicet peccati immunitatem; ad quam nullum peccatum veniale saltem vel mortale accessum ha- A. bere potuit: quia contra peccatum undique munita fuit, ita ut nec ipsam tentare vel impugnare potuerit. Cantic. 4. *Clypei mille pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Augustinus de natura & gratia: *Cùm de peccatis agitur, nullam de hac Virgine volo fieri mentionem.*

CAPUT XXXVII.

De peccandi difficultate & impossibilitate.

B. TErtia excellentia est peccandi difficultas, quæ erat sanctificatis in utero. Qui licet mortaliter peccare non possent, & hoc non simpliciter de se, sed gratia prohibente: Venialiter tamen, licèt difficulter, poterant peccare: sicut dicitur de Joanne Baptista, *Antra deserti teneris sub annis &c.*

Horum etiam excellentissimum, & tertium in numero privilegium habet B. Virgo & habuit, scilicet peccandi impossibilitatem, quam consecuta fuit in Sancti Spiritus superventione & virtutis Altissimi obumbratione & filii DEI conceptione, quando fomes in ipsa quantùm C. ad radicem totaliter extinctus fuit. Quia refrigerium illius obumbrationis indicat, & innuit totalem extinctionem fomitis. Genes. 49. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.*

CAPUT XXXVIII.

De bene merendi libera facultate.

QUarta excellentia est benè merendi libera facultas. Hanc excellenter habuerunt sancti, qui devictis, carne & mundo ac diabolo, omnes actiones & D. passiones suas, licet non semper actualiter, tamen habitualiter, propter DEum facere & pati & in DEum referre potuerunt juxta illud ad Coloss. 3. *Omne, quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri JESU Christi facite.* Item 1. Corinth. 10. *sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quidquam facitis, omnia in gloriam DEI facite.* Si enim nullus homo hoc implere posset, frustra moneretur & præciperetur. Unde si actualiter non potest fieri, sufficit habitualiter impleri à quibusdam.

Hu-

Hujus actus Donum & bonum, quantùm ad quartum privilegium, fuit excellentissimè in B. Virgine; quæ ex eo, quòd fomes fuit in ipsa extinctus, nullo motu primo saltem potuit abduci vel impediri, quin omnia posset in DEUM actualiter referre, quæ agebat vel patiebatur, & sic quolibet motu mereri; ita quòd omnis ejus actio & passio, gratuita & meritoria fuerit in summo.

CAPUT XXXIX.

De Spiritualis generationis fœcunditate.

QUinta deinde excellentia in numero communi communiter, & prima earum, quæ pertinent ad Sanctorum utilitatem quoad alios, est spiritualium filiorum generatio quoad conversionis ipsorum beneficium: quod fit per prædicationis instantiam & officium. Cujus summè arduum est rectus & fervens zelus animarum; quia sicut dicit Glossa super illud Gen. 49. *Zabulon in litore maris habitabit*, nihil tantùm placet DEO, nihil tantùm placat DEUM, sicut rectus & fervens zelus animarum. Nec est majus donum, quod possit Sanctus aliquis habere à DEO, quàm ut ejus ministerio perversi in bonos mutentur, & de filiis Diaboli filii DEI generentur & efficiantur. Juxta illud ad Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.*

Hujus autem boni & doni actus excellentissimus convenit B. Virgini. Si enim illi dicuntur & sunt filii Sanctorum, qui per eorum prædicationem & imitationem convertuntur ad DEUM; summus autem & primus omnium prædicatorum est Christus, qui per fidem omnes electos filios DEI fecit juxta illud Joan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios DEI fieri*: ipsa autem est Mater Christi; ergo per consequens Mater omnium, qui per fidem regenerati, effecti sunt filii & fratres Christi. Unde ipsius quintum privilegium, quasi quinta stella in ipsius corona est, quòd ipsa dicitur & est Mater omnium. Sap. 7. *Hæc omnium bonorum Mater est.* Si enim Mater filii est Mater non solùm fratrum filii, sed etiam filiorum filii; ipsi

A. autem est Mater Christi, qui omnia protduxit in esse naturæ, gratiæ & gloriæ: ergo ipsa est Mater omnium. Unde ipsa meritò dicit de se Luc. 1. *Beatam me dicent omnes generationes.* Bernardus: *Meritò O Domina respiciunt in te oculi omnis creaturæ, in qua & ex qua benignissima manus DEI quidquid creavit, recreavit & renovavit.*

CAPUT XL.

De aliorum Doctrina & instructione.

B. SExta excellentia est aliorum informatio & instructio per exemplum. Sicut enim alienorum malorum participes sunt, qui alios suo exemplo corrumpunt; propter quod David orat, dicens: *ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo*: ita alienorum bonorum consortes sunt, qui alios suo exemplo ad bonum provocant & instruunt. Psl. 18. 13.

Hujus boni & doni actus excellentissimus convenit B. Virgini, quæ ad summè arduum bonum & DEO placitum, scilicet ad Virginitatis & castitatis observantiam

C. & votum omnes Virgines suo exemplo instituit & provocavit in eo, quòd ipsa prima omnium sine præcepto, sine consilio, sine exemplo alieno munus acceptissimum suæ Virginitatis DEO obtulerit & in sua persona consecraverit. Quia ùt dicitur Sap. 6. *Incorruptio DEO proximum facit.* Unde Apocal. 14. *Virgines sequuntur Agnum.* Propter quod sextum privilegium quasi sexta stella in ipsius corona est, quòd ipsa dicitur & est *Virgo Virginum*; scilicet per primam institutionem & observationem, & reliqua-

D. rum imitationem & instructionem.

CAPUT XLI.

De aliorum illuminatione & directione.

SEptima excellentia est aliorum illuminatio & directio in via per auxilium. Unde notandum; quòd, cùm præsens vita sit via tantùm & transitus ad patriam Cœli; & ipsa vita sit posita in multis erroribus & timoribus & laboribus in suo transitu ad patriam; & viantes in hac vi-

ta sint quasi in nocte navigantes ad Cœli patriam, uti ad quietem & portum: propter hoc indigent signo lucente & dirigente & perducente ad portum patriæ; ut non devient ex errore, nec tristentur ex timore, nec fatigentur ex labore. Quæ tria beneficia confert in nocte navigantibus illa, quæ dicitur *Maris Stella:* quæ, secundùm quod dicit Macrobius, posita est in supremo Cœlo circa axem & polum Mundi in cauda Ursæ minoris, & est in Arctophylace minima de illis septem Stellis, & magis lucens aliis, & semper immobilis. Unde, ut omissis multis aliis suis proprietatibus, illud solùm, quod ad propositum est, dicamus, illam ipsam Stellam triplici ratione patet esse utiliorem ad nocturnam directionem navigantium; videlicet *Primò* ratione suæ altitudinis: quia sita est in supremo circa polum Mundi, unde ubique & ab omnibus mundi partibus potest videri. *Secundò* ratione suæ luminositatis: quia inter illas septem est magis lucens & luminosa. *Tertiò* ratione suæ immobilitatis: quia quasi immobilis semper apparet in eodem loco Cœli fixa: propter quod certior & infallibilior est directio secundùm illam, quàm secundùm omnem aliam totius Cœli Stellam.

Licèt ergo aliis Sanctis pluribus, ut Doctoribus & Pastoribus Ecclesiæ militantis possit convenire directio fluctuantium sub errore & timore ac labore hujus viæ & vitæ ad patriam: iste tamen actus excellentiæ hujus doni & boni propriissimè & dignissimè convenit B. Virgini; sicut & proprietates prædictæ stellæ propriè conveniunt ei. Ipsa enim in supremo Cœli posita est tanquam altissima dignitate. Eccles. 24. *Ego in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis.* Ipsa etiam fulget luce summæ puritatis clarissima. Sap. 7. *Hæc est speciosior Sole, & super omnem Stellarum dispositionem luci comparata, prior invenitur.* Ipsa etiam est à suo loco in Cœlo firmitate immobilissima quia circa centrum æternitatis cœlestis gloriæ in perpetuum collocata, & in throno regni misericordiæ confirmata, semper in eodem loco apud filium Mater invenitur firma & immobilis & immutabilis à sua misericordia & benignitate. Unde septimi privilegii titulus sibi propriè ascribitur, qui est Stella Maris; quasi septi-

A. ma regalis coronæ suæ Stella dirigens nos in via.

CAPUT XLII.

De Electorum in patriam introductione.

Octava excellentia est aliorum ad patriam introductio per patrocinium & suffragium. Sed quia introductio fit per ostium & per portam, notandum: quòd ad introducendum & excludendum & præcludendum tria exigantur; scilicet clavis, sera & porta. Ad introducendum

B. itaque in Cœlum, & excludendum à Cœlo, & præcludendum Cœlum Claves datæ sunt Petro; quæ sunt duo, potestas scilicet ligandi & solvendi, & scientia, quid sit rectè ligandum vel solvendum; & omnibus successoribus Petri similiter sicut sibi. Sera verò portæ sunt nostra opera & merita. Porta verò Cœli est Christi gratia quæ rectè quærentibus ipsam patet ex merito Passionis & mortis Christi mediante fide & devotione ipsius Passionis.

Sancti itaque Episcopi & Ecclesiæ Prælati & Sacerdotes habent prædictas claves cum potestate aperiendi & claudendi ipsam

C. seram portæ Cœli, aliorum opera & merita approbando, & DEO ùt fidelia & salutaria commendando; aliorum verò reprobando & detestando ac judicando Cœli introitu indigna.

Hujus verò actus officium excellentissimè convenit Reginæ misericordiæ, quæ nobis genuit, & in mundum ipsam misericordiam produxit juxta illud Psal. *Suscepimus DEUS misericordiam tuam in medio templi tui,* id est, in utero Virginis Matris tuæ. Ergo ipsa est propriè porta Cœli, quæ illum genuit, per quam solùm Cœli introitus nobis patere potuit. Joann. 10. Ps. 47. 10.

D. *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur.*

Unde octavi privilegii titulus, qui est *Porta Cœli*, sibi propriè convenit, quasi octava stella coronæ ipsius: licet etiam propriè possit dici *Fenestra* propter inductionem Cœlestis luminis ad Domum Ecclesiæ militantis; juxta illud: *Veritatis lumen ipsum Solem justitiæ indutum carne ducis in orbem;* sicut dicitur porta Cœli propter introductionem per patrocinium & suffragium ad Domum Ecclesiæ triumphan-

phantis, non per simplex ministerium, si-A.cut Ecclesiæ Episcopi & Prælati.

CAPUT XLIII.

De Divina Amicitia & familiaritate.

NOna excellentia attenditur in summa ad DEUM conjunctione & amicitia; propter quam Joannes Baptista in utero sanctificatus, & præcursor & prædicator Christi præmissus, Amicus Christi est appellatus. Joan. 3. *Qui habet Sponsam, Sponsus est: Amicus autem Sponsi est, qui stat & audit & gaudet propter vocem* B. *Sponsi.* Et Joannes Evangelista, Christo familiariter dilectus propter castitatis prærogativam est vocatus; Joan. ult. *Dixit Discipulus ille, quem diligebat JEsus, Petro: Dominus est.*

Istud donum propriè & excellentissimè fuit in B. Virgine. Major enim & propinquior est conjunctio, quæ causatur ex natura & gratia, & quæ fit corpore & mente, quàm quæ causatur à gratia sola, & fit mente tantùm. Conjunctio autem & amor B. Virginis ad Christum facta est per naturam & gratiam & corpore & mente, C. tanquam Matris ad filium; & non solùm tanquam familiaris & amici ad familiarem & amicum. Ergo istud donum & bonum conjunctionis & amicitiæ ad DEUM Beata Virgo consecuta est in ultimo propinquitatis & summo gradu. Unde nonum & summum ipsius privilegium, quasi prima & præcipua stella corona ipsius, à qua omnes aliæ stellæ coronæ ipsius causam habent & ortum, est summus ille titulus, quòd ipsa est & dicitur *Mater DEI*, summa & immediata propinquitate habens se secundùm naturam & gratiam ad DEUM.

CAPUT XLIV.

De Vulnerum Christi compassione.

DEcima excellentia attenditur in eo, quod est se habere ad Christum secundùm ultimam pro Christo & cum Christo passionem vel compassionem, quæ attenditur in summo zelo pro DEI injuria & contemptu. Propter quem zelum DEI, Phinees filius Eleazari meruit honorem perpetui Sacerdotii sibi & suis filiis confirmatum juxta illud Psal. *Stetit* Psal. 105. *Phinees, & placavit; & cessavit quassatio, & reputatum est ad justitiam &c.* Similiter & Elias propter zelum, quo zelavit pro Domino DEO contra transgressiones Judæorum, & iniquitatem Achab & Jezabel & idololatras eorum, translatus est in paradisum.

Hujus meriti & doni actum exercuit B. Virgo in summo, quando ipsa sola in passione filii, quam pertulit à suis crucifixoribus DEO indebitam & indignam, summam injuriam & contemptum, perstitit cum filio: & omnibus aliis fugientibus & quibusdam dubitantibus, aliis verò declinantibus ipsa sola plenam & ultimam fidem & compassionem habuit filio commortua & compassa usque ad æquipollentiam meriti Martyrii corporalis, ùt in Superioribus dictum fuit. Decimum privilegium, ipsius, quasi decima stella coronæ est, communicatio Passionis Christi, & per consequens totius operis humanæ reparationis.

CAPUT XLV.

De summi gradus in Cælo possessione.

UNdecima excellentia attenditur in Sanctis in respectu ad se ipsos, quæ est aliquem unum respectu aliorum juxta majus meritum in superiori gradu & majori gloria collocari: Secundùm quod Joannes Baptista ùt Virgo & Martyr & prædicator primus & summus est in primo gradu præmii & gloriæ Sanctorum collocatus juxta illud Matth. XI. *Inter natos mulie-* D. *rum non surrexit major Joanne Baptista.* Quia sicut se habet hic in via meritum ad meritum, ita se habet præmium ad præmium in patria & gloria. Majora autem merita consequuntur majorem perceptionem gratiarum & donorum, cùm non sit meritum nisi per gratiam. Sed B. Virgo super omnes Angelos & homines percepit hic in via majorem & pleniorem gratiam, quæ sine exceptione, largissima collatione, & interpretatione fuit simpliciter gratia plena:

plena: ergo habuit in via majora merita, & consequenter in patria summum gradum super omnes Angelos & Sanctos in gloria. Ergo est super omnes Choros Angelorum exaltata. Et hæc exaltatio est undecima stella in ipsius corona juxta undecimum privilegium ipsius respectu Angelorum & hominum.

CAPUT XLVI.

De supremo gradu & ordine, in quo est B. Virgo collocata.

Duodecima excellentia attenditur in Sanctis secundùm hoc, quod est habere superiorem aut supremum ordinem & gradum in aliqua Hierarchia; sicut in ordine Seraphin primum gradum habet Angelus primus & supremus illius ordinis: Et in ordine Cherubin Angelus primus & supremus ordinis ipsius, & sic de singulis. Similiter in humana Hierarchia, ubi primum gradum illius ordinis tenet Joannes Baptista: in Hierarchia vero Divina non est gradus, sed ordo; quia nullus est prior aut posterior, & major vel minor; sed est ibi ordo secundùm solam distinctionem relativam.

Cùm igitur B. Virgo in nullo gradu sit alicujus ordinis Angelorum in Hierarchia Angelica, quia est super omnes Angelorum Choros exaltata; nec in Hierarchia humana, quia similiter non est inter homines, sed supra omnes homines; nec habere possit locum in Hierarchia Divina, quia ibi non sunt nisi tres, Pater & Filius & Spiritus sanctus: restat, ut ipsa per se singulariter sit in quarta Hierarchia, quæ non habet ordinem vel gradum in se, sed respectu Hierarchiæ Divinæ tanquam superioris, & Angelicæ & humanæ tanquam inferioris. Et hoc est, quod dicit Hieronymus in Serm. *Cogitis me*, quòd ipsa pervenerit, ***ultra quam humanæ conditionis possibilitas sit, ubi non humana natura tollitur, sed magnitudo gloriæ demonstratur.***

CAPUT XLVII.

Recapitulatio & Recollectio duodecim privilegiorum B. Virginis.

In summam ergo recolligendo dicamus, quòd duodecim stellæ in corona Reginæ misericordiæ sint duodecim privilegia gratiarum & meritorum & præmiorum ipsius. Quorum quatuor prima pertinent ad propriam & personalem ipsius Virginis sanctificationem; quæ sunt post DEUM summa puritas, peccati immunitas, peccandi impossibilitas & merendi libera & plena facultas. Quatuor verò sequentia pertinent ad nostram utilitatem, quam consequimur ex ipsius misericordia. Quorum primum est, quòd ipsa sit Mater omnium quantùm ad filiorum & fratrum & cohæredum Christi spiritualem generationem, & corporalem omnium renovationem. Secundum est, quòd ipsa sit Virgo Virginum per primam institutionem & imitationem & conservationem Virginitatis in omnibus suis sequacibus. Tertium est, quòd ipsa sit Stella maris principaliter dirigens & conducens nos in hujus vitæ via. Quartum est, quòd ipsa sit Porta Cœli, patrocinio & suffragio singulari introducens nos in patriam. Quatuor verò ultima privilegia pertinent ad ipsius Virginis singularem & personalem dignitatem: quorum duo habet per respectum super se ad DEUM; unum videlicet per summam & imediatam propinquitatem sui ad DEUM secundùm naturam & gratiam: & hoc est supremum illius privilegium in eo, quòd ipsa sit Mater DEI. Aliud per summam dilectionem & communicationem ad filium & cum filio; & hoc est passionis Christi communicatio, & per consequens totius reparationis nostræ. Duo verò habet per respectum infra se ad omnem creaturam. Quorum unum est, quòd ipsa sit super omnes Choros Angelorum in Cœlis exaltata. Aliud est, quòd ipsa non sit in aliqua Hierarchia, Divina videlicet vel Angelica vel humana: sed per se singulariter & sola sedet & regnat in quarta Hierarchia imediatè infra DEUM, & super omnem creaturam collocata. Hæ ergo sunt duodecim Stellæ, videlicet duodecim privilegia, quibus B. Virgo excellit omnem creaturam, ipsis privilegiis propriè & singulariter præ omnibus coronata.

CAPUT XLVIII.

Enumeratio duodecim beneficiorum Reginæ misericordiæ.

EGredimini igitur filiæ Sion, id est, quæcunque fideles animæ & devotæ Virgini gloriosæ; & videte reginam misericordiæ in diademate, quo finaliter & complete coronavit eam filius suus in die desponsationis, id est, Assumptionis suæ ad corporalem conjunctionem & collocationem ad dexteram suam, ubi ipse Rex requiescit in accubitu suo in sinu patris, & sedet ad dexteram suam, B. Majestatis in excelsis. Et vacate, & invocate gratiam Reginæ misericordiæ, qua dispensat & administrat thesauros misericordiæ DEI, quos Filius suus reposuit & locavit in ipsius uterum & sinum & manum ad distribuendum & dispensandum pro omnibus indigentibus, & ipsius opem & auxilium digne & devote implorantibus.

Sicut autem ipsius Reginæ misericordiæ merita & præmia attenduntur in prædictis suis duodecim privilegiis: ita misericordiæ ipsius bona & dona dispen- C. sanda consistunt in duodecim beneficiis & auxiliis. *Primò* enim ipsa intercedente & misericordiam Filii dispensante, ut thesaurum sibi commissum, ipsa Divina misericordia prævenit nescientes. Joan. 3. *Spiritus ubi vult, spirat: & vocem ejus audis; sed nescis, unde veniat aut quò vadat.* *Secundo* attrahit nolentes & renitentes. Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum.* *Tertiò* sequitur non quærentes Ezech. 33. *Quod perierat, requiram: & quod abjectum fuerat, reducam.* D. *Quartò* præcurrit fugientes Exod. 22. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, ut ejiciat Amorrhæum ante faciem tuam.* *Quintò* revocat recedentes Isaiæ 31. *Convertimini filii Israël, sicut in profundum recesseratis.* *Sextò* exspectat tardantes Isaiæ 30. *Exspectat Dominus, ut misereatur, & ideo exaltabitur parcens nobis.* *Septimò* suscipit reverten-
Ps. 106. 17. tes. Psalm: *suscepit eos de via iniquitatis* A. *eorum.* *Octavò* adjuvat deficientes ad Roman. 8. *Ipse Dominus adjuvat infirmitatem nostram.* *Nonò* reficit & ditat indigentes. Matth. 5. *Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Et Lucæ 1. *Esurientes implevit bonis.* *Decimò* remittit debitum Lucæ 7. *Remittuntur tibi peccata.* *Undecimò* confert meritum 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* *Duodecimo* præmiat ultra condignum ad Rom. 8. *Existimo, quòd non sit condigna passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Conclusio istius Operis.

SIc itaque de vita & virtutibus B. Virginis secundùm ordinem historiæ Evangelicæ aliqua, licèt pauca, ad laudem ipsius gloriosæ Reginæ misericordiæ, & ad juvandam & instaurandam Devotorum ipsius diligentiam & affectionem, paupere sensu & tenui sermone, subjunctis aliquibus dictis & sententiis Sanctorum & doctorum, in unum opusculum continuum composui & collegi; si non cum magna legentium utilitate, tamen cum multo meo labore, utinam ipsi Virgini gloriosæ & filio suo placito & accepto.

Erit igitur, o Virgo gloriosa, solius misericordiæ tuæ; ut suscipere digneris Clementer præsentis operis & laboris munusculum qualecunque, quamvis insufficiens & indignum dignitati tuæ, cujus virtutes & merita atq; laudes non sufficiunt explicare Dignitates Angelicæ. Solummodo enim ad hoc potest tibi humana devotio intendere, ut miseris misericordiam tuam aperias & impendas: quò, te miserante & suffragante consequamur gratiam filii tui in præsentis miseriæ periculis, & gaudia æternæ beatitudinis in cœlis. Quod nobis præstare dignetur Dominus noster JEsus Christus, tibi cum DEO patre communis filius. Qui cum eodem

eodem & Spiritu Sancto vivit & regnat A. per omnia secula unus DEus. Amen.

*Explicit Engelbertus Abbas Admontensis de vita & virtutibus B. Virginis Mariæ per manus Monachi * throni B. Virginis & sacerdotis ordinis Carthusiensis.*

* *Monachus ille exprimitur in Margine per hæc verba:* D. Petri, postea Prioris. *Prioratum Petrus ille administravit ab anno* 1395. *usque ad annum* 1405. *& plura eleganti scripsit charactera in membranis, ut Collationes Patrum, Isidorum de summo Bono, Conradum super quinque alleluja, & Engelbertum.* Non dubium, quin omnia ante *Prioratûs susceptionem descripserit: unum ipse fatetur se anno* 1380. *finivisse Isidorum.*

FINIS.

